UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Dispvtationes Physicæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-95614

Visual Library

DISPVTATIONES PHYSICAE,

AVCTORE

R.P. RODERICO DE ARRIAGA

E SOCIETATE IESV.

PROOEMIVM.

FVSE *in præsenti disputant nonnulli de obiecto Philosophiæ, de modo quo illud attingit, vtrùm sit simplex qualitas, an composita; quæ ex dictis à nobis in Proœmialibus Logicæ facilè intelliguntur, ideò eis supersedebo. Consulite Conimbricenses in Proœmialibus Physicæ hæc omnia eruditè admodum explicantes.*

Breuiter Dico Primò, Philosophiam esse vnam scientiam non vnitate rigorosâ, (constat enim pluribus habitibus, etiam specie diuersis, quod proprium esse omnium scientiarum, ostendi Disputatione 1. Logicæ à numero 29.) sed vnitate ordinis, quatenus omnes illius habitus ordinantur per se ad exactam cognitionem corporis substantialis completi, quod est obiectum attributionis totius Philosophiæ, quæ, dum agit de motu, de actione & passione, de quantitate, &c. intendit exactam cognitionem corporis substantialis completi, quod est principium & subiectum illarum rerum. Nomine corporis substantialis completi *intelligo tam materiam quàm formam substantialem, & vtriusque vnionem.*

Aduerto hic, multos nobiscum in re conuenire, dum assignant corpus completum pro obiecto Philosophiæ, in voce tamen & modo loquendi à nobis dissidere; nolunt enim sub hoc nomine illud compellare, sed nomine substantiæ naturalis. *qui modus loquendi est improprius: nam Angelus est substantia, & naturalis, quia est natura, id est, principium motus & quietis, qui tamen non est obiectum Physicæ; ergo non debet explicari hoc obiectum voce substantiæ naturalis, sed corporis completi: vt sic enim nec extendit se ad ea quæ non sunt Physicæ obiectum, nec aliquid, quod verè ad Physicam spectet, non comprehendit. Verùm quia, vt ostendi Disputatione 11. Logicæ à numero 51. rationes particulares seu differentiales non ordinantur ad cognoscendam rationem communem, sed potiùs è contrario cognitio rationis communis ad cognitionem inferiorum, ideò arbitror, hos octo libros esse partem Philosophiæ, prout comprehendit etiam libros de Animâ, & de Cælo, eosque ordinari vltimò ad cognitionem hominis & cæli, quæ sunt duo obiecta attributionis duarum scientiarum, quibus hi octo libri subalternantur, quia corpus substantiale completum (de quo in illis) æquè*

est

est genus ad hominem, & ad cælum. Vnde non mirum, si ad vtriusque cognitionem ordinetur.

Sed hinc posset quis obiicere: Ergo etiam hi octo libri ordinabuntur ad cognitionem de equo, leone, &c. Patet consequentia; quia tam equus & leo sunt species animalis, quàm homo; ergo cognitio rationis communis animalis tam ordinabitur ad leonis quàm ad hominis notitiam. Quòd enim homo perfectior sit leone, parum facit; obiectum enim attributionis (vt alibi dixi) non ex maiori perfectione, sed ex eo quòd ad ipsum alia obiecta ordinentur, colligendum est. Quod dico de leone, dicere possum de qualibet specie infimâ animalis. Respondeo, hac obiectione conuinci, posse esse vnam scientiam particularem, quæ de solâ specificâ equi differentiâ ageret; & tunc equum in illâ futurum obiectum attributionis, & hos octo libros ordinandos etiam inadæquatè ad illud obiectum. de facto tamen non datur talis scientia, datur verò specialis de homine, de quo singulariter Animasticus disputat; ideoque suprà dixi, de facto hos octo libros ad hominis exactam notitiam ordinari. Hæc de obiecto. Quoad modum verò illud respiciendi

Dico Secundò, Philosophiam esse omnino speculatiuam, quia obiectum eius non pendet per se vllo modo, neque fieri potest aut dirigi à scientiâ de illo, vt patebit discurrenti per singula illius obiecta.

LIBER I. PHYSICORVM.

DISPVTATIO PRIMA.

De Principiis intrinsecis compositi naturalis.

1 PRINCIPIVM diuiditur in *extrinsecum* & *intrinsecum:* illud dicitur *causa efficiens* vel *finalis*, hoc verò *pars aliquomodò ens naturale componens.* Vtriusque principij cognitio requiritur ad exactam rei notitiam, *extrinseci* ad demonstratiuam, *intrinseci* ad definitiuam; ideoque de illis per hos octo libros latè disseruit Aristoteles, de extrinsecis à lib. 2. de intrinsecis in hoc 1. vbi etiam nos de ijsdem agemus, de extrinsecis acturi posteà.

SECTIO I.

De Principio in communi.

DE variis Principij acceptionibus latè P. Suarez Disput. 12. Metaphysicæ, Sect. 1. Conimbricenses lib. 1. Physicorum c. 5. quæst. 1. & P. Hurtadus Disput. 1. Physicorum, Sect. 1. Nos breuiùs.

Principium Primò vsurpari solet pro *omni eo vnde aliquid est quocumque modo.* Hæc acceptio latissima est, iuxta quam omnes causæ dicuntur principia suorum effectuum. Item Pater æternus dicitur principium Filij, & vterque Spiritus sancti. Fundamentum dicitur principium domus, ceteraque, ex quibus alia incipiunt quocũque modo, dicuntur in hac acceptione Principia.

Secundò vsurpatur Principium pro *primo vnde aliquid est*, id est, pro primo principio in aliquo ordine. V. g. Adamus respectu hominum, fundatores Religionum & Familiarum, dicuntur in hac acceptione principia; quo sensu intellexit principium Aristoteles 5. de Generatione animalium, cap. 7. inquiens, *De ratione principij est, vt ipsum quidem causa sit multorum, sed ipsius nulla.* Item Tullius Quæstione Tusculanâ 3. *Principij nulla est origo; nam ex principio oriuntur omnia, ipsum autem ex re nullâ nasci potest.* In quâ acceptione etiamsi meus parens v. g. sit causa mei, non tamen est principium, quia non est primus in hac serie, habet enim alium priorem, meum scilicet auum. Vnde in hac explicatione causa & principium se habent vt excedens & excessum, quia nec omnes causæ sunt principia, vt patet in exemplo posito de parente, neque item omnia principia sunt causæ. v. g. Pater æternus, qui est principium Filij, non tamen illius causa: item locus, vnde quis proficiscitur, dicitur principium viæ, non tamen est causa viæ; quia ad rationem causæ requiritur, vt ipsa essentia effectus producatur. Cùm ergo nec initium viæ reliquam partem producat, nec in diuinis Pater æternus producat esse Filij, id est essentiam Filij, quia hæc est improducta, ideò neutri conuenit ratio causæ, etiamsi dicatur principium. Sed de hoc rursus Disputat. VII. numero 2. 2

3 Denique, Principia alia sunt, iuxta dicta nu. 1. *intrinseca*, quæ sunt intra rem cuius sunt principia; alia *extrinseca*, quæ sunt extra rem cuius dicuntur principia. Intrinseca alia sunt *perfectè intrinseca*, quia sunt vel partes, ex quibus componitur res principiata in facto esse, vt anima & corpus respectu hominis; vel quibus componitur compositum in fieri, siue compositi generatio, de quibus Sect. 3. Alia sunt *imperfectè intrinseca*, quia non componunt rem principiatam, & in hoc sensu sunt extra illam; vniuntur tamè aliquo modo cum illâ, ideoque dicuntur intrinseca, vt subiectum respectu formæ; non enim subiectum est pars formæ, aut hæc pars subiecti, sunt tamen vnita inter se, ideò subiectum dicitur principium intrinsecum formæ.

SECTIO II.

Definiuntur Principia entis naturalis.

4 ARISTOTELES cap. 5. textu 42. principia rei naturalis definiuit ea esse, *quæ nec ex sese, nec ex aliis, sed omnia ex ipsis sunt.* Hæc definitio non conuenit principiis rei naturalis præcisè, sed omni primo principio, v. g. Deo respectu creaturarum, Adamo respectu hominum: quia Deus non est ex alio, sed ex ipso omnia; & Adamus non est ex alio homine, sed omnes ex ipso. Et ratio est; quia omne primum principium debet non esse ab alio in eo ordine, alioquin non erit primum. Est ergo hæc Aristotelis definitio vniuersalior quàm in præsenti requiratur. Vt tamen illam defendant, sic eam explicant recentiores communiter, vt verba illa, *sed omnia ex ipsis sunt*, intelligantur non de effectione, sed de compositione, id est vt omnia ex ipsis componantur: quo sensu nec Deus neque causæ efficientes, vt tales, sunt principia entis naturalis; quia licet producant res naturales, non tamen illas componunt. Verùm quia, vt infrà dicam, neque materia etiam est pars generationis, cuius dicitur principium, hæc communis explicatio non videtur sufficiens. Meliùs ergo illa verba, *sed omnia ex illis sunt*, explicari possunt, si addatur *omnia ex his sunt intrinsecè*: sic enim & partes intrinsecæ, & quæ non sunt partes, sunt tamen inuicem intrinsecæ, comprehenduntur.

5 Aduerte tamen, ad rationem principij, de quo loquimur, non requiri, vt ipsum in nullo genere causæ sit ab alio, sed tantùm in eo ordine in quo est principium; aliàs nullum esset principium rei naturalis, quia nulla est res creata, quæ saltem in genere causæ efficientis non sit à Deo.

Tria communiter assignantur principia rei naturalis, *materia*, *forma*, & *priuatio*. Dixi *communiter*, quia nonnulli antiquiores Philosophi dixêre, entia naturalia componi ex quatuor elementis, quæ sententia à nobis reijcietur Disputatione 11. à num. 5.

Sunt ergo tantùm tria enumerata principia rei naturalis. *Materia* quidem, quia cùm ipsa sit pars essentialis compositi, non fit ex aliâ materiâ. Per *materiam* intelligo subiectum illud commune & substantiale, quod manet v. g. post mortem hominis, & in quod forma cadaueris introducitur, denominaturque posteà *cadauer*, *cinis*, &c. *Forma* item substantialis est principium rei naturalis; quia licet ipsa sit ex materiâ vt ex subiecto (excipe rationalem) non tamen est ex materiâ vt ex aliâ formâ, quare in ratione formæ ipsa est prima omnium. *Priuatio* item est principium vt terminus à quo, priuatio autem non est ex aliâ priuatione, ac proinde in suo esse est prima. Ex hac doctrinâ facilè explicantur, quæ videbantur aliàs difficultatem ingerere.

Primò enim obiici potest: Forma fit ex materiâ, item materia fit ex pluribus partibus materiæ quibus componitur; item ex priuatione fit forma tamquam ex termino à quo; ergo materia & forma non sunt prima principia, cùm habeant alia ex quibus sint. Nec potest responderi, fieri ex illis vt ex principiis extrinsecis, prout nonnulli recentiores nõ satis consequenter dixêre: non, inquam, hoc potest dici. Primò, quia forma intrinseca est materiæ, & vna pars materiæ tori materiæ; malè ergo dicitur componi ex eis vt ex principiis extrinsecis. Secundò, quia etiam compositum non est ex priuatione tamquam ex aliquo intrinseco, sed tamquam ex termino à quo; ergo si in hoc ordine materia & forma sint ex aliis, iam non erunt prima in ratione principij. Respondeo ergo, formam non fieri ex materiâ vt ex formâ (iuxta dicta suprà) neque materiam fieri ex partibus materiæ vt ex subiecto aut materiâ ipsius materiæ, neque formam fieri ex priuatione vt ex formâ, sed potiùs vt ex carentiâ formæ: quare in genere, in quo sunt principia, semper sunt prima. Quod autem in alio genere sint ab aliis, non tollit ab eis rationem primi principij in suo genere, vt dixi numero 5. 6

Sed vrgebis, Etsi materia non sit ex partibus vt ex subiecto, est tamen ex illis vt ex partibus intrinsecis, in quo genere ipsa materia est principium compositi, scilicet vt pars intrinseca; item materia & forma sunt ex genere & differentiâ vt ex partibus intrinsecis Metaphysicis, ergo iam in eodem genere, in quo sunt principia, sunt ex aliis, ergo non prima. Respondeo, materiam non componi ex pluribus partibus materiæ vt ex subiecto, ipsam verò esse principium primum tamquam partem, non tamen qualemcumque, sed subiectiuam essentialiterque componentem; partes verò ipsius materiæ esse solùm partes integrantes. *Partes integrantes* voco, quarum qualibet ablatâ, manet absolutè denominatio totius, vt v. g. ablato pede denominatur homo, licet non tam integer ac anteà; item ablatâ vnâ parte aquæ, manet absolutè aqua. *Partes* verò *essentiales* sunt, quarum qualibet ablatâ, absolutè auferetur essentia totius, v. g. ablatâ animâ non manet homo, qui nec manet ablato corpore, etiamsi maneat anima, ideoque anima & corpus sunt partes essentiales hominis. Partes igitur materiæ non sunt essentiales, sed integrantes ipsam materiam; quia qualibet ablatâ, manet absolutè materia: ipsa autem materia respectu compositi est pars essentialis, quâ ablatâ non manet compositum substantiale; quare partes materiæ non sunt principia illius in eodem ordine, in quo ipsa est principium compositi substantialis. 7

Ad secundum de partibus Metaphysicis respondeo, animam & corpus non componi physicè & realiter genere & differentiâ, sed solùm ratione nostra, quod non tollit à materiâ & formâ rationem primorum principiorum absolutè & simpli- 8

simpliciter in genere physico, de quo in præsenti.

Obiicies Secundò, Etiam vnio partium constituit totum; ergo sunt quatuor principia entis substantialis. Respondeo, vnionem esse rationem formalem, quâ principia constituunt totum, non verò esse principium constituens; quod aliis terminis dici potest, esse principium *quo*, non verò *quod*: sicut actio requiritur essentialiter ad effectum, non tamen vt principium *quod*, sed vt id *quo* influit causa quæ est principium *quod*. In præsenti autem solùm agimus de principiis *quod*. Quomodo autem priuatio sit principium, Sectione 3. dicemus.

9 Obiicies Tertiò, Corpus naturale in concreto, homo v.g. etiam componitur ex subsistentiâ; ergo dantur quatuor principia entis naturalis. Respondent nonnulli, subsistentiam reduci ad formam, quia componit actuando naturam. Displicet hæc solutio, quia forma est actus materiæ, non verò totius naturæ, subsistentia autē est actus totius naturæ: item forma se habet vt entitas perfecta substantialis, subsistentia verò, ex communiore sententiâ, vt modus; ergo sunt diuersa principia, forma substantialis, & subsistentia. Quòd autem conueniant in ratione formæ vt sic, non obstat, quò minùs dicantur duo principia: nam, si vera esset Scoti opinio, tot adstruens formas essentiales substantiales, quot sunt gradus Metaphysici, sine dubio tot essent principia quot formæ, etsi conuenirent omnes in ratione formæ vt sic. ergo licet subsistentia conueniat in esse formæ cum formâ substantiali, quia tamen habet diuersum valdè conceptum ab illâ, constituet diuersum principium. Secundò respondent alij, subsistentiam non pertinere ad physicam compositionem, sed ad Metaphysicam. Verùm ego non video, cur subsistentia non sit de physicâ constitutione hominis (non dico naturæ) non se-
10 cùs ac forma. Fortè quia hi in Metaphysicâ de subsistentiâ differunt, putarunt non esse partem physicam, cùm, ex communi acceptione, pars Metaphysica ea sit, quæ non realiter, sed per conceptum nostrum est pars, quod procul dubio non conuenit subsistentiæ, quæ realiter distincta est, & realiter componit; est ergo pars physica hominis.

Respondeo ergo, quæstionem solùm esse de voce, in quâ tantùm dicenda sunt tria principia, quia non loquimur de principiis suppositi; hoc enim ab Aristotele aliisq; ethnicis Philosophis, prout distinctum à naturâ, agnitum non fuit, vt ostendemus Disputat. 11. à numero 134. Quare, licet in re subsistentia sit è numero principiorum, non tamen iuxta priscorum Philosophorum mentem.

SECTIO III.

Principia generationis substantialis & accidentalis.

11 NVMERO 3. ostendi, principia entis naturalis in facto esse, idem esse ac partes componentes aut intrinsecas: vnde, si loquamur de composito naturali, in hoc sensu, duo tantùm includit principia, materiam & formam, vnitas inter se; si verò loquamur non de ipso composito, sed de generatione illius, dicendum est, eam habere tria principia intrinseca, non quidem componentia, sed quæ intrinsecè respiciantur ab ipsâ generatione, materiam vt subiectam, formam vt terminum ad quem, priuationem autem vt terminum à quo. quæ doctrina explicanda est obiectionum solutione.

Prima sit: Priuatio non est ens, ergo non potest esse principium generationis. Respondeo, priuationem non esse principium influens, aut componens generationem in esse talis, sed præcisè terminum à quo: cùm autem verè & realiter detur priuatio formæ antequam sit forma, & hæc ex non esse transeat ad esse, ideò priuatio absolutè dicitur principium. Pro quo aduerte, in generatione & posse considerari rationem productionis formæ, & etiam rationem mutationis, quæ duo distincta sunt: potest enim esse productio sine mutatione; vt si simul produceretur materia & forma, verè quidem esset productio formæ, non tamen esset mutatio, quia ad mutationem debuisset præcedere materia sine illâ formâ. Si ergo 12
in generatione sola consideretur ratio productionis, non respicit necessariò priuationem, quia ad priuationem requiritur, materiam priùs extitisse sine formâ, quod non requiritur ad productionem formæ, vt in exemplo posito cernitur. Si verò in generatione consideretur ratio mutationis, necessariò includit priuationem, quia non potest esse mutatio in materiâ, nisi hæc priùs supponatur carens formâ, quâ mutatur. Vnde rectè potest dici, mutationis vt talis esse partem intrinsecam ipsam priuationem: neque inconueniens est, priuationem, quæ nihil est in se, dici partem intrinsecam alicuius totius, si illud totum non sit adæquatè positiuum, quale verè non est mutatio vt talis, de quo rursus numero 16.

Sed hinc insurget secunda obiectio: Quia potest esse generatio, quin sit mutatio, vt diximus, & de facto fuit in primâ mundi productione, in quâ simul tempore creata fuit materia prima, & forma substantialis; ergo non est de ratione generationis, habere pro principio à quo, priuationem. Respondent nonnulli, etiam in eo casu datam fuisse priuationem, non quidem priùs tempore quàm ipsam formâ, sed priùs naturâ; quia semper materia intelligitur priùs naturâ ad formam, pro quo ptiori datur in illâ priuatio formæ. Sed hæc solutio continet fal- 13
sam doctrinam, quia repugnat, in eodem instanti reali esse simul formam & eius priuationem, etiam pro priori naturæ: cùm enim instans reale sit indiuisibile, necessum est, vt quod verè pro priori existit, existat etiam necessariò pro toto instanti. Si ergo in priori est priuatio formæ, etiam in toto instanti eadem manebit, ergo simul erit forma & eius priuatio, quod prorsus repugnat. Ratio à priori huius repugnantiæ est, quia illud instans naturæ, est instans præcisionis tantùm; quare tunc, licet non concipiatur forma, non tamen concipitur eius priuatio, sed præscinditur, id est, nihil cogitatur de formâ: sicut quando concipio essentiam Petri, & præscindo ab eo quòd sit albus, non tamen ideò concipio illum non album. Ad quam doctrinam oportet, pro multis quæstionibus, diligenter attendere.

Vrgeo impugnationem ad hominem, quia si hæc prioritas naturæ sufficeret, vt tunc daretur

priuatio formæ; ergo etiam in conseruatione formæ daretur priuatio vt principium conseruationis, quia etiam in illâ priùs naturâ intelligitur materia quàm forma; ergo pro illo priori erit priuatio formæ, vt hi discurrebant in primo instanti.

14 Respondeo ergo obiectioni, non esse necessariam priuationem respectu omnis generationis (vt conuincit obiectio) esse tamen necessariam respectu earum generationum quæ de facto contingunt: quia cùm materia semper perseueret eadem, quantumuis formæ mutentur, semper ante omnem generationem (primâ exceptâ) præcedit eius formæ priuatio in materiâ, & consequenter semper datur mutatio in generationibus, quæ de facto sunt, exceptâ primâ.

Sed vrgebis: dum materia est cum formâ antecedente, non habet priuationem formæ subsequentis, quia non potest illam habere simul cum præcedenti (duæ enim formæ substantiales nequeunt esse simul in materiâ;) ergo numquam est materia cum priuatione formæ subsequentis, quia numquam est ante subsequentem sine præcedenti, nequit enim esse sine aliquâ formâ vel per vnicũ instans. Respondeo, vt materia habeat priuationem formæ subsequentis, non requiri posse retinere simul vtramque, & præcedentem & subsequentem, sed posse absolutè obtinere subsequentem, licet amittendo præcedentem; sicut peccator habet priuationem gratiæ, non quia possit simul gratiam habere cum peccato, sed quia potest absolutè habere gratiam, si de peccato veram agat pœnitentiam, quâ in illo aboleatur ipsum peccatum.

15 Obiicies Tertiò: Ergo etiam pari ratione forma præcedens erit principium generationũ substantialium, quia præcedit etiam materia cum formâ præcedenti ad omnem generationem, exceptâ primâ. Respondeo, concedendo sequelam, si generatio sumatur vt *conuersio*, quia hæc est mutatio ex vnâ substantiâ in aliam; nego verò sequelam, si sumatur generatio vt est *mutatio* præcisè, de cuius ratione non est esse transitum ab vnâ formâ in aliam, sed à priuatione formæ in formam: in præsenti autem solùm loquimur de generatione, prout est mutatio; quare forma præcedens non annumeratur inter eius principia.

Quartò obiicies: Ergo saltem dispositiones accidentales se habebunt vt principium, quia per se requiruntur ad receptionem formæ. Negant nonnulli consequentiam, quia dispositiones se habent vt conditio, non verò vt principium, sicut approximatio respectu causæ. Sed hæc solutio non est sufficiens: quia licet dispositiones non efficiant ipsam formam, & quantum ad hoc sint conditio, non ideò excluduntur à ratione principij; sicut neque ipsa priuatio formæ efficit formam, & nihilominùs eò quòd prærequiritur, dicitur principium illius. idem ergo erit in dispo-
16 sitionibus. Tota hæc quæstio est de voce, nec magni momenti; ego ideò cum aliis dico, dispositiones non esse principium distinctum, quia reducuntur ad causam materialem; per illas enim constituitur materia apta ad receptionem formæ, ideoque sunt complementum materiæ. Neque hinc sequitur, priuationem reducendam ad causam materialem; priuatio enim non est dispositio aut complementum materiæ, sed præcisè terminus à quo.

Quintò obiicies: Generatio non est simul cum priuatione, ergo illam non potest intrinsecè respicere. Respondeo, generationem vt mutationem dicere duo, & priuationem præcedentem, & formam subsequentem, quorum quodlibet essentiale est mutationi, licet non sit vnum simul cum alio: sicut huic denominationi *prioris* vel *posterioris* est essentialis & intrinseca, vtraque existentia præcedens & subsequens; quod in aliis pluribus denominationibus contingit, præsertim quando illæ non sunt adæquatè de præsenti, sicut non est denominatio mutationis.

Sextò obiicies: Ergo etiam causa efficiens erit principium generationis, quia tam essentialiter illa requiritur ad generationem, quàm causa materialis, & tam hæc non componit generationem, quàm causa efficiens; ipsa enim generatio distinguitur & à causâ materiali & ab efficienti; ergo 17
æqualiter vna causa ac altera erit illius principium. Propter hoc argumentum dixi suprà, non benè à nonnullis explicari, principia intrinseca esse quæ componunt intrinsecè: vt sic enim, nec materia nec forma essent principia, quandoquidem non componunt generationem. Respondendum ergo est, esse principia: quia licet non componant generationem, sunt tamen illi intrinsecæ; nam generatio & recipitur in materiâ, & afficit intrinsecè formam. In quo differunt à causâ efficienti, quæ est purè extrinseca effectui. Ideò suprà dixi, principia in præsenti vsurpari vel pro parte componente, vel pro afficiente intrinsecè.

Pro complemento aduerte, quæ de generatione substantiali dicta sunt, dicenda etiam de generatione accidentali, variatis tantùm vocibus. Solùm est obseruandum discrimen, quod in sententiâ distinguente realiter potentias ab animâ, non in omnibus generationibus accidentalibus datur priuatio formæ, etiam in his quæ de facto accidunt: nam v.g. in generatione intellectus ex animâ, non præcedit priùs tempore anima sine intellectu, & consequenter numquam habet priuationem intellectus, (idem est in aliis potentiis & passionibus, quæ producuntur in eodem instanti, quo producitur forma, quæ est illarum subiectum;) in generationibus autem substantialibus, cùm substantiale subiectum, scilicet materia prima, tota producta fuerit à mundi exordio, inde fit vt ad omnes generationes substantiales, quæ eueniunt post primam, præcedat priuatio formæ introducendæ. Excipe tamen eas 18
generationes substantiales & miraculosas, quæ fiunt corruptis speciebus Sacramentalibus, in quibus generationibus simul producitur materia & forma substantialis, cùm primùm desinit esse Christus Dominus sub illis speciebus; ideoque in eis generationibus non præcedit priuatio formæ in materiâ. Verùm quia illæ non sunt naturales, nihil ex eis contra nostram doctrinam, quæ de naturalibus præcisè agit, licet inferre.

Rogabis, vtrùm omnia principia conueniant vniuocè an analogicè in ratione principij. Materia & forma conueniunt vniuocè, quia vtraque verè & realiter participat propriè rationem principij: si verò includatur priuatio, non conueniunt nisi summùm analogicè, quia enti & non

enti

enti nequit dari conceptus vniuocus, imò neque analogus, de quo alibi.

Circa principiorum oppositionem dicendum est, materiam & formam nullam inter se dicere oppositionem, sed mutuum potiùs respectum transscendentalem: deinde, materiam & formæ priuationem nullatenus opponi, quia materia potest habere priuationem formæ; formam autem & priuationem opponi contradictoriè. quæ omnia clarissima sunt.

DISPVTATIO SECVNDA.

De Materiâ primâ & Formâ.

EXPLICATIS principiis in communi, de illis in particulari agendum est: inter illa autem primò occurrit materia, quæ est primum entium principium, & quasi illorum fundamentum.

SECTIO I.

Sitne euidens lumine naturæ, dari in rebus Materiam primam.

1 NOMINE materiæ primæ intelligo, vt dixi suprà, subiectum commune formarum substantialium; quod idem maneat ante & post corruptionem hanc visibilem, quam experimur.

Recentiores nonnulli referunt quemdam Gomesium Pereiram, in suâ Antonianâ Margaritâ negantem omnino materiam primam; contra quem plura congeruntargumenta, quæ oportet examinare, ne rem certam incertis suadeamus rationibus.

Arguunt Primò: Quia sequeretur ex oppositâ sententiâ, non esse veneratione dignas Reliquias Sanctorum. si enim nihil, quod erat in Sanctis, manet post eorum mortem, sed sunt omnino noua entia posteà producta, vt quid eas veneraremur?

Secundò: Quia in triduo mortis Christi verè fuit in sepulchro aliqua Christi pars, non anima; ergo corpus; ergo Christus (idem est de aliis hominibus) componitur ex animâ rationali, & ex corpore seu materiâ primâ. Quod confirmant, quia aliqua accidentia hominis viui manent in mortuo: sed accidentia non mutant subiectum, ergo manet aliquod subiectum quod anteà erat, in quo sint ea accidentia; hoc autem nequit esse nisi materia prima.

2 Tertiò: Quia agens naturale non operatur nisi ex præsupposito subiecto; sed agens naturale producit formas substantiales (vt ostendemus) ergo datur subiectum seu materia prima, ex quo producuntur illæ formæ ab agente naturali.

Quartò: Si non esset materia, non darentur naturaliter desitiones entium, quia non essent necessariæ ad productionem noui entis; hoc enim non esset contrarium præcedenti, nam contrarietas est circa idem subiectum, quo cessante cessat etiam contrarietas.

Tandem: Quia superfluæ essent dispositiones, quibus agens naturale ignis v.g. disponit lignum; nam omnes illæ deberent cessare ex defectu subiecti in instanti, quo producitur in ligno ignis: ergo datur aliquod subiectum substantiale, componens cum formâ entia naturalia, quod præcipuè in homine concedendum videtur, quia cùm sit corporeus inadæquatè, debet vltra animam, quæ est spiritualis omnino, dari alia pars materialis; hæc autem est materia prima.

Hæc argumenta non vrgent Gomesium, multò aliter opinantem de entibus naturalibus quàm isti Auctores censeant: & quia, explicando huius Auctoris mentem, omnia argumenta soluuntur, ideò, præter meum morem, cuiuslibet solutionem ab ipso argumento separaui. 3

Fatetur ergo hic Auctor libentissimè, in homine (& idem est de aliis mixtis) vltra formam substantialem dari aliquod subiectum recipiens illam formam: neque enim tam amens erat hic Auctor, vt in homine & animantibus nihil aliud præter animam agnosceret, & post mortem illius nihil remanere doceret quod esset veneratione dignum in Sanctis, & in quo manerent plura accidentia, quæ priùs fuerant in homine viuo; putaretque, cadauera nihil esse reale, sed apparens & deludens sensus nostros, vel saltem nihil illorum anteà fuisse, quo satisfacit ferè omnibus argumentis in oppositum. Verùm in hoc recedit hic Auctor à verâ & receptâ sententiâ, quòd illud commune subiectum dicit non esse materiam primam, sed ex quatuor elementis vnitis & inter se permixtis putat coalescere. Elementa autem ipsa omnino adstruit simplicia, sicut nos materiam primam vel formam substantialem dicimus essentialiter simplicem. 4

Hanc opinionem videtur vrgere tertium argumentum suprà factum, quia in productione vnius elementi ex alio nullum præcedit subiectum; ergo saltem tunc ab agente naturali verè aliquid creabitur, scilicet elementum de nouo productum, quod omnino repugnat. Sed respondet Gomesius, falsum esse, nullam creaturam posse creare; nec facilè hanc solutionem redargues, vt infrà patebit.

Ad quartum, quo ostendebatur, non esse necessarias corruptiones entium, respondet, ideò eas requiri, vt detur locus nouo enti, quod non potest penetrari cum præcedenti. Denique quod inferebatur contra illum, scilicet, nullam qualitatem corrupti manere in genito, fatetur libenter; nec mirum, quia etiam Thomistæ, ponentes materiam primam, idem mordicùs defendunt.

Multa miscentur in solutione horum argumentorum, quæ pertinent ad alia loca, ideò ea in præsenti omittam: disputare enim, vtrùm agens naturale possit creare, pertinet ad secundum librũ, in quo de Creatione. Vtrùm autem omnia accidentia corrupti destruantur simul cum formâ substantiali, tractabitur infrà Disp. v. & Sect. 2. quibus reiectis in propria loca, 5

Impugno Primò prædictam opinionem: quia iuxta hunc Auctorem, saltem in generatione elementi, nihil corrupti manet in genito; ergo quando corpora Sanctorum cremantur, & conuertuntur in ignem, nihil manet quod anteà fuerat in Sanctis, ergo saltem tunc non erunt veneratione dignæ Reliquiæ Sanctorum, ergo iuxta hunc Auctorem errat Ecclesia in veneratione cinerum Sanctorum; quod affirmare, aperta est hæresis. Quod autem Ecclesia facit erga Sanctorum cineres, hoc faciunt omnes & gentiles erga suorum defunctorum cineres, quos custodiunt, & si sint virorum illustrium, in veneratione habent; ergo naturæ lumen docet, etiam in his conuersionibus elementaribus manere aliquod commune subiectum, quod sit materia prima. Posset fortè respondere, quando corpora comburuntur, & conuertuntur in ignem, manere saltem in eis eam partem quæ anteà in eo corpore erat ignis, exclusis aliis quæ ex reliquis elementis constituebantur, & iam sunt conuersæ in ignem, & ratione illius partis esse Sanctorum Reliquias veneratione dignas. Sed hæc solutio quàm sit improbabilis, inde patet, quia tunc non possemus meritò eas Reliquias venerari. Cùm enim solùm quarta pars esset Sanctorum, aliæ verò tres partes essent noua elementa, potiùs timendum omnino esset, ne dum venerari volumus Reliquias, veneraremur partem elementi. Contrà Secundò, Ergo si rursus illi cineres in terram conuertantur, desinente igne, nihil habebunt prorsus de antiquo corpore, quia pars illa ignea, quæ sola manserat, iam periit; in terrâ enim non est formaliter ignis.

6

Secundò impugno eamdem sententiam: Quia hoc commune subiectum, quod in homine & aliis mixtis admittit hic Auctor, nequeunt esse elementa permixta inter se. Quia vel illa elementa sunt penetrata inuicem, vel non. Si sunt penetrata, ergo minùs consequenter dicis, ad productionem ignis corrumpi lignum, vt ignis habeat locum vbi sit, eò quòd nequeat penetrari cum igne; in præsenti autem ponis ipsa elementa inter se penetrata, & consequenter ponis vnum corpus cum alio penetrari posse, quo corruit tua solutio. Si verò non sint penetrata, ergo vna pars hominis est solùm aqua v.g. alia solùm ignis, alia aër, & alia terra. cuius fallitas ipsis oculis cernitur: quis enim non videat, omnes partes ligni aut papyri esse omnino similes? Deinde, vbi est calor summus ignis in papyro, vbi summa humiditas aquæ, vbi subtilitas aëris, vbi siccitas terræ? Omnia elementa sunt secabilia inter se (excipe terram) & quæ facilè cedunt corporibus quantis, statimque reuniuntur: vnde hoc inuenies in adamante, vel silice, & in aliis mixtis; ergo hæc non constant formaliter elementis. Adde,

7

8

si hoc esset verum, ipsum compositum sibi paraturum perniciem: quia vna pars ageret in aliam, ignis v.g. in aërem, in aquam, & è contrario. Videmus vnam exiguam scintillam, in quocumque ferè corpore sit, statim extingui. Certè si in eo corpore esset quarta pars ignis, cur non ab eâ defenderetur, & ei adiungeretur? Quid quòd minima scintilla puluerem tormentarium in momento accendit? & tamen quarta pars ignis aut decima, quam ibi ponis in eodem puluere, formaliter vt partem ex quâ puluis ille componitur, tam quieta est ibi, & tam oblita actiuitatis suæ? Certè hinc, explicatis terminis, huius sententiæ improbabilitas deprehenditur. Prætereà si homo componitur non minùs ex aëre & igne, quàm ex terrâ & aquâ, cur est naturâ suâ grauis, & in terram decidit, & non potiùs fertur in aëra? sanè nullam poteris vel apparentem reddere rationem.

Denique, quia quando ex aliquo elemento generatur mixtum, nulla est causa quæ possit producere in illo mixto alia tria elementa. ignis v. g. conuertitur in carbones, quis produxit tunc in carbone formam aëris, aquæ & terræ, vt ex illis permixtis inter se mixtum, id est carbo resultaret? sanè nulla est excogitabilis causa, à quâ tam oppositæ entia simul producantur; ergo subiectum illud manens in eo mixto, non sunt ipsa elementa, sed aliquid ab ipsis distinctum, & quod manet in quacumque transmutatione; hoc autem nos dicimus materiam primam.

9

Quòd verò ipsa elementa verè composita sint ex aliquo subiecto communi, & ex formâ substantiali, facilè probatur: quia quando ignis conuertitur in terram, manet in terrâ multa accidentia quæ fuerant in igne, nimirum calor, qui est idem numero qui erat anteà, vt infrà ostendemus; ergo manet aliquod subiectum commune quod anteà fuerat. sed hoc non est forma ignis, quia hæc omnino periit, ergo ignis aliquid substantiale dicit vltra formam, hoc autem est materia prima. Neque quando vnum elementum transit in aliud, possunt dici manere partes aliorum elementorum, quæ in corrupto fuissent, quia in eo vnicum erat elementum, de quo nihil manet in alio, nisi detur commune subiectum.

10

Tandem idem solidiùs ostendo: quando ignis disponit lignum vt illud accendat, debet disponere per calorem illud passum (vt experientia ostendit) & in hoc diu hæret; ergo debet suas dispositiones in aliquod subiectum, in quo non est adhuc forma ignis, introducere, nam pars ignea iam eis non indiget, quia iam ibi est ignis; ergo eas introducit in alias partes, ergo in eis est aliquod subiectum quod eas recipiat & retineat in posterum, aliàs inutiliter producerentur: hoc autem non possunt esse alia tria elementa, quia hæc pereunt cùm generatur ignis, & consequenter omnia accidentia in eis recepta destruuntur; ergo est aliquod subiectum substantiale toti ligno commune, manens etiam posteà in igne, hoc autem est materia prima.

Idem posset aliis experientiis & rationibus suaderi, hæc tamen sufficiant ad probandum, contra hunc Auctorem, existentiam materiæ primæ, quo respondetur titulo Sectionis, scilicet, euidens esse naturæ lumine, dari in rebus materiam primam: cuius existentiâ probatâ, essentia & proprietates explanandæ sunt.

11

SECTIO II.

Materia prima est incorruptibilis.

PROBATVR hæc Conclusio communiter. Quia in tantum agentia naturalia corrumpunt formas, in quantum in ipsam materiam introducunt alias præcedentibus contrarias: sed in materiâ primâ nequeunt introduci dispositiones ipsi

ipsi contrariæ, materia enim est receptiua illarum omnium; si autem illæ essent contrariæ materiæ, non possent in illâ recipi, quia vnum contrarium nequit in alio recipi; ergo materia prima nequit destrui à naturalibus agentibus.

12 *Contrarium sui* voco, non quod est dissonum subiecto, quia in hoc sensu certum est, animam, Angelum, aliaque subiecta posse in se recipere contraria, neque hoc impugnat ratio facta. Voco ergo contrarium illud, quod est destructiuum subiecti: hoc autem nequit recipi in ipso subiecto, quia si peteret destructionem subiecti in quo est, peteret & suam, esseretque sibimet contrarium; quod repugnat; neque facile intelligitur, quomodo vnum accidens petat subiecti, in quo est, destructionem.

Dices Primò: Poterunt in formâ subiectari dispositiones contrariæ materiæ. Sed contrà, quia forma materialis pendet à materiâ; ergo dispositiones, quæ sunt contrariæ materiæ, erunt etiam contrariæ formæ; ergo non poterunt in formâ recipi. Quòd si forma sit spiritualis, & independens à materiâ, etiam ipsa materia est independens à formâ; vnde dispositiones, quæ sunt in formâ, non possunt nocere materiæ. Ratio à priori est, quia contrarietas est in ordine ad idem subiectum, è quo se inuicem pellunt contraria: materia autem non habet idem subiectum cum dispositionibus, imò nec diuersum, cùm ipsa sit primum omnium subiectum; ergo non potest esse contraria vllis dispositionibus, ergo nec per illas expelli.

13 Dices Secundò: Materia prima pendet à posteriori à formâ, ita vt sine aliquâ indeterminatè nequeat conseruari; ergo si agens naturale destruat omnes formas, poterit destruere materiam primam. Respondeo, ab agente naturali non posse destrui vnam formam sine productione alterius, quia destructio per se non intenditur à naturâ.

Sed vrgebis: Lux destruitur sine productione alterius formæ in eius locum, ergo poterunt destrui formæ substantiales, quin aliæ in earum locum introducantur. Nego consequentiam: disparitas est, quia lux deficit ex defectu conseruantis illam, scilicet solis, formæ autem substantiales (vt infrà dicemus) conseruantur à solo Deo, ideoque ex defectu conseruantis nequeunt deficere, solumque deficiunt ex aduentu contrarij.

Dices Tertiò, probari argumento facto, non posse materiam primam à causis creatis corrumpi, non verò non posse à Deo corrumpi: sicuti enim productio materiæ à solo Deo est naturalis, quia est iuxta exigentiam materiæ, cur etiam non erit destructio materiæ naturalis, licet fiat à solo
14 Deo? vel quia materia ex suâ naturâ petit non durare perpetuò, vel quia saltem id illi non repugnat naturaliter; sicut multi dicunt de habitibus voluntatis vel intellectus, posse corrumpi sine aduentu contrarij, & sine defectu causæ conseruantis, quia ipsi petunt solùm durare pro certo tempore. Fateor, hanc obiectionem conuincere, non esse tam certam perpetuitatem ipsius materiæ, sicut eius existentiam: nihilominus respondeo, admittendo, posse dari aliquod ens naturâ suâ exigens solùm pro certo tempore durare (vt Disputatione IV. de Animâ à numero 212. fusè probabo) nego tamen, talem esse materiam primam, tum quia nullâ ratione vel experientiâ id probatur: tum quia, cùm ipsa sit commune subiectum formarum substantialium, ad perpetuitatem naturæ oportebat, vt licet formæ variarentur, nihilominùs subiectum illas recipiens semper maneret, esseretque perpetuum, præsertim cùm ferè eadem ratio sit ad probandam materiæ perpetuitatem, quæ est ad animi rationalis & Angelorum. Ad instantiam de habitibus respondeo, 15
in illis experientiam cogere nos ad asserendum, eos esse ex se defectibiles, hanc autem experientiam deficere in materiâ primâ, ideò ab illis ad hanc non valere consequentiam.

SECTIO III.

An Materia prima sit potentia passiua formarum.

POTENTIA passiua, siue subiectum, idem est. Quæro ergo, cur materia prima sit potiùs potentia passiua, siue subiectum formæ, quàm è contrario: Hæc respectu materiæ, quandoquidem æqualiter inter se vniuntur.

Nonnulli quæstionem hanc impertinentem reputant, perinde ac si quæramus, cur lapis sit lapis, & homo homo. Verùm hi non videntur intellexisse sensum quæstionis: licet enim non possimus quærere, cur homo sit homo; possumus tamen dubitare, in quo consistat ratio & essentia hominis. Do ergo tibi, non posse à me quæri, 16
cur materia sit subiectum; potero saltem quærere, in quo consistat hæc ratio subiecti. Adde, quando alicui rei tribuitur prædicatum aliud, diuersum ab eo quod ipsum nomen rei significat, benè posse & debere quæri, cur ei tribuatur: non enim (vt dixi) possum quærere, cur homo sit homo, quia si iam supponis esse hominem, frustrà quæris cur sit; at potes quærere cur homo sit animal rationale, quia iam hic est diuersus conceptus ab eo qui formatur quando dicitur *homo*. Ita non possum quærere, cur materia sit materia; possum tamen, cur materiæ tribuatur ratio subiecti. Quam doctrinam obserua pro aliis similibus quæstionibus.

SVBSECTIO PRIMA.

Nonnullæ explicationes reiectæ.

QVÆSTIONI ergo P. Hurtadus Disput. & Sect. 2. cum nonnullis recentioribus respondet, ideò materiam dici subiectum, quia denominatur à formâ, & non è contrario. Sed 17
non satisfaciunt, Primò, quia non explicant mihi, quid speciale habeat materia propter quod denominetur à formâ, non autem forma à materiâ, & hoc ego inquiro. Secundò, quia ipsemet fatetur, potuisse ab hominibus dici *albedinem parietatam*, sicut materia dicitur alba; ergo quòd forma non denominetur à materiâ, prouenit ex voluntate hominum; at quòd materia sit subiectum albedinis, & non è contrario, non pendet ex voluntate hominum; ergo ratio subiecti non consistit in eo quòd denominetur. Confirmatur ad hominem: ipsi enim admittunt, à materiâ

perfici formam, quia etiam forma completur per materiam: sed id quod ab alio perficitur, accipit ab eo denominationem, quia ab eâ perfectione, accepta denominatio resultat; ergo etiam forma denominatur à materiâ; ergo ratio subiecti non consistit in hoc quòd denominetur, quandoquidem id etiam est formæ commune.

Ideò alij rationem subiecti in eo constituunt, quòd materia causet materialiter vel formas, vel saltem vnionem cum formâ, vt in homine, vbi quia anima ipsa causari non potest, saltem vnio causatur à materiâ. Sed faciliùs hi reiiciuntur. Primò, quia in homine vnio (vt infrà ostendam) etiam ab animâ rationali causatur; ergo ibi tam anima esset subiectum materiæ, quàm è contra-
18 rio. Secundò, quia ratio subiecti non pendet ab eo quòd vnio in solâ materiâ ponatur (nam & apud negantes vnionem mediam distinctam, & apud ponentes eam in vtroque extremo, imò & apud eos qui illam in solâ formâ constituunt, inter quos est P. Suarez, adhuc anima rationalis est forma corporis, & non è contrariò) ergo ratio subiecti non consistit in causalitate vnionis. Tertiò committunt hîc manifestum circulum: dum enim infrà quærunt, Vbi recipienda est vnio? dicunt, In solâ materiâ, eò quòd hæc est subiectum formæ, & consequenter debet illa sola esse subiectum vnionis. neque aliam habent eius conclusionis probationem, sed nec possunt habere; iam verò hîc ideò dicunt eam esse subiectum, quia recipit vnionem.

Posset hæc sententia etiam impugnari, eò quòd in continuo vtraque pars recipit vnionem, & tamen non ideò vna pars est subiectum alterius.
19 Sed huic impugnationi non multùm fiderem, quia responderent aduersarij, illam esse formam quæ non recipit in se vnionem: cumque in continuo vtraque pars recipiat vnionem, neutra poterit esse forma respectu alterius, & consequenter nec vna subiectum respectu alterius (vt inferebat obiectio) sed vtramque esse subiectum respectu vnionis quam causant, quod absolutè verum est.

Tertiò alij ideò dicunt materiam esse subiectum, quia perficitur à formâ. Sed Primò hi etiam non respondent quæstioni. quæro enim, quid speciale sit in materiâ, ratione cuius perficiatur à formâ, & non è contrario, quandoquidem ambæ inter se æqualiter vniuntur, ambæ in se sunt incompletæ. Secundò, quia multa subiecta non perficiuntur, sed potiùs defœdantur aliquibus formis, intellectus v.g. errore, voluntas peccato, aqua calore, & in vniuersum omnia subiecta per formas contrarias. Tertiò, quia etiam forma perficitur à materiâ: compleri enim in suo esse & perfici, idem omnino est; nec aliter materia perficitur per formam, quàm dum per illam completur; ergo ratio subiecti non consistit in eo præcisè quòd perficiatur.
20 Tandem alij dicunt, subiectũ illud esse, quod de se indifferens est ad hanc vel illam formam, determinatur verò per ipsam formam: materia prima v.g. est de se indifferens ad animam rationalem, ad formam equi, leonis, &c. per ipsam autem animam determinatur illa indifferentia, ac per illam constituitur in esse hominis potiùs, quàm leonis; ideò materia dicitur subiectum, anima verò forma.

Nonnulli hanc sententiâ impugnant, eò quòd Angelus v.g. est determinatus ad suam subsistentiâ, & tamen etiam respectu illius est subiectum; ergo ratio subiecti non consistit in eâ indeterminatione. Sed hæc impugnatio non admodum videtur vrgere, Primò, quia Angelus est indifferens ad hanc vel illam subsistentiam saltem numero distinctam, illæ autem subsistentiæ è contrario omnes dicunt ordinem ad idem numero subiectum, id est ad eumdem numero Angelum, sicut hic homo est indifferens vt per hanc vel per illam actionem producatur; illæ verò actiones omnes solùm hunc numero hominem respiciunt. Secundò (ne for- 21
tè mihi dicas, eas subsistentias esse etiam indifferentes ad plures numero distinctos Angelos) respondeo, Angelum de se esse indifferentem ad multas formas, seu varias denominationes (est enim indifferens, vt per subsistentiam reddatur subsistens, per vbicationem vbicatus, per amorem amans, per cognitionem cognoscens) quælibet autem ex his formis tantùm est determinata ad vnum effectum, nam cognitio non potest constituere nisi cognoscens, vbicatio nisi vbicatum, & sic de aliis; & propterea (respondebant aduersarij) Angelus dicitur subiectum indifferens, subsistentia verò dicitur forma determinata ac determinans.

Efficaciùs ergo reiicio hanc sententiam, quia potest esse aliqua forma, quæ ex se sit indifferens ad plura subiecta. exempli causâ, gratia habitualis supernaturalis est de se indifferens ad homines & omnes Angelos, quantumcumque inter se specie distinctos; ergo ea gratia non magis erit forma Angeli, quàm è contrario, si ratio formæ in determinatione consistat. Imò addo, fortasse 22
has formas materiales, quæ de facto dantur, esse indifferentes ad plures materias specie diuersas; nec repugnare videtur aliqua materia determinata ad vnicam formam (vt multi sentiunt de materiâ cælesti) ergo ibi tam ea materia erit forma, quàm ipsamet forma; & hæc tam erit subiectum, quàm ipsa materia.

SVBSECTIO SECVNDA.

Vera sententia proponitur.

RES hæc difficilior est, quàm fortè aliqui cogitarunt; & vix video quid possit benè responderi; vel in quo non petatur principium, vel quod non possit facilè oppugnari. Pro solutione tamen aduerte, quæstionem non esse in quo consistat ratio subiecti sustentationis, aut inhæsionis; hoc enim consistit in eo, quòd ab intrinseco causet formam (de quo fusiùs infrà) sed in explicando subiecto informationis, quod non pendet à causalitate intrinsecâ; vt patet in homine, vbi corpus informatur ab animâ, non tamen illam vel causat, vel sustentat. Hoc autem subiectum informationis, solet etiam dici subiectum receptionis. Hoc posito,

Dico, quando duo ita inter se vniuntur, vt v- 23
num se habeat quasi antecedenter, aut præuisè ad aliud, aliud verò ei superueniat; id quod antecedit, dicitur recipere & subiici, quod verò superuenit, dicitur recipi & complere. quod & vox ipsa *subiectum* denotat, significat enim id quod

est

est sub alio; ideò fundamenta à quibus incipit primò domus, subiacent toti ædificio. At in rebus Physicis *esse sub alio* non potest intelligi, quasi debeat in inferiori loco esse subiectum, forma verò in superiori; intelligendum ergo id est de subiectione, quasi ab eo incipiat compositum, compleatur verò per formam aduenientem, & subiectum sit quasi basis & fundamentum compositi.

Hinc facilè explicatur, cur materia prima sit subiectum omnium formarum, & non è contrario (& hæc sit PRIMA CONCLVSIO) quia scilicet præsupponitur priùs naturâ ad omnes formas imò ad rationalem etiam, non verò è contrario. Item formæ ipsæ sunt subiectum suarum passionum, quia etiam eis sunt naturâ priores. Partes item integrantes respectu vnionis, quia ad eam præsupponuntur; non verò inter se, quia vna non præsupponit per se priùs naturâ alteram.

24 Vnam tamen contra hanc doctrinam grauem video difficultatem, desumptam ex actione creatiuâ, quæ distinguitur à termino, illumque informat, non tamen est posterior illo, sed potiùs prior; ergo ratio subiecti non consistit in hoc quòd priùs naturâ præcedat suam formam. Idem argumentum posset fieri, si existentia ab essentiâ distingueretur, tunc enim existentia, quæ esset prior, informaret essentiam. Posset etiam fieri in dispositionibus, quæ cùm præcedant formam, adhuc recipiuntur in illâ vt in subiecto, ipsæ verò non sunt subiectum formæ. Quoad existentiam & dispositiones facilè me expedirem: ego enim nec admitto distinctionem existentiæ ab essentiâ, neque concedo dispositiones recipi in formâ ad quam disponũt. Quoad creationem verò qui eam negant distinctam, facilè euadent. Difficultas est in meis principijs, in quibus ea distinguitur.

Adhuc tamen respondeo, rem creatam non esse propriè subiectum receptionis respectu creationis; dici verò subiectum adhæsionis, quatenus adhæret illi: *adhærere* verò significat ita esse illi vnitam, vt quo res creata mouetur, illuc & actio moueatur, ibi vbicetur vbi res creata; idque fiat
25 ad vbicationem illius, & non è contrario. Similiter, vt creatio non possit nec diuinitus esse sine hoc termino, terminus verò potuerit esse sine hac creatione, per aliam ab hac vel numero vel specie distinctam. Quòd si creationem nolueris vocare formam, sed terminum intrinsecum, non tecum contendam, & tunc clariùs respondebitur obiectioni factæ. Quid autem, sit terminus intrinsecus, dicam infrà Disputatione IV. à numero 112.

SECVNDA CONCLVSIO. Materia prima respectu formarum materialium est etiam subiectum sustentationis, quia (vt infrà dicam Disputatione III. à numero 29.) formæ materiales causantur verè & realiter à materiâ, non autem è contrario; est ergo subiectum sustentationis illarum.

TERTIA CONCLVSIO. Vtraque ratio subiecti est essentialis materiæ primæ, non quidem in esse actualis sustentationis aut receptionis, quia benè potest materia existere, quin actu sustentet vel recipiat formam; sed in esse possibili, hoc est, illi est essentiale, posse recipere & causare formas.
26 Probatur facilè ratione communi omnibus principiis & causis creatis, quæ essentialiter respiciunt suos effectus, ad eosque dicunt ordinem transcendentalem non solùm in communi, sed etiam in particulari ad quemlibet determinatè, ita vt vel vnius possibilitate deficiente, deficeret etiam causa, de quo vide infrà Disput. VII. à num. 21.

Nunc autem ita breuiter probo in materiâ primâ: quia hoc quod est posse recipere hanc numero formam, est aliquid indistinctum à materiâ; sed hoc deficeret, si esset impossibilis hæc numero forma, ergo deficeret aliquid idemtificatum cum materiâ, ergo & tota materia.

Sed contrà obiicies: Ergo materia prima respicit infinitas formas substantiales, quas diuisiuè potest habere; ergo Angelus comprehendens materiam, cognoscet illas infinitas formas, quod videtur absurdum. Hoc argumentum commune est aliis rebus; quia etiam potentia visiua & intellectiua dicunt ordinem ad infinita obiecta mediis actibus: quòd si in his conceditur, ex comprehensione illarum debere cognosci illa infinita obiecta, concedatur idem in materiâ primâ respectu formarum; si verò negetur, necessarium esse cognosci ea omnia ad quæ dicit ordinem intellectus, negetur etiam in materiâ primâ. Quid autem in vtroque casu dicendum sit, non est huius loci.

SVBSECTIO TERTIA.

An Materia prima immediatè recipiat & causet formam.

QVARTA CONCLVSIO. Materia prima non 27
vnitur formæ substantiali mediâ aliâ potentiâ, ab ipsâ materiâ distinctâ, sed immediatè in se recipit formam. Hæc est contra Commentatorem & Themistium apud P. Suarez Disputat. 17. Metaph. sectione 8. num. 3. Addunt nonnulli, etiam esse contra P. Toletum lib. 1. Physic. quæst. 12. notat. 1. Sed ibi nec verbum pro hac opinione habet: imò quæst. 14. expressè est pro nostrâ Conclusione, quam defendunt D. Thomas, Henricus Gandauensis, Heruæus, Ægidius, & alij apud Conimbricenses lib. 1. cap. 9. quæst. 3. estque communis inter recentiores, & probatur facilè. Quia vel potentia illa media est accidentalis, vel substantialis. Si substantialis, cur sicut ea vnitur immediatè cum materiâ, non vnitur etiam forma substantialis? Nec potest dici ipsam potentiam vniri mediâ aliâ, quia de illâ redibit idem argumentum, & vel procedetur in infinitum, vel sistetur in aliquâ potentiâ substantiali se ipsâ immediatè vnita cum materiâ. Si verò di- 28
cas, eam esse accidentalem, facilè reiicieris: quia si materia, cùm sit substantia, nequit immediatè recipere aliam substantiam, multò minùs illa potentia id poterit, cùm sit accidentalis. Deinde sequeretur, nullum compositum esse substantiale, sed accidentale; omnia enim constarent aliquâ parte & vnione accidentali, scilicet eâ potentiâ mediâ quam tu ponis; ad rationem autem compositi accidentalis absolutè sufficit, vnam partem esse accidens, licet altera sit substantia, vt patet in albo, calido, & ceteris quæ sunt composita accidentalia, licet materia sit substantia, eo præcisè quòd calor & albedo sunt accidentia. Et ratio est, quia malum ex quocumque defectu, ideoque

ab

ab vnâ parte accidentali, absolutè totum dicitur accidentale. Addo, nullam tunc futuram vnionem substantialem, quia vnio potentiæ cum materiâ esset accidentalis ab ipsâ potentiâ, à quâ etiam esset accidentalis vnio potentiæ cum formâ. Secundò sequeretur, in homine vltra animam & corpus aliquid aliud dari, quo componeretur homo, contra omnes Philosophos, & contra Athanasij Symbolum, *sicut anima rationalis & caro vnus est homo*, igitur concedenda est immediata vnio inter materiam & formam substantialem.

29 QVINTA CONCLVSIO. Materia prima etiam immediatè causat formas materiales substantiales. Probatur à nonnullis, quia materia causat formam per vnionem, sed vnio est immediata, vt patet ex dictis suprà, ergo etiam causalitas. Verùm hoc argumentum non vrget; quia infrà ostendemus, vnionem realiter distingui à causalitate. posset ergo esse causalitas mediata, licet vnio immediata foret. Meliùs ergo probatur Conclusio, quia in composito substantiali, v. g. equo, nec datur potentia aliqua media accidentalis, nec substantialis, ergo materia per se immediatè causat formam. Probo Antecedens: quia si ea potentia est substantialis, cùm ea causetur immediatè à materiâ, cur non causabuntur aliæ formæ substantiales? Si verò ea potentia est accidentalis, multò minorem habebit proportionem vt immediatè causet formas, quàm habeat ipsa materia, quæ est substantia: ad quid ergo ea potentia debet fingi? Dices, hoc argumento nimium probari; quia pari ratione videtur conuinci, neque ignem producere alium ignem medio calore, quod tamen apertè falsum est. Ego concedo sequelam, nego tamen consequens esse falsum: imò hinc, Deo duce, alibi reiiciam negantes, substantiam esse immediatè operatiuam.

30 Aliter huic obiectioni respondent recentiores negando sequelam. Disparitatem assignant inter materiam respectu formæ substantialis, & ignem respectu alterius ignis, quod ex igne producente & producto non resultat vnum per se, ideoque potest intercedere virtus accidentalis quâ ignis operetur: at ex materiâ & formâ causatâ resultat vnum per se, quod non relinquit locum formæ accidentali mediæ. Sed hæc differentia ab his assignata non est ad rem: nam licet ex materiâ & formâ vt vnitis resultet vnum per se, ideoque non posse ad eam vnionem intercedere formam aliquam accidentalem certum sit, vt probaui num. 28. quod solum conuincit recentiorum discursus; at ex materiâ vt causante formam non resultat vnum per se, quod verum est, etiam in sententiâ horum & communi, distinguente causalitatem materiæ ab vnione; ergo licet materia vt causaret formam indigeret potentiâ accidentali distinctâ, dummodò immediatè vniretur formæ substantiali, posset perfectissimè constituere vnum per se.

31 Meliùs ergo posset secundò negari obiectionis consequentia: quia si in materiâ admittatur potentia media necessaria ad causandum materialiter formam, debet illa eadem potentia causari materialiter à materiâ, & consequenter iam conceditur materiæ virtus causandi materialiter immediatè: eâ autem semel concessâ, non est vlla ratio cur illi negetur in ordine ad formam substantialem, sicut suprà argumentabar in ordine ad vnionem. At qui dicunt, ignem medio calore producere alium ignem, fundantur in eo, quòd putent substantiam non esse immediatè operatiuam, ideoque etiam negant ipsum proprium calorem ab igne effectiuè produci. vnde non possunt arguere à causalitate effectiuâ immediatâ, quæ substantiæ negatur, ad negandam etiam illi immediatam causalitatem materialem in formam.

Obiicies Primò contra Conclusionem: Si potentia ad recipiendum formas non esset distincta, sequeretur, materiam primam etiam nunc habere potentiam ad formas corruptas, & consequenter non esse miraculosam earum reproductionem; hoc autem est contra communem omnium sententiam, ergo materia amisit potentiam ad formas corruptas, ergo illa potentia est distincta à materiâ. Hoc argumentum vrget aduersarios, quia materia prima habet potentiam secum idemtificatam, saltem ad ipsam potentiam proximam receptiuam formarum corruptarum, quam illi ponunt. Vel ergo hanc mediatam potentiam amisit materia, vel non. Si eam amisit, licet non esset distincta, dic idem de potentiâ immediatâ ad formas: si verò dicas, eam non fuisse amissam, ergo manet in materiâ potentia ad recipiendam alteram potentiam proximam, & hac potentiâ obtentâ, ad recipiendam rursus ipsam formam corruptam; ergo de primo ad vltimum manet in materiâ primâ potentia & virtus ad formas corruptas iterùm habendas; ergo difficultas hæc de impotentiâ ad reproductionem, independens est ab eo quòd materia sit mediatè vel immediatè receptiua. Secundò premuntur hi proprio argumento, nam in causis efficientibus tenentur illud soluere: hic enim calor & ignis A, v. g. ex se sunt productiui sine potentiâ distinctâ alterius ignis B. & tamen hoc iam semel producto & corrupto, quantumuis maneat idem ignis & calor producens, non possunt reproducere ignem A. ergo licet maneat materia prima cum potentiâ immediatè receptiuâ alicuius formæ, poterit ex aliquo accidenti impediri ne illam recipiat. Pro solutione lege Sectionem 5. 32

Obiicies Secundò: Materia prima respicit omnes formas æqualiter, ergo debet habere aliquam potentiam, quâ determinetur potiùs ad hanc quàm ad illam. Hoc argumentum militat tam benè contra aduersarios, ac contra nos; quia materia prima de se est indifferens ad omnes potentias proximas receptiuas formarum substantialium, ergo debet habere aliam quâ determinetur ad hanc potentiam, & sic procedetur in infinitum, quod est absurdum. Ergo sicut hîc respondebis, & benè, indifferentiam materiæ ad plures potentias determinari ad hanc in particulari, sine aliâ potentiâ præuiâ; ita ego dicam, materiam determinari ad hanc formam sine præuiâ potentiâ, sed per ipsam formã. Sicut causæ efficientes determinantur ad hunc effectum potiùs quàm alium, non per potentiam determinatam ad hunc, sed per ipsum effectum formaliter, vel per actionem; ita materia prima determinatur per hanc numero formam formaliter ad ipsam numero formam, efficienter verò determinatur ab agente naturali, à quo producitur illa forma, 33

forma, dispositiuè verò per qualitates productas ab ipso agente.

34 VLTIMA CONCLVSIO. Materia prima etiam immediatè sustentat multa accidentia, & cum illis immediatè vnitur: nam vbicatio, duratio, quantitas, si distinguantur, immediatè recipiuntur in materiâ, & sustentantur ab illâ, de quo fusiùs in propriis locis.

SVBSECTIO QVARTA.

An potentia immediata Materiæ erga formas sit ratione saltem ab eâ distincta.

DISPVTATVR autem hîc à nonnullis fusè, an saltem ratione nostrâ distinguatur in materiâ primâ ratio potentiæ proximæ ad formas. Pro hac potentiâ ratione distinctâ possent hi Doctores distinguere in materiâ duplicem potentiam ratione nostrâ: vnam remotam, & in hac constituere etiam ratione nostrâ essentiam materiæ primæ; ita hominis natura consistit in radicali potentiâ discurrendi. Sicut autem, hoc non obstante, in homine virtus proxima intelligendi (quam intellectum dicimus) in Thomisticâ sententiâ realiter, in Nominalium verò ratione nostrâ, ab animâ & essentiâ hominis distinguitur; ita in materiâ primâ virtus proxima formas recipiendi distinguitur, non quidem realiter (vt ex dictis Subsectione 3. suppono) sed ratione nostrâ. Hæc videntur quidem satis clara, adhuc tamen paulò ampliùs hîc oportet hærere; nam
35 contra talem potentiam fortè quis sic argueret: Potentia radicalis seu remota non potest concipi nisi in ordine ad potentiam proximam, vt per se manifestum est: quomodo autem potest intellectus concipere potentiam proximam & remotam, si nullum habet fundamentum ad eas distinguendas? priùs autem debet eas ratione distinguere, vt sic possit dicere vnam remotam, aliam proximam. Quòd autem non sit fundamentum ad eam distinctionem ratione nostrâ, probo manifestè: nam inprimis terminus cum quo comparatur ea potentia, non est nisi vnicus; ergo ratione terminorum non est fundamentum ad distinguendas duas. Ex parte subiecti etiam nullum est fundamentum, quia eadem est materia.

Dices, illud esse fundamentum, quòd potentia vna respicit formas immediatè, altera mediatè. Sed contrà euidenter: quia quando dicis *vna mediatè, altera immediatè*, iam supponis vnam & alteram, vt suprà dixi; iam ergo supponis tuam Conclusionem, quam ego impugno, nec das mihi vllam rationem pro illâ.

36 Dices adhuc: Semper est in meâ potestate, comparare causam aliquam mediatè vel immediatè cum suo effectu; ergo idem potero facere in materiâ primâ respectu formæ. Sed nego Antecedens; imò ex contrario Antecedenti impugno tursus eam potentiam remotam. Non enim possum causam mediatè cum effectu comparare, nisi quando verè datur aliquod medium: omnis enim mediata comparatio supponit iam medium; quod si non detur, erit immediata. Aliàs esset mihi liberum, in ipso intellectu distincto v g. adhuc concipere duas virtutes, seu respectus ad intellectionem ratione distinctas, & ibi etiam duas potentias ratione distinctas concipere, imò & in infinitum eas potentias ratione distinguere, quod omnino falsum est.

Nihilominùs tamen puto adhuc eam distinctionem potentiæ proximæ posse sustineri, quam ego ita explico, reddendo rationem, cur in suprapositio exemplo de animâ rationali locum habeat ea duplex potentia, & inde transferendo doctrinam ad materiam. Dico ergo, ibi ideò concipi 37
posse duas potentias ratione nostrâ distinctas, vnam radicalem, proximam aliam, quia in animo concipio duos influxus in intellectionem; vnum quem haberet, si indigeret potentiis distinctis, & quem illi tribuunt multi qui potentias distinguunt (& nos etiam putamus tribuendum, si distinguerentur potentiæ, vt dicam suo loco;) & ratione istius dico, me concipere illam vt essentiam & remotè respicientem actus: alium etiam influxum in eâ à nobis concipi æquiualentem illi, quem haberet potentia distincta, quam Thomistæ ponunt, & ratione istius concipio in iliâ animæ potentiam proximam. Quæ duo clariùs concipiuntur, si aliquam animam concipiam, quę potentiis distinctis vteretur: tunc enim per comparationem ad eas potentias distinctas concipio in hac nostrâ animâ rationem potentiæ proximæ; per comparationem verò ad eam animam vtentem potentiis, concipio in nostrâ rationem remotæ potentiæ seu essentiæ, nostra enim æquialet illis duabus, nempe illi animæ, quæ esset potentia remota, & illis potentiis proximis.

Hinc iam affulget clara explicatio præsentis 38
difficultatis. Possum enim in materiâ primâ concipere æquiualentiam vni alteri materiæ, quæ ad causandas & recipiendas formas indigeret consortio potentiæ alterius distinctæ (siue substantialis ea esset, siue accidentalis, hoc enim ad punctum præsens parum conducit) & comparata nostra materia cum illa possibili, dicitur potentia remota & radicalis formarum; sicut & illa cui comparatur verè foret remota. Comparata verò cum potentiâ proximâ illius materiæ, quandoquidem nostra illi potentiæ etiam æquialet, dici potest potentia proxima. Ergo quia nostra materia habet realiter, quod & potentia remota & proxima haberent, inuenit intellectus noster fundamentum, ad distinguendos in eâ duos conceptus, proximæ & remotæ. Quo manet tota quæstio explicata, & rationi dubitandi satisfactum, dum iam assignantur duo termini in ordine ad quos possimus concipere eam duplicem rationem potentiæ. Vnde concludo, sicut in animâ rationali, posse proximè intelligere, est accidens Metaphysicum; ita in materiâ eam potentiam proximam, esse etiam Metaphysicum accidens: quod, supposità distinctione illius duplicis potentiæ in ordine ad ea diuersa connotata, vti eam clarè explicuimus, non videtur habere vllam difficultatem.

Dices: Non potest concipi materia vlla prima 39
vnita formæ mediâ potentiâ distincta, eo enim ipso non faceret vnum per se cum eâ formâ, quia non vnirentur immediatè; ergo non potest dari fundamentum ad distinguendas in eâ duas eas potentias. Patet consequentia, quia hoc fundamentum desumitur, vt dixi, ex distinctione realis talis potentiæ in aliâ possibili materiâ; ergo si hæc distinctio omnino repugnat, cessabit prorsus fundamentum.

damentum. Respondeo Primùm (quidquid sit de potentiâ receptiuâ) saltem in causatiuâ obiectionem non habere locum : vt enim materia causet formas, benè posset indigere potentiâ mediâ. Secundò, etiam circa receptionem posse & concipi & esse vnam materiam, quæ non posset recipere formas, nisi adiuta aliquâ potentiâ substantiali, simul recipiente cum ipsâ materiâ immediatè ceteras formas; quo casu procul dubiò fieret vnum per se ex eâ materiâ & formis. Imò etiamsi non immediatè vniretur cum illis formis, sed interueniente eâ potentiâ, adhuc posset resultare ex omnibus tribus vnum per se.

Aduerto hîc, posse potentiam proximam recipiendi formas, in quodam sensu etiam realiter dici distinctam ab ipsâ materiâ, quatenus potentia proxima, v. g. ad formam ignis, dicit iam materiam dispositam calore & frigoris expulsione, quæ dispositiones quodammodò complent materiam, vt proximè recipiat. Similiter etiam requiritur præsentia effectiui agentis, à quo debet produci ea forma. In præsenti autem non loquimur de istis extrinsecis conditionibus, sed de principio immediatè influente & recipiente materiæ, quod Subsectione 3. ostendi non distingui realiter; iam verò declaraui quo modo ratione distinguatur.

SECTIO IV.

De appetitu Materiæ ad formam.

PER *appetitum* intelligo innatam potentiam ad aliquid, vt ad bonum proportionatum & naturale. Ex quo Primò infero, aquam non habere appetitum ad calorem (licet naturaliter illum possit habere) quia non est eius bonum. Secundò, nec intellectum respectu actuum supernaturalium, quia licet sint perfectio intellectus, non sunt tamen illi naturales. Quando ergo quærimus, detúrne in materiâ appetitus ad formas, duo quærimus: primum, an formæ sint perfectio materiæ; secundum, an possint naturaliter obtineri à materiâ. Sumitur autem nomen *appetitus naturalis* ex Metaphorâ ad appetitum elicitum à voluntate, qui est actus, quo voluntas desiderat id quod apprehendit vt bonum sibi: qui potest esse duplex, vel per modum desiderij, & hic solùm est ad res absentes; vel per modum simplicis complacentiæ, quia complacet voluntas in bono, siue absenti siue præsenti. Hoc posito,

SVBSECTIO PRIMA.

Nostra sententia.

PRIMA CONCLVSIO. Materia prima non potest habere appetitum, naturaliter loquendo, respectu formæ substantialis (de quâ in præsenti loquimur) per modum desiderij. Patet, quia naturaliter non potest carere formâ, ergo illam non potest respicere vt absentem, ergo nec desiderare.

Dices: Non desiderabit materia prima eam quam habet, sed alias quas non habet, præsertim si sunt perfectiores: cur enim materia lapidis non desiderabit formam rationalem, quæ valdè excedit formam lapidis?

Pro solutione huius obiectionis aduerte, materiam primam non appetere vllam formam substantialem determinate, sed disiunctiuè hanc vel illam. Ratio à priori est, quia ideò forma appetitur à materiâ, quia complet substantialiter ipsam materiam de se incompletam; sed quæcumque forma substantialis, siue hæc siue illa, perfectè complet substantialiter materiam primam, ergo huius appetitus quacumque formâ substantiali satiatur, ergo nullam in particulari appetit. Quòd autem aliæ sint aliis perfectiores, non efficit eas diuersimodè appeti à materiâ: nam maior perfectio habet se omnino per accidens in ordine ad complementum substantiale materiæ. Confirmatur à posteriori: quia si materia in particulari appeteret formam perfectiorem, appeteret etiam destructionem propriæ formæ (si non esset rationalis) quod est absurdum. quis enim dicet, materiam primam esse violentam sub formâ equi, appetereque equi destructionem, quæ requiritur, ad receptionem formæ rationalis, quam appetit per se in particulari vt formâ equi perfectiorem? ergo materia prima non appetit per modum desiderij aliquam formam in particulari determinatè, sed aliquam disiunctiuè. Vnde patet, vt absens sit à materiâ quod ipsa appetit, debere illam esse sine vllâ formâ: hoc autem est impossibile naturaliter, ergo & quòd habeat appetitum per modum desiderij; quo manet satisfactum obiectioni. Nego enim, ad appetitum per modum desiderij sufficere absentiam alicuius formæ etiam perfectioris, si tunc habeat aliam. Dixi *naturaliter*, quia per miraculum potest esse sine vllâ formâ, quo casu rectè posset esse appetitus ad formam per modum desiderij.

Ex hac Conclusione sequitur, multò minùs materiam habere desiderium respectu omnium formarum collectiuè, cùm sit naturaliter impossibile, habere simul non solùm omnes, sed nec duas. loquor de substantialibus.

SECVNDA CONCLVSIO. Materia prima habet appetitum per modum simplicis complacentiæ respectu omnium formarum determinatè. Patet, quia omnes formæ determinatæ, vt tales, sunt bonum materiæ, & potest illas naturaliter recipere. Loquor autem in hac Conclusione non de omnibus collectiuè, sed diuisiuè, & abstrahendo ab eo quòd forma extiterit, vel non.

TERTIA CONCLVSIO. Materia prima non appetit formas corruptas. Hæc est communis inter Doctores; negant tamen illam nonnulli recentiores. Probatur facilè, quia appetitus (vt suprà explicuimus) est inclinatio ad bonum naturaliter possibile: sed reproductio formæ corruptæ est impossibilis naturaliter, ergo non datur appetitus ad eam reproductionem. Consequentia est euidens. Maior est definitio ipsa appetitus. Minor probatur Primò ex Aristotele, docente, à priuatione ad habitum non esse regressum; qui non poterit ab aduersariis explicari, quasi docuerit id prouenire ex liberâ voluntate diuinâ. quid enim illa de decretis diuinis sciebat? & quomodo eam voluntatem liberam generet, qui Deum ex necessitate naturæ operari putabat? ergo quia sensit, ab ipsâ rei naturâ eam impossibilitatem oriri.

Ratio-

45 Ratione à nonnullis probatur, quia resurrectio mortuorum est miraculosa (vt ipsum lumen naturæ dictat) non ob aliam causam, nisi quia est reproductio rei anteà corruptæ; ergo naturaliter nequit forma corrupta reproduci. Non vrget hoc argumentum: quia fortassis in hominis resurrectione nihil reproducitur. Non quidem anima, quia non perierat; neque corpus, ob eamdem rationem. Vnio autem animæ & corporis fortasse non est eadem numero quæ anteà, imò, etsi sit eadem, id tamen à nobis nequit cognosci; ergo resurrectio mortuorum non apparet nobis miraculosa propter reproductionem rei corruptæ, sed quia fit sine semine viri & fœminæ, extra vterum maternum, sine dispositionibus naturaliter præuiis, & quia expelluntur formæ contrariæ sine vllâ causâ naturali. Quod confirmo clarè: quia si in corpore equi mortui produceretur forma aliqua equi, etiamsi non eadem numero quæ corrupta fuerat, sed alia, noua, adhuc illa resurrectio equi esset miraculosa, & non propter reproductionem (vt supponimus) ergo nec propter reproductionem resurrectio hominis miraculosa erit.

46 Secundò alij probant Conclusionem, quia quod numquam fit, videtur reducendum in naturæ repugnantiam; at numquàm reproducitur forma corrupta, ergo quia id repugnat ex naturâ rei. Falsa est Maior: multa enim sunt possibilia naturaliter, quæ numquam existent. Minor verò est valdè dubia. vnde enim possunt hi Auctores scire, calorem quem hodie sentiunt non esse eumdem numero quem heri sensere vel ipsi vel alij homines. quod idem de frigore, de formâ ignis, &c. dici potest.

Thomistæ recurrunt in præsenti ad indiuiduationem rerum: quia enim (inquiunt) quælibet res indiuiduatur ex circumstantiis temporis, loci, &c. inde fit, vt naturaliter nequeat res eadem, hoc tempore & loco producta, iterùm posteà tempore alio produci, & consequenter nec reproduci. Suppositio falsa est, de quâ in Metaphysicâ: ex eâ autem sequitur, non solùm naturaliter, sed nec diuinitus posse eamdem numero rem reproduci, quod aduersarij non concedunt,
47 & meritò. Sequela verò probatur euidenter, quia nec Deus potest facere vt sit eadem numero res sine eadem numero indiuiduatione (vt ex se patet) ergo cùm tempus hoc, locus hic, sit indiuiduatio huius numero formæ v. g. non poterit Deus nec diuinitus alio tempore & loco eamdem numero rem producere, non ergo poterit resuscitare eumdem numero hominem, cum eadem numero vnione, accidentibus, &c. quod quàm sit tutum dicere, ipsi viderint.

Aliunde igitur probanda est illa Minor: quia scilicet natura ipsa exigit, propter sui pulchritudinem (quæ maximè in varietate consistit) ne formæ semel corruptæ iterùm reproducantur, sed aliæ distinctæ; quare quæ semel producta est, manet impossibilis naturaliter. Hæc est probabilis ratio pro communi sententiâ; quam si aliquis vellet negare, non facilè posset redargui. ideò hanc sententiam solùm vt probabilem defendo, nec volo illam certiorem facere quàm sit.

SVBSECTIO SECVNDA.

Obiectiones aliquæ solutæ.

PRIMA sit: Res est possibilis per sua prædicata essentialia; hæc semper manent, ergo si semel fuit possibilis, semper erit. Leue argumentum: potest enim responderi, ea prædicata essentialia numquam habuisse possibilitatem naturalem, vt reproducerentur. vnde fit, vt positâ vnâ productione, non habeant iam amplius potentiam: quia iam tunc ea secunda productio, esset reproductio; sicut in sensu composito, quòd habeam hîc vbicationem, nequeo eam alibi habere, quia non habeo virtutem ad duas vbicationes simul. 48

Vrgent nonnulli contra hanc solutionem: Demus ignem A. posse durare tribus instantibus succeßiuè naturaliter; destruatur in secundo, cur non poterit tunc rursus in tertio produci, quandoquidem fuisse destructum in secundo, est denominatio extrinseca, quæ non impedit capacitatem existendi in tertio, quam habuisset si non fuisset destructus?

Hoc argumentum ego retorqueo contra hos recentiores: ipsi enim fatentur, & meritò, non esse vllam repugnantiam in eo, quòd detur aliqua res quæ naturaliter non sit reproducibilis. Facio 49 autem in illâ ego idem argumentum, & prout ibi mihi responderint ipsi, ego hîc respondebo: quia quod ipsi dicunt de possibili, dico ego de facto in omnibus rebus, quæ de facto existunt, propter communem auctoritatem. Respondeo ergo, causas sæpè indigere aliquibus conditionibus extrinsecis vt possint operari. Sicut, vt ego possim acquirere vbicationem in instanti A. in ponte Pragensi v. g. debui extitisse in instanti antecedenti iuxta ipsum pontem; & tamen iam quando acquiro nouam vbicationem, non existit nisi denominatio quædam extrinseca de præcessione alterius: ita similiter dico, illam physicam corruptionem formæ, etiamsi iam nihil sit, esse conditionem, quæ impedit ne naturaliter possit iterùm existere ea forma; si autem non fuisset ea corruptio, potuisset adhuc forma diu durare & existere.

Obijciunt secundò: Ergo ignis A. iam non ha- 50 bet maiorem virtutem ad producendum ignem B. corruptum, quàm Angelus habeat ad producendum eumdem ignem, quod videtur absurdum.

Etiam hæc obiectio retorquetur contra eosdem in illo casu possibili, quem benè admittunt, scilicet, possibilem esse rem aliquam, quæ naturaliter reproduci nequeat: quod enim ipsi in eâ dicerent, ego dico de facto. Absolutè autem respondeo, negando sequelam, quia Angelus non solùm non potest naturaliter producere ignem, sed nec continet illum vllo modo. At ignis A. etsi ex defectu vnius conditionis non possit absolutè operari, continet tamè simpliciter in se ignem B. Sicut longè aliter se habet materia prima in ordine ad habendas simul duas formas ignis, licet id sit ei simpliciter supernaturale, quàm se habeat lapis ad habendum in se actum intellectus, qui 51 etiam est illi supernaturalis: neque enim omnia quæ sunt supernaturalia, sunt æqualiter supernaturalia, vt per se manifestum est.

Tertiò obiiciunt adhuc iidem : Corruptâ formâ manet priuatio illius in materiâ, ergo manet adhuc potentia & capacitas ad illam, quia priuatio non est nisi in subiecto capaci.

Respondeo facilè, negando tunc manere propriè priuationem, sicut nec manet appetitus. Solet autem ea carentia vocari priuatio, quatenus materia est absolutè secundùm se capax illius formæ, licet ex accidenti hîc & nunc ea capacitas sit impedita. Tandem confirmo doctrinam quam in solutionibus istis tradidi ex principiis veris, & quæ ab aduersariis admittuntur. Nam transacto instanti A. v. g. iam per se est impossibilis duratio A. quæ distinguitur à re durante : illa enim est affixa essentialiter tali instanti imaginario modo à me infrà explicando, id est, hodie non potest
52 nec diuinitus produci duratio hesterna. Iam sic argumentor : Ea duratio per sua prædicata essentialia erat potens existere, & tamen iam hodie nec diuinitus potest ; & ego hodie dicor habere priuationem durationis hesternæ, etiamsi hodie non sit ea duratio possibilis ; ergo benè idem poterit in formâ semel iam destructâ respectu materiæ contingere, vt scilicet forma post primam sui destructionem iam sit naturaliter impossibilis, & quòd materia adhuc dicatur habere priuationem illius, eò quòd heri potuit illam habere vel hodie, si non fuisset destructa. Quæ doctrina etiam potest obiectioni sequenti applicari.

Quartò obiicies : Appetitus materiæ primæ est idem realiter cum ipsa materiâ : sed post corruptionem formæ manet eadem materia quæ antè erat, ergo & idem appetitus ; sed anteà habebat appetitum ad formam hanc quæ corrupta est, ergo & posteà. Nec satisfacies, si dicas, deficere aliquod connotatum, scilicet possibilitatem formæ, ex cuius defectu deficiat appetitus ma-
53 teriæ : non (inquam) satisfacies, quia (vt ostendi Disputatione XII. Logicæ Sectione 3.) repugnat, manente totâ entitate recti, in quâ consistit formaliter aliqua essentia, ex defectu connotati eam essentiam deficere : ergo, si tota essentia appetitus est idem cum materiâ, repugnat illum non manere manente materiâ.

Hoc argumento conuincuntur nonnulli ad oppositam sententiam, sed immeritò ; quia ipsi docent, si suppositâ primâ productione rei, esset ipsa res impossibilis secundò-naturaliter, & non præcisè ex voluntate Dei, non mansurum appetitum in materiâ ad formam, quia appetitus non est ad aliquid naturaliter impossibile. Ecce ergo admittunt hi Auctores, mansuram tunc totam entitatem materiæ sine appetitu, cur ergo non poterit manere modò, si verum sit (vt probaui) secundam rei productionem esse naturâ suâ im-
54 possibilem ? Respondeo ergo ad argumentum, appetitum materiæ primæ non esse solam materiam, sed ipsam simul cum negatione reali primæ productionis formæ, quare appetitus ille non est denominatio omnino intrinseca materiæ. Ratio à priori est, quia appetitus materiæ est potentia naturalis illius ad formam sibi conuenientem ; sed potentia naturalis ad illam formam non est omnino intrinseca materiæ, includit enim negationem primæ productionis, ergo nec appetitus erit adæquatè intrinsecus. Sicut in causâ creatâ, posse proximè operari, non est denominatio omnino intrinseca, quia includit etiam voluntatem Dei concurrendi simul cum creaturâ. Et in exemplo suprà posito de vbicatione capacitas naturalis hîc & nunc habendi vbicationem Pragæ, dicit carentiam vbicationis Romæ ; quia si illam haberem, non possem in hoc instanti simul esse hîc Pragæ, quod & in aduersariorum & omnium benè sentientium doctrinâ verum est. Hinc nego 55
argumento consequentiam, scilicet, post corruptam formam, manere totam entitatem appetitus : cùm enim tunc non maneat negatio præteritionis primæ productionis, in quâ inadæquatè consistebat appetitus (vt dixi) non potest nec totus appetitus manere ; vnde non incidimus in connotata à nobis impugnata. Et hanc solutionem tenentur etiam aduersarij adhibere pro illo casu, in quo esset per se impossibilis secunda productio rei ; vel tenerentur fateri, etiamsi esset per se impossibilis secunda productio, adhuc materiam habituram appetitum ad illam contra ipsos, & Philosophos communiter docentes, non esse appetitum naturaliter ad rem naturaliter per se impossibilem. Confirmo ad hominem : quia ipsi 56
fatentur, materiam primam habere appetitum per modum gaudij respectu formæ quam habet, quem appetitum non habebat ante & post formam. Ergo in variatâ materiâ variatur ipse appetitus ; ergo, ne incidant in connotata, tenentur fateri, illum appetitum non esse adæquatè intrinsecum materiæ. Quo posito, nullam (vt vidimus) argumentum habet difficultatem.

Hanc meam solutionem impugnarunt nonnulli posteà, eò quòd appetitus sit inclinatio ad perfectionem ; sed carentia formæ non est inclinatio ad ipsam formam, opponitur enim ei contradictoriè, ergo non est pars appetitus. Et confirmatur, quia appetitus dicit in se aptitudinem ad perfectionem, ita vt ex vnâ parte consideretur possibilitas, ex alterâ verò appetitus. vnde licet carentia formæ eam constituat possibilem, non debet tamen ea carentia se tenere ex parte appetitus, sed ex parte termini illius.

Verùm in hac impugnatione non loquuntur hi 57
ad sua principia & ad veritatem consequenter : quia sicut ipsi dicunt, & meritò, etiamsi denominatio prioris sit respectiua essentialiter in ordine ad posteriorem, & è contrario, ipsum tamen qui est posterior, esse partem componentem denominationem prioris, & è contrario priorem constituere partialiter denominationem posterioris ; quæ doctrina à nullo non admittitur. Idem est in denominatione similis, patris, filij, &c. vbi ipse filius, qui est terminus, constituit vt pars patrem in esse patris, & è contrario ; ergo similiter ipsa possibilitas naturalis formæ, quam respicit appetitus (sicut pater respicit filium) poterit simul esse pars appetitus, prout ego contendo. Ratio à priori, quâ etiam argumento respondetur, est : quia appetitus non est potentia vtcumque, sed potentia naturalis ; denominatio autem potentiæ vt naturalis, prouenit extrinsecè ab aliis circumstantiis, & à possibilitate naturali ipsius formæ, sicut paulò antè ostendimus. Declaratur am- 58
pliùs potentia naturalis : Vt ego in hoc instanti sim Romæ, dicit vt partem, carentiam mei hîc Pragæ, quia ex suppositione quòd sum hîc, non possum ibi esse ; ergo si semel concedatur, post formæ corruptionem eam iam esse naturaliter, & non solùm ex extrinsecâ voluntate Dei impossi-

bilem,

bilem, necessariò dicendum est, iam factâ hac suppositione, formam hanc non esse ampliùs naturaliter per se à materiâ receptibilem. quo posito, necessum est, vt nec in materiâ sit potentia naturalis eam recipiendi, quia hæc sunt correlatiua, receptibile & potens recipere, ergo nec appetitus manebit, quia appetitus est potentia non vtcumque, sed naturalis. Vnde patet, licet ipsa carentia formæ non sit id quod appetit materia, posse tamen esse partem extrinsecam in obliquo, per quam materiæ capacitas constituatur in ratione potentis naturaliter recipere formam (quia eam solam potest, quæ antea non fuit) & consequenter pendet ab eâ carentiâ formæ, vt capacitas materiæ denominetur appetitus ad eam formam. Et 59
in nobis idem patet: licet enim ego non desiderem absentiam boni quod appeto, tamen vt illud desiderem, est necessaria absentia. Quòd si præsente obiecto maneret idem actus voluntatis circa illud qui fuerat in absentiâ, denominaretur idem actus gaudium in præsentiâ obiecti, desiderium verò in absentiâ illius; quæ denominationes partialiter prouenirent extrinsecè ab existentiâ vel absentiâ obiecti, in quo nulla est difficultas: imò vt dixi, semel admissâ impossibilitate naturali formæ corruptę, necessariò videtur dicendum. Vtrùm autem ex naturâ rei ea fiat tunc impossibilis, nécne, non est ita mihi certum. & in hoc faciliùs consentirem his recentioribus. Verùm probabiliorem reputo communem sententiam suprà probatam.

SECTIO V.

Vtrùm Materia prima sit pura potentia: vbi de eius existentiâ.

COMMVNITER à Thomistis materia prima dicitur *pura potentia*, quod quâ ratione verum sit, oportet in hac Sectione explicare.

SVBSECTIO PRIMA.

Materia prima habet verum esse actuale.

60 PRIMÒ indubitatum videtur, materiam primam, quæ actu est cum formâ substantiali, & cum illâ componit totum, habere entitatem veram & realem, distinctam à formâ. Ita P. Suarez Disputatione 13. Metaphysicæ, sect. 3. nu. 2. vbi pro eâ refert Aristotelem, Platonem, Simplicium, D. Thomam, & alios. Et probatur facilè, quia materia non est purum nihil, alioquin nullum munus verum & reale exerceret; &, dum ex ipsâ educerentur formæ, educerentur ex nihilo, quod est ridiculum: ergo habet aliquam entitatem realem. Confirmatur. Dum homo conuertitur in cadauer, manet aliquid reale quod anteà fuerat, hoc autem esse materiam primam, suprà probatum est. Vnde Augustinus lib. 12. Confessionum, cap. 7. & 8. materiam primam non *nihil* sed *propè nihil* dixit. Imò dum suprà contra Gomesium ostendimus dari materiam primam, ostendimus etiam illam habere entitatem rea- 61
lem, alioquin non daretur: eam verò distingui à formâ substantiali, probabitur Disputatione III. Sectione 1. & ex parte ostensum etiam est argumentis factis contra eumdem, quibus probauimus manere materiam pereunte formâ, quod fieri non posset, nisi distinguerentur.

Sed obiicies: Materia non habet existentiam distinctam à formâ, ergo neque entitatem. De Antecedenti Subsectione 2. sed eo admisso, negatur consequentia: quia licet materia non habeat diuersam existentiam à formâ, habet tamen diuersam essentiam & diuersam entitatem, in quâ recipiatur existentia; sicut in eorumdem Thomistarum sententiâ, licet humanitas Christi Domini existat per existentiam Verbi diuini, habet tamen diuersam entitatem (Fides enim docet ibi dari duas naturas reales, ex quibus componitur Christus.) Ergo licet existentia materiæ & formæ sit eadem, negari tamen nequit, entitates vtriusque esse diuersas, & consequenter materiam primam habere propriam entitatem. Quod 62
confirmo rursus in eorumdem sententiâ: quia, corrupto homine, non manet in materiâ eadem existentia quam anteà habebat (hæc enim erat propria animi rationalis) & tamen manet eadem materia, ergo existentia materiæ, casu quo proueniat à formâ, non est ipsa entitas materiæ, ergo non benè infertur, *non habet propriam existentiam, ergo neque habebit propriam essentiam.*

Hinc infero pro solutione quæstionis, materiam primam non esse puram potentiam in omni rigore, & in omni genere; quia pura potentia in omni genere est illa, quæ nullum habet omnino actum; sicut è contrario purus actus est qui caret omni potentialitate: sed materia prima non caret saltem actu Logico, id est, propriâ entitate, quæ ab esse possibili extrahitur ad esse actuale; ergo non est pura potentia. Maior est certissima. Minor probata est suprà, quam vlteriùs probo. Quia materia prima, quando componit totum, non est ens merè possibile, alioquin non posset componere actu; ergo est ens actuale, ergo habet aliquem actum, ergo non est pura potentia in omni genere.

Sed quæres, vtrùm illum actum quem habet 63
materia, habeat ex se, an ex alio, & consequenter vtrùm possit dici ex se pura potentia quatenus ex se nullum habet actum. Pro solutione aduerte, *τὸ ex se* posse intelligi vel in genere causæ efficientis, ita vt materia à se ipsâ & non ab aliâ causâ habeat esse; & in hoc sensu nulli dubium, materiam primam non habere ex se suum actum, sicut nulla alia creatura eum habet, quia omnes producuntur à Deo, & quantum ad hoc idem est de materiâ ac de formâ. Vel potest *τὸ ex se* intelligi in sensu formali; & hic rursus potest esse triplex. Primus, an materia prima nõ distinguatur à propriâ existentiâ, quæ difficultas omnibus entibus creatis communis est, de quâ in Metaphysicâ. Secundus, an ipsum esse materiæ, seu ipsa essentia sit distincta ab essentiâ formæ; in quo sensu probatum à nobis est in hac Subsectione, materiam habere à se propriam entitatem formaliter. Ter- 64
tius tandem, vtrùm illud esse existentiæ sit proprium formæ, an verò materia propriam habeat existentiam, de quo Subsectione 2.

Obiiciunt Conimbricenses vt probent, materiam esse puram potentiam, lib. 1. cap. 9. quæst. 3. artic. 1. Materia non est aliquid compositum ex actu & potentiâ, aliàs esset compositum naturale, & non primum subiectum. Deinde nec potest

esse actus purus, quia hic est vel informans, vel subsistens. Materia autem non est informans, quia iam daretur aliud subiectum prius illâ, illud scilicet quod ab eâ informaretur. Sed neque est subsistens, quia vt sic esset perfectior quàm ipsa forma, & esset ens completum, quod proprium est rei subsistentis; ergo materia prima nullum habet actum, ergo est pura potentia. Quòd si obiicias Conimbricensibus, materiam primam in eorum sententiâ habere propriam existentiam, & consequenter iam habere actum entitatiuum; respondent, negando sequelam, quia actus existentiæ non est propriè actus.

65 P. Suarez suprà Sect. 5. n. 2. refellit hanc Conimbricensium opinionem. Primò, quia omnibus modis, quibus res dicitur esse in potentiâ, potest è contrario dici esse in actu: sed res dicuntur esse in potentiâ obiectiuâ seu Logicâ, dum sunt in esse possibili precisè; ergo dum extrahuntur ab hoc statu ad esse existentiæ, non manebût pura potentia obiectiua, sed potiùs habebunt actum Logicum & obiectiuum, ergo nequit negari materiæ primæ aliquis actus, quod verum est, etiamsi existétia à materiâ distinguatur, nam etiam tunc non solùm existentia, sed ipsa essentia materiæ producta est, & extracta à statu purè possibili, seu à ratione potentiæ Logicæ.

Aduerte, quæstionem hanc cum Conimbricensibus solùm esse de nomine, in quâ placet cum communi illam vocare puram potentiam, non tamen propter argumentum Conimbricensium. Ergo vt hunc cõmunem modum loquendi defendamus, obserua cum P. Suarezio suprà nu-
66 mero 7. nomen *actus* dupliciter sumi posse: vel respectiuè ad subiectum quod actuet seu informet; vt sic autem solæ formæ erunt actus, quia illæ solæ informant & actuant subiectum: vel pro actu, qui in se habet aliquam entitatẽ actualem; quo sensu omnes res existentes, siue formæ sint siue non, possunt dici actus. Hoc posito,

Respondeo, materiam primam absolutè esse puram potentiam in genere actus respectiui, siue informantis. Ratio est clara, quia materia prima est primum omnium subiectum, vt huc vsque ostendimus; ergo nõ supponit aliud quod actuet, ergo nullo modo est actus informatiuus, ergo pura potentia in hoc genere. quo sensu accipiendi sunt Conimbricenses, ac Thomistæ, & alij Philosophi, dum materiam primam puram dicunt potentiam. Quo sensu etiam Angelus posset propter eamdem rationem dici pura potentia, licet communiter non dicatur, eò quòd non sit potentia ad formam substantialem. Deinde addo, materiam primam in genere obiectiuo non esse puram potentiam, habet enim entitatem
67 actualem, vt ostendi totâ hac Subsectione. Ita Scotus in 2. dist. 12. quæst. 1. Gandauensis quodlib. 1. quæst. 10. P. Suarez suprà, & recentiores communiter, & probatur ratione Commentatoris 3. de Cælo, comment. 29. vbi docet omnem potentialitatem passiuam in aliquâ actualitate fundari: quia quod recipit, debet esse ens actuale, alioquin non posset recipere; ergo materia prima, quæ est potentia passiua, debet habere aliquam actualitatem; ergo non est pura potentia in genere obiectiuo. Hinc colliges, licet possit dari purus actus nullam includens potentialitatem, scilicet Deus, non tamen è contrario posse dari puram potentiam, quia minimùm debet includere actualitatem essendi extra causas, sicut in simili, licet possit dari summum bonum, scilicet Deus, carens omni malitiâ, non tamen potest dari summum malum, quia debet habere aliquam entitatem, & consequenter aliquam bonitatem.

P. Suarez vbi suprà distinguit *esse in purâ* 68
potentiâ, & *esse puram potentiam*. Primum ait non posse de materiâ affirmari, quia esse in purâ potentiâ, dicit non esse productam, at verò esse puram potentiam posse conuenire materiæ, quia tantùm significat eam non esse actum informantem aliud subiectum. Quæstio est de modo loquendi: rem intellige, vocibus vtere vt libuerit, nec displicet hic modus loquendi Suarezij.

SVBSECTIO SECVNDA.

Sententia affirmans, Materiam existere per existentiam formæ.

PONIMVS pro præsenti quæstione, existentiam distingui ab essentiâ, alioquin sicut essentia materiæ est distincta ab essentiâ formæ, ex Sectione præcedenti, & ex ipsis aduersariis, ita etiam esset & existentia, cessaretque omnis quæstio. Per existentiam intelligo id quo aliqua res ponitur extra causas formaliter, sicut per albedinem id quo subiectum redditur album. Quærimus ergo, an in composito v. g. in homine dentur duæ existentiæ, altera propria materię, altera animi rationalis; an verò materia non habeat propriam existentiam, sed reddatur existens ab existentiâ formæ, ideoque in composito tantùm sit vnica existentia.

Caiet. Ferrariensis, Soncinas, Iauel. Duran. & 69
alij Thomistæ apud Suarez suprà Sectione 4. n. 6. mordicùs negant materiæ primæ propriam existentiam.

Probant Primò ex D. Thomâ 1. Parte, quæstione 44. art. 2. ad 3. & quæst. 7. art. 2. ad 3. vbi docet, materiam primam non existere in rerum naturâ per se ipsam, cùm non sit ens actu, sed per formam; ergo sentit materiam existere per existentiam formæ. Longè abest D. Thomas ab hac sententiâ: in prædictis enim locis solùm docet, materiam primam non posse solam in rerum naturâ existere, quia non est ens in actu, id est completum; aliis autem in locis expresè docet, materiam non accipere à formâ, esse actu simpliciter, id est actum existentiæ, sed esse actu tale, id est esse hominis vel leonis, sicut albedo non dat esse existentiæ subiecto, sed esse tale, id est, esse album. Videatur in Opusculo de Ente & essentiâ cap. 2. Quòd si quis acriter contendat, san- 70
ctum Doctorem in eâ fuisse sententiâ, non ideò cogimur eam defendere, propter infrà dicenda.

Secundò probant suam sententiam, quia materia prima est pura potẽtia, ergo non habet propriam existentiam. De hoc argumento latè Subsectione 1. Et hìc aduerte, qualem circulum faciant Thomistæ: probant enim, materiam primam non habere propriam existentiam, quia est pura potentia; & probant rursus, esse puram potentiam, quia caret propriâ existentiâ.

Ter-

Tertiò: quia si materia prima haberet propriam existentiam, non posset cum formâ componere vnum ens per se, quia ex duobus entibus in actu non fit vnum ens per se. Non vrget: nam si per *ex duobus entibus in actu* intelligatur, *ex duobus entibus existentibus* non posse componi ens per se, falsissimum est illud principium; omnino enim Chimæricum est, componi aliquod totum ex duabus partibus veris & realibus, & tamen non existentibus in actu, quia res purè possibilis non potest componere. Si verò *ex duobus*
71 *entibus in actu* idem sit ac *ex duobus entibus cõpletis*, fateor ex illis non posse cõponi vnum per se. Verùm quid inde contra nos? licet enim materia prima propriam habeat existentiam, non ideò est ens completum, sicut neque ipsa forma est completa, licet habeat propriam existentiam.

Quartò arguunt: Esse, est propter operari; sed materia nullam habet operationẽ, ergo neque existentiam. Falsa est Maior, quia in ipsorũ sententiâ relationes habent esse, & non sunt operatiuæ: falsa item est Minor, quia ostendã infrà, à materiâ
72 oriri proprias passiones. Quòd si vtraq; præmissa concederetur, deberet inferri, non solùm materiã carere propriâ existentiâ, verùm & essentiâ, quia hæc propriè est propter operari. Deinde probatur hoc argumento, neq; acceptam à formâ posse esse existentiam in materiâ, quandoquidem etiam quando est cum formâ, nullam habet operationem. ad quid ergo illi communicatur existentia?

Quintò: Si materia prima habet esse actuale distinctum à formâ, ergo est in aliquâ specie, quod est absurdum. Hoc argumento probatur, materiam carere etiam essentiâ, quia ratione essentiæ debet poni in aliquâ specie; imò res constituuntur in specie per suas essentias, & non per existentiam. Concedo ergo, materiam primã esse in aliquâ specie incompletâ; nego tamen, id esse absurdum. Vtrùm autem inde inferatur, posse
73 existere sine formâ, dicam Sectione sequenti. Interim aduerto, non esse bonam consequentiam, *hoc habet distinctã existentiam ab illo, ergo potest esse sine illo*: creaturæ enim habent propriam existentiam, distinctã ab existentiâ Dei, & effectus distinctã existentiam à causâ, & forma distinctam existentiam à materiâ; & tamen neque creatura sine Deo, neque effectus sine causâ, etiam diuinitus, neque forma sine materiâ saltem naturaliter possunt existere. Malè ergo negant materiæ propriam existentiã, eò quòd sola nequeat nec diuinitus existere, quod Antecedẽs adhuc est falsum.

SVBSECTIO TERTIA.

Contraria sententia defenditur.

CONCEDENDA ergo est propria existentia materiæ primæ cum Scoto, Henrico, Gregorio & Gabriele apud Suarez suprà numero 13. quibus ipse subscribit, vbi & multos alios pro eadem refert. In eadem sunt, Toletus in præsenti quæst. 13. Pereyra lib. 5. Philosophiæ, c. 13. Fonseca 1. Metaphys. c. 7. quæst. 1. Sect. 5. Molina & Vasquez apud Hurtadum in præsenti disput. 2. quos ipse sequitur, Valentia 3. Parte, quæst. 1. ar. 2. punct. 2 Conimbricenses hîc c. 9. q. 6. art. 2. eitque ita communis inter omnes nostræ Societatis Magistros, vt nullus ab eâ discedat.
74 Primò pro eâ nonnulli sic arguunt: Quia non posset ex materiâ & formâ fieri vnum compositum, si quælibet propriam non haberet existentiam. Probant Antecedens, quia materia & forma vt sunt entia, in actu non distinguuntur, si existant per eamdem existentiam, sicut Pater & Filius non distinguuntur in ratione Dei, quia habent eamdem Deitatem: similiter duo subiecta cum eadem albedine non distinguũtur in ratione albi, sed quælibet res componitur vt est in actu, quia ex rebus in potentiâ non potest fieri compositio; ergo quæ non sunt plura, vt in actu, non possunt componere; ergo si materia & forma habeant eamdem existentiam, non possint esse partes componentes, quod est absurdum.

Non vrget argumentum: aliud enim est, non esse in actu nisi vnicam rem, aliud, rationem existendi in actu non esse nisi vnicam. Primum falsum est, etiamsi existentia compositi sit vnica, vt ostendi Subsectione 1. Secundum verum,
75 inde tamen non infertur, materiam & formam non posse componere; nam ratio formalis componendi *vt quod*, sunt propriæ entitates materiæ & formæ, seu propriæ essentiæ, licet pendeant ab existentiâ vt à conditione; ergo cùm essentiæ sint plures, etiamsi existentia sit vnica, absolutè possunt componere, non quidem in ratione formali existendi, sed in ratione materiæ & formæ; sicut duo alba, etsi in formali ratione albi non sint plura, casu quo habeant vnicam albedinem, possunt tamen secundùm proprias entitates facere compositum. Imò sicut vnio simplex non obstat rigorosæ compositioni, quia non tollit distinctionem partium; ita similiter, licet existentia sit vnica, quia tamen res existentes sunt plures, non obstabit compositioni: neque enim magis est ratio formalis componendi existentia, quàm vnio.

Secundò arguunt alij: Quia materia est subie-
76 ctum formæ, ergo est prior quàm forma, ergo habet existẽtiam saltem priùs naturâ ante formam, ergo non potest existere per existentiam formæ, sed per propriam. Hoc argumẽtum valdè extollitur à nonnullis, verùm arbitror, admissâ semel distinctione modali inter essentiam & exsistentiã (vt eam admittimus pro præsenti quæstione) nullã habere vim: quia si semel admittitur, posse materiâ vel formam esse subiectũ propriæ existẽtiæ, & consequenter priùs naturâ ad existentiam intelligi, cur non poterit intelligi materia priùs naturâ ad formam & ad illius existentiam, quantumuis per illam existat. Argumentũ conuincit quidem (vt dicam in Metaphysicâ) nullam exsistentiam distingui à propriâ essentiâ, verùm specialiter contra existentiam materiæ à formâ nullam habet difficultatem, vt ex dictis patet.
Hinc etiam intelliges, non sequi, materiam pri-
77 mam corrumpi, quantumuis pereat forma à quâ existentiam accipiebat; potest enim succedere alia loco corruptæ, quæ det materiæ existentiam. Et sicut numquam est materia sine formâ, ita nec sine existentiâ: in priori autem quo præcedit formam & eius existentiam, debet intelligi materia, sicut præintelligitur quæcumque alia essentia ad propriam existentiam, cuius est subiectum.

Nonnulli recentiores, qui hoc argumento à me reiecto vsi fuerant, rursus postea hanc solutionem impugnarunt, quia existentia non recipitur vt in subiecto in essentiâ, cuius est, nam essentia pendet à priori ab eâ existentiâ; ergo non potest ad eam præsupponi priùs naturâ vt sit il-

lius subiectum. Vnde inferunt, adhuc admissâ distinctione existentiæ, ab essentiâ argumentum habere vim. Sed adhuc ego persisto in meâ opinione, scilicet, si semel admittatur distinctio existentiæ ab essentiâ (vt pro nunc admittitur) necessariò dicendum eam recipi vt in subiecto in
78 essentiâ, (siue hoc repugnet siue non, iam enim id permittitur Thomistis:) cùm enim ea existentia sit accidens v. g. existentia animæ rationalis debet ipsi animæ inhærere, nec potest aliud intelligi. Quòd si dicas, eam adhærere essentiæ, ad modum quo de creatione infrà dicemus, recurrent Thomistæ ad mutuam causalitatem etiam à priori, quæ iam est difficultas communis aliis materiis Imò in omnium sententiâ (admissâ semel eâ distinctione existentiæ ab essentiâ) debet concedi, existentiam formæ quæ ab agente creato producitur, educi ex subiecto, aliàs crearetur; ergo debet causari materialiter à formâ. Sicut ergo potest forma causare suam existentiam, ita poterit materia formam, licet non præcedat eum existentiâ. Nec potest dici cum aliquibus, existentiam formæ educi ex solâ materiâ, & non è formâ; quia si hoc dicatur, primò & per se ma-
79 teria informabitur ab eâ existentiâ. Imò hi Auctores in hoc sibi manifestè contradicunt: respondentes enim Thomistis aientibus, materiam per existentiam formæ reddi debere existentem; negant illis hoc, eò quòd existentia formæ si distinguatur, immediatè in solâ formâ recipitur. Iam autem hîc contrarium docent, & eam in solâ materiâ collocant, vt possint argumentum semel à se factum tamquam solidum defendere.

Tertiò isdem recentiores arguunt: Materia producitur per creationem, ergo habet existentiam propriam per creationem, ergo non existentiam formæ, quia hæc generatur, non creatur. Neque hoc vrget: quia etsi materia haberet propriam existentiam, adhuc ea existentia non crearetur, quia subiectaretur in materiâ, & educeretur ex illâ. Neque ideò sequitur, materiâ non creandam. Licet enim eius existentia educeretur ex materiâ, ipsa tamen essentia materiæ ex nullo subiecto educeretur, quo differret à formis generatis, hæ enim simul cum propriâ existentiâ educuntur ex subiecto, ideoque non creantur sed
80 generantur. Neque hoc argumentum habet maiorem difficultatem, quam in Angelo, casu quo eius existentia distinguatur, & recipiatur in naturâ ipsius; quod in ordine ad præsentem quæstionem concedimus Thomistis.

Quartò, idem efficaciùs: Quia actio, quâ producitur materia, est distincta ab eâ quâ producitur forma, vt patet casu quo Deus priùs tempore produxisset formam solam, & deinde produceret materiam; ergo illa actio aliquid produceret: sed non existentiam formæ, quia iam hæc supponitur producta per priorem actionem quâ forma producta est; non ipsam materiæ essentiam, quia essentia non producitur nisi per productionem existentiæ; ergo debet producere existentiam materiæ, quia nihil aliud est, quod producatur. Respondebis fortè, per eam actionem produci vnionem existentiæ formæ cum
81 materiâ. Sed contrà, quia de ipsâ vnione est eadem difficultas: rogo enim, Quid producitur per actionem productiuam vnionis? Non existentia, quia hæc est vnica, & propria formæ, & iam supponitur producta: non vnionis essentia, quia hæc non producitur nisi ad productionem existentiæ, vt dixi; ergo debet assignari propria existentia materiæ quæ producatur per actionem terminatam ad materiam.

Sed neque hoc argumento premuntur Thomistæ: possent enim respondere, materiam primam produci per eamdem actionem, quâ producitur forma & formæ existentia, quæ actio ideò producit materiam & formam, quia producit vtriusque existentiam, sicut actio quâ producitur forma (suppositâ eius distinctione ab existentia) ideò eam producit, quia producit existentiam ipsius; ergo si eadem actio producit materiam & formam, sufficiet si producat vnam existentiam pro vtraque. Ad casum verò argu- 82
menti, in quo priùs sola forma produceretur per vnam actionem, & deinde materia sub formâ, possent respondere, non mansuram eamdem actionem priorem, sed aliam nouam successuram, quæ esset indiuisibiliter productiua materiæ & formæ, quatenus producit vtriusque existentiam. Actionem autem terminatam ad solius materiæ productionem, negabunt facilè Thomistæ, qui censent, nec de potentiâ absolutâ, materiam esse posse sine formâ, licet è contrario formam putent esse posse sine materiâ; ideoque possent admittere actionem terminatam ad solam formam, non verò quæ ad solam materiam terminaretur.

Vrgebis tamen adhuc argumentum: Quia videtur inintelligibile, duas actiones eamdem producere existentiam, & tamen diuersas res producere; quia res non producuntur nisi productâ existentiâ. ergo si illæ duæ actiones eamdem producunt existentiam, producent item & essentias easdem; ergo non potest argumento responderi, per duas has actiones, terminatas ad existentiam formæ, quarum vna tantùm sit productiua formæ, alia verò & formæ & materiæ. Sed respondebunt Thomistæ Primò, ne- 83
gando id esse inintelligibile, quando dantur diuersæ actiones in specie, quia ex illarum diuersitate potest prouenire, vt per vnam non producatur materia, sic verò per aliam Secundò aliter possent respondere, existentias ipsas esse diuersas, & formam, quando sola existit, habere diuersam existentiam ab eâ, quam habet dum existit cum materiâ: vnde facilè explicatur cur producatur materia, quia scilicet producitur ea existentia, quæ essentialiter eam respicit, etiamsi immediatè cadat supra formam, ideoque vocetur propria formæ. Fateor, hæc solutio aliquo modo deflectit à modo explicandi Thomistarum, verùm facilè sic possent euadere vim argumenti. His ergo argumentis reiectis,

Probatur nostra sententia Primò, quia conformius est naturis rerum, vt materia, quæ est primum subiectum è quo educuntur omnes formæ (excipe rationalem) propriam habeat exi- 84
stentiam, quàm vt eam habeant formæ, quæ dependent & subiectantur in ipsâ materiâ: vnde, si tantùm ponenda esset in composito vna existentia, potiùs dicerem eam esse propriam materiæ, & ab illâ communicari formæ, quàm è contrario.

Secundò probatur, quia ridiculum est, toties materiam primam produci de nouo, & mutare exi-

existentiam, quoties nouam formam substantialem acquirit, quod necessariò dicendum est à Thomistis, quia existentia materiæ, cùm sit propria formæ, toties debet mutari, quoties ipsa forma.

Tertiò, quia sequeretur, materiam primam produci ab agentibus creatis, quod est contra ipsos Thomistas, omnesque Philosophos, asserentes, materiam primam à solo Deo creatam, & conseruatam. Sequelam probo, quia non alio modo producitur materia prima, nisi per productionem eius existentiæ; sed hæc existentia producitur à causis creatis producentibus formam substantialem, & eius existentiam, quæ est etiam existentia materiæ, ergo materia producitur à
87 causis creatis. Circa hoc tertium argumentum, quo vsus sum olim pro hac sententiâ, iam mihi occurrit difficultas aliqua. Dixi enim suprà, non benè argui contra Thomistas, *existentia materiæ pendet à subiecto, ergo etiam ipsa materia pendebit.* Dixi inquam, hanc consequentiam esse malam; ex quo sic argumentor, Ergo etiam hîc non valebit, *existentia materiæ producitur à creaturâ, ergo etiam producitur ipsa materia.* Sicut enim potest existentia pendere à subiecto, etiamsi ab illo non pendeat essentia materiæ, ita poterit eadem existentia produci à creaturâ, licet ab eâ non pendeat entitas materiæ. malè ergo intuli, materiam producendam à creaturâ, eò quòd illius existentia à creaturâ pendeat vel producatur. Respondeo tamen, adhuc argumentum esse bonum: quia ipsimet Thomistæ fatentur, non aliter rem produci, nisi producendo eius existentiam: ergo qui producit existentiam materiæ, producet materiam; ergo cùm creatura producat existentiam materiæ, quæ est ipsa existentia formæ, producet etiam materiam
86 primam. At in ordine ad dependentiam à subiecto, non est bona ea consequentia, vt suprà dixi, quia potest, etiamsi dum producitur existentia, producatur essentia, vna tamen pendere à subiecto, altera non, vt & ipsi Thomistæ fatentur Angeli existentiam pendere à subiecto, ipsam verò Angeli substantiam à nullo subiecto pendere, etiamsi simul cum existentiâ ipsius producatur.

Quartò, quia forma saltem materialis dependet à priori à materiâ (vt & aduersarij fatentur,) ergo materia non accipit existentiam à formâ. Patet, quia si eam acciperet, penderet à priori à formâ, ergo mutuò inuicem à priori penderent, quod esse impossibile ostendam Disputatione VII. à num. 47.

Quintò, quia materia prima producit suas passiones (de quo infrà) antequam vniatur formæ, ergo habet existentiam propriam. Patet, quia nihil potest operari efficienter, quin intelligatur existens, vt & aduersarij fatentur; ergo materia prima antecedenter ad formam habet existentiam, cùm antecedenter ad formam operetur efficienter.

Denique hæc sententia funditus euertetur, dum in Metaphysicâ ostenderimus, nullam essentiam distingui à propriâ existentiâ.

87 Aduerte, à nonnullis in præsenti ex professo probari humanitatem Christi Domini habere propriam existentiam. Sed res omnino extra nostrum institutum; & quid in hac quæstione dicendum sit, constabit ex principiis generalibus in Metaphysicâ de omni essentiâ tradendis. Parum interim expectes, ne cogar omnia præuertere.

SECTIO VI.

De dependentiâ materiæ à formâ.

DVPLEX est dependentia, alia *à priori*, vt à causâ vel conditione tenente se ex parte causæ; altera *à posteriori*, vt ab eo sine quo non debetur conseruatio. Ab essentiâ dependent à priori passiones propriæ, è contrario autem essentia à posteriori à passionibus. Vtraque hæc dependentia est duplex, alia *essentialis*, id est, quæ nullo modo potest suppleri, nec per miraculum, qualis est dependentia à priori actionis à suâ causâ, & à posteriori à suo termino: alia est *naturalis*, quæ sine miraculo suppleri nequit, potest tamen per illud, vt dependentiâ accidentis à substantiâ, quæ miraculosè in Eucharistiâ supletur. Iuxta has dependentias duplex potest esse 88
in præsenti difficultas circa dependentiam materiæ à formâ, altera, vtrùm dependeat à priori vel à posteriori; altera, vtrùm essentialiter, an naturaliter tantùm.

SVBSECTIO PRIMA.

Materia non dependet à priori à formâ.

DEPENDENTIA à priori vel est vt à causâ efficienti, vel est vt à causâ materiali. Neutrum reperiri in materiâ respectu formæ, facilè probatur. Non quidem efficientem; quia materia prima producitur per creationem, & tota fuit producta ab initio mundi; sed nulla forma creata ex his quæ de facto sunt, potest efficere, nec partialiter, id quod creatur, ergo neque materiam primam.

Aliqui argumento è P. Vasquez desumpto eamdem conclusionem ita probant. Quia si materia sit à formâ, ergo fit ex formâ, ergo non creatur, quod est contra omnes Philosophos. Verùm 89
hoc argumentum non est efficax, quia materia fit à Deo, & non fit ex Deo, iuxta sensum hîc ab istis vsurpatum, & vniuersè habent id omnes causæ efficientes; possent ergo aduersarij dicere, formam efficienter influere in materiam primam, qui influxus non repugnat creationi, nihil ergo ex illo modo loquendi, *a formâ*, & *ex formâ*, contra hos concluditur.

Meliùs ergo secundò id suadetur, quia materia prima præintelligitur priùs naturâ existens quàm ipsa forma, recipit enim in se dispositiones ad illam, ergo forma nequit esse causa efficiens materiæ, quia effectus non potest esse prior naturâ, quàm causa illius efficiens. Quòd si respondeas, posse dari mutuam causalitatem à priori, id ostendam prorsus repugnare. Sed de hoc vide Disputationem VII. à numero 46. vbi proprium habet locum.

Respondebis, hoc argumento solùm probari, 90
materiam primam non effici à formâ materiali, verùm eam non produci ab animo rationali, non euinci, quia hic cùm non dependeat à materiâ, rectè potest sine vllo inconuenienti materiam efficere. Sed contrà Primò, quia si semel materia,

dum est sub formâ materiali, adæquatè efficitur & conseruatur à solo Deo, etiam ab eodē adequatè conseruabitur, dum fuerit cum animâ rationali: nulla enim est ratio tunc suadens, attemperandum Dei concursum, vt præbeatur locus concursui animæ rationalis. Contrà Secundò, quia anima rationalis nequit creare, etiamsi non obstet mutua prioritas, ergo neque potest efficere materiam primam quæ creatur. Contrà Tertiò, quia materia prima licet non sit causa animæ rationalis, adhuc tamen est prior naturâ quàm illa, quia priùs naturâ supponitur materia organizata & disposita, quàm producatur animus rationalis. hic enim producitur ad exigentiam materiæ dispositæ; ergo si hic esset causa materiæ, daretur inter illum & materiam mutua prioritas, quam infrà ostendam repugnare.

91 Sed materiam primam non dependere à formâ vt à subiecto, quæ erat secunda pars nostræ assertionis, facilius probatur, quia ipsa est primum omnium subiectum, ergo à nullo alio potest dependere vt à subiecto, aliàs iam non ipsa, sed illud aliud à quo ipsa penderet vt à subiecto esset primum subiectum; & illud ego dicerem esse materiam primam. Dices, Pendent inuicem vt à subiecto. Contrà, ergo tam forma est primum subiectum, quàm ipsa materia, quod est falsum, & contra te omnesque Philosophos. Contra Secundò, quia mutua prioritas in eodem genere in omnium sententiâ repugnat, ergo materia dependere nequit à priori à formâ vt à subiecto.

Vltra has duas dependentias à priori à Philosophis cognitas, aliam nouam inuenerunt nonnulli, vt à causâ formali, quam dixerunt habere materiam à formâ, ne cogerentur asserere materiam primam verè & propriè à Deo creari: in quo autem consistat hæc dependentia à priori,
92 neque explicant hi Auctores, neque possunt. Hæc opinio reiicitur communiter ab omnibus, & meritò, tum propter rationem communem de repugnantiâ mutuæ priorîtatis inter duas res, tum quia materia prima in omnium sententiâ rigorosè à Deo creatur. Vnde, vt defenderent materiæ creationem, tenebantur potiùs negare eius omnem dependentiam à priori à formâ (etsi aliquam videretur habere.) ne discederent à communi sententiâ, quàm tam nouam inducere dependentiam, vt nouissimam & malè audientem sententiam de materiæ generatione inducerent. Denique, quia non est intelligibile, in quo consistat illa dependentia formalis à priori: quia licet rectè intelligatur compositum dependere à priori vel quasi à priori à formâ, quia hæc est pars compositi; compositum autem potest dici, licet impropriè, pendere à priori à suis par-
93 tibus, non efficienter, sed formaliter; verùm si comparetur forma cum materiâ, quandoquidem ex vnâ parte non sit de constitutione materiæ, sed omnino extra illam, aliunde autem nec sit causa efficiens, nec materialis illius; non relinquitur modus aliquis, in quo possit consistere dependentia hæc à priori materiæ à formâ.

Respondebis Primò, Quia forma est complementum materiæ. Contrà, quia hæc est dependentia solùm à posteriori, sicut essentiæ dependentia à passionibus, vt à complemento essentiæ. Deinde, forma fortè non est complementum materiæ in esse materiæ, sed in esse hominis, leonis, &c. ergo materia non dependet à priori à formâ quoad esse materiæ, sed quoad esse hominis, vel leonis, &c.

Respondebis Secundò, Materia pendet à formâ vt à termino. Sed contrà, quia hæc non est dependentia à priori, sed à posteriori; sicut actio pendet à termino producto, non tamen à priori, sed à posteriori, vt per se manifestum est.

Respondebis Tertiò, Pendet vt à conditione 94
ad productionem sui. Sed contrà Primò, quia potiùs materia iam disposita est conditio vt producatur forma, quàm è contrario. Secundò, quia prioritas per modum conditionis ex parte causæ, non reducitur ad dependentiam formalem, sed ad efficientem, ergo dependentia formalis non potest esse à priori. Ratio huius est, quia forma vt forma non causat nisi communicando suum esse illi cuius est forma, quo differt ab aliis causis producentibus aliquid à se distinctum; sed per communicationem sui esse respectu materiæ, non potest forma vllo modo causare esse materiæ, sed vt summùm, esse hominis, leonis, &c. ergo materia non pendet quoad suum esse, à priori à formâ, sed præcisè vt constituat hominem, &c.

Obiicies Primò Aristotelē 2. Physicorum docentem, causas esse sibi inuicem causas, ergo materia prima, quæ est causa formæ, etiam causabitur à formâ. Mala consequentia: quia licet id 95
verum sit in aliis causis, non tamen ideò debet esse verum in materiâ primâ, quæ producitur per creationem, & consequenter à solo Deo; sicut si vellet aduersarius probare, à materiâ primâ causari animam rationalem, & è contrario, eò quòd causæ sunt sibi inuicem causæ; neque enim id Aristoteles de omnibus causis dixit. Deinde respondeo, neque in vllâ causâ physicâ habere locum illud Antecedens propriè loquendo; ideò illud nego tamquam falsum, de quo agetur fusiùs infrà Disp. VII. à num. 46. vbi ostendam, solùm habere locum inter finem & media, quia finis apprehensus mouet ad media, hæc autem causant finem, ex quo nihil infertur de prioritate inter materiam & formam.

Obiicies Secundò, Materia est imperfectior formâ, ergo debet dependere ab ipsa formâ à priori. Nego consequentiam, quia non quæcumque res imperfectior pendet à priori à perfectiori, vt homo non pendet ab Angelo, neque sol ab homine, &c.

Obiicies Tertiò, Forma est vera causa in com- 96
posito, ergo aliquid dependet ab illâ verè à priori, sed hoc non potest esse totum compositum, ergo est materia prima. Infrà ostendam, formam vt formam non esse propriè causam compositi, sed solùm partem intrinsecam illius, quo corruit prædicta obiectio.

Obiicies vltimò, Materia existit per existentiam formæ, ergo pendet ab illâ à priori. Patet consequentia, quia pendet à priori à suâ existentiâ, hæc autem est existentia formæ, ergo pendet à priori à formæ existentiâ, ergo & ab ipsâ formâ.

Aliqui putant, sequi necessariò hanc consequentiam ex eâ Thomisticâ doctrinâ de existentiâ formæ in materiâ, & propter hoc absurdum eam esse reiiciendam. Verùm non loquuntur in hoc sibi consequenter, quia ipsi docent, existentiam formæ

formę non pendere à priori à formâ, casu quo di-
97 stinguatur; ergo quia materia pendet à priori ab existentiâ formæ, non ideò pendet ab ipsâ formâ à priori: nec immediatè, vt per se patet; nec mediatè, quia existentia quæ est causa quasi immediata & à priori respectu materiæ, non pendet à priori à formâ, ergo neque materia ratione illius pendebit à priori. Respondendum ergo est Thomisticæ obiectioni, in horum recentiorum principiis, admisso Antecedenti, & negatâ consequentiâ. Infertur quidem, materiam dependere à causis producentibus existentiam formæ, quia ab eis accipit existentiam; verùm ab ipsâ formâ nullo modo, quia hi supponunt existentiam non pendere à priori à formâ. At ego, qui cum communi admisi Thomistis, casu quo existentia distinguatur, eam causari materialiter ab essentiâ cuius est, & consequenter existentiam formæ dependere à priori à formâ: aliter teneor obiectioni respondere, negando Antecedens, scilicet materiam existere per existentiam formæ. Si enim hoc Thomistis detur, rectè inferunt, *ergo pendet materia à priori à formâ.* quod hîc intendunt.

SVBSECTIO SECVNDA.

Materia prima non pendet essentialiter vllo modo à formâ.

98 DEPENDENTIAM omnem à priori à formâ negauimus materiæ primæ; nunc autem eidem nego dependentiam essentialem à posteriori: arbitror enim, saltem miraculosè eam posse existere sine vllâ formâ substantiali. Dixi *substantiali*, quia sine aliquâ formâ modali, nempe sine aliquâ vbicatione vel duratione (casu quo distinguatur) nequit existere materia. Sed hoc proprium est omnibus aliis entibus creatis, homini, Angelo, &c. de quo alibi.

Aduerte, quæstionem hanc independentem esse ab eo, quòd materia existat per existentiam formæ; quia licet id verum esset, adhuc de potentiâ absolutâ posset esse materia sine formâ, & eius existentia per alteram existentiam, supplentem defectum existentiæ formæ; vt & ipsi Thomistæ admittunt, materiam Humanitatis Christi Domini non existere per existentiam formæ, sed per existentiam Verbi diuini; ergo in eorum
99 sententiâ posset etiam materia existere per eam Verbi existentiam, sine formâ substantiali. Imò nulla apparet repugnantia in eo, quòd detur aliqua existentia supernaturalis creata, per quam miraculosè sola materia possit existere. Adde, sicut in sententiâ Thomistarum existentia animæ rationalis potest iam solam animam rationalem, iam simul ipsam & materiam reddere existentem, etiam posse illam existentiam in solâ materiâ conseruari sine formâ.

Dices, Ea existentia est modus formæ, non verò materiæ, modus autem pendet essentialiter ab eo cuius est, ergo licet ea existentia non pendeat essentialiter à materiâ, pendebit tamen à formâ. Sed contrà, quia nulla est ratio ad asserendum, existentiam esse modum formæ, & non materiæ. Nam quòd dicatur propria formæ, & ab eâ communicetur materiæ, tantùm probat, eam immediatiùs afficere formam quàm materiam, cum quo benè stat, vt sit modus vtriusque; ergo ex hac parte æquè essentialiter pendebit ab vtraque, licet non æquè immediatè; aut è contrario, non magis essentialiter à formâ quàm à materiâ: sed 100 ab hac per te non pendet essentialiter, vt supponimus; ergo neque à formâ, ergo poterit diuinitus ea existentia in solâ materiâ conseruari.

Probo autem, iam absolutè posse materiam primam sine formâ substantiali miraculosè existere. Primò, quia nulla apparet in eo vel probabilis repugnantia, ergo non debet denegari omnipotentiæ Dei. Consequentia est bona. Antecedens probatur solutione obiectionum, inter quas prima sit

Auctoritas D. Thomæ 1. Parte, quæst. 65. art. 1. ad 3. vbi docet, magis implicare, materiam esse sine formâ, quàm accidens sine subiecto: sed accidens nequit esse naturaliter sine subiecto, ergo materia neque miraculosè poterit esse sine formâ; quia non est maior repugnantia naturalis, nisi quæ sit & supernaturalis.

Vrgeo auctoritatem D. Thomæ, quia in argu- 101
mento, cui respondet, contendebat probare, posse materiam esse sine formâ, sicut potest accidens sine subiecto, & huic argumento respondet Angelicus Doctor, assignando discrimen, & ponendo maiorem repugnantiam in productione materiæ sine formâ, quàm in productione accidentis sine subiecto; ergo quia sentit materiam nec miraculosè posse produci sine formâ, alioquin concederet argumento totum intentum. Idem videtur docere in toto corpore articuli, dum ait materiam non posse existere, nisi sit in actu, quod habet à formâ, ergo sine illâ nequit vllo modo existere. Recentiores aliqui conantur D. Thomam explicare, quasi solùm voluerit, materiam primam non posse esse sine actu entitatiuo, id est, sine propriâ entitate & existentiâ; de actu verò completo, quem habet à formâ, non dubitauerit. Hæc tamen explicatio apertè est 102
contra D. Thomam, qui docet, materiam primam non posse esse in rerum naturâ sine actu quem habet à formâ, ab hac autem non habet actum entitatiuum, sed completum; ergo sentit D. Thomas, materiam non posse esse in rerum naturâ, non solùm sine propriâ entitate, quia hoc indubitatum est, sed nec sine actu completo, quem habet à formâ. Præterquam, quòd hæc solutio non satisfacit auctoritati D. Thomæ ex argumento ad 3. suprà positæ, ideò arbitror S. Doctorem in hac re nobis esse contrarium, vt & fatentur Conimbricenses lib. 1. cap. 9. quæst. 6. articulo 1. nec mirum est, si nos à D. Thomâ in hac sententiâ discedamus, cùm duo Dominicani, Sotus & Bañes, apertè fateantur, se argumentorum vi oppressos hac in re à suo Magistro discedere; Sotus quidem 1. Physicorum quæst. 6. art. & concluſ. 2. Bañes verò 1. Parte quæst 66. art. 1. dubio 2. conclusione 3. Ad rationem ergo 103
D. Thomæ respondeo, formam substantialem complere materiam non in esse materiæ, sed in esse hominis, vel leonis, &c. non autem repugnare, materiam primam existere, etiamsi actu non constituat hominem, leonem; sicut etiam ipsa materia complet animum rationalem in esse hominis, nec tamen propterea animus non potest esse sine materiâ primâ.

Secunda obiectio sit: Quia si materia prima esset

esset sine formâ, contineretur sub genere corporis, & non esset in aliquâ specie infimâ, quod omnino repugnat. Hoc argumento, quod valdè extollitur à Caietano, videtur etiam probari, materiam primam non habere essentiam distinctam à formâ, quia illa essentia continetur sub genere corporis, & tamen non est in aliquâ specie infimâ hominis, vel leonis, &c. Neque video, quid ad hoc conducat, eam posse aut non posse solam existere: quomodocumque enim existat, distinguitur à formâ, & in eâ vt sic distinctâ, totum argumentum Caietani habet spatiosum locum. Igitur absolutè respondeo, materiam, sicut est inadæquatè sub genere corporis, quia hoc dicit compositum ex formâ & materia, ita etiam esse inadæquatè in speciebus infimis hominis vel leo-
104 nis, &c. quarum est pars inadæquata. Imò & idem argumentum fieri posset de formâ, quæ separata non pertinet ad aliquam speciem completè, & tamen non ideò ei repugnat diuinitus separatio à materiâ, imò nec naturaliter, si sit rationalis; idem ergo erit de materiâ.

Tertia obiectio: Omne esse accidentale includit aliquam formam accidentalem, ergo & omne esse substantiale aliquam formam substantialem, ergo esse materiæ debet includere formam substantialem, ergo repugnat eam esse sine formâ. Hoc argumento præcisè contra ipsos Thomistas probatur, materiam non habere essentiam distinctam à formâ, quia illa essentia est substantialis, & consequenter deberet includere formam; quod est contra ipsos Thomistas. Imò probatur, Deum & Angelos non esse substantias, quia non includunt formam substantialem. Respondeo ergo, de conceptu accidentis esse inhærere, & consequenter esse formam: at verò de conceptu substantiæ non esse informare, quare non quælibet substantia includit formam.

105 Quarta obiectio: Materia magis pendet à formâ substantiali quàm ab accidentali, vel minimùm æqualiter: sed non potest esse materia sine omni formâ accidentali, v. g. sine vbicatione & duratione; ergo nec sine formâ substantiali. Sed nego Maiorem, quia materia, vt ens creatum, pendet essentialiter (sicut & omnia alia entia, homo, Angelus, &c.) ab vbicatione & duratione, quia nequit esse in rerum naturâ quin sit alicubi, & in aliquo tempore: à formâ tamen substantiali solùm pendet naturaliter vt à complemento, sine quo rectè potest esse de potentiâ absolutâ; sicut potest ipsa etiam forma existere, non quidem sine vbicatione, sic verò sine materiâ, etiamsi maneat incompleta substantialiter.

106 Quinta obiectio: Deus non potest supplere defectum causæ formalis, neque enim potest facere album sine albedine; sed materia pendet à formâ in genere causæ formalis, ergo illius defectus non poterit à Deo suppleri. Hoc argumentum æquiuocatione laborat: aliud enim est, comparare formam cum toto cuius est pars, & vt sic verum est, non posse à Deo suppleri defectum formæ, quia nequit facere hominem sine animâ rationali per solam materiam; aliud verò est, comparare formam cum alterâ comparte, id est cum subiecto; vt sic enim forma non est pars subiecti, ideoque subiectum potest sine formâ illâ conseruari, nec propterea ibi vllus suppletur effectus formalis. Et hoc argumentum retorqueo contra eosdem Thomistas: quia sicut non potest Deus supplere defectum causæ formalis, ita nec defectum causæ materialis; & sicut non potest Deus hominem facere sine animâ rationali, ita nec sine materiâ primâ; ergo sicut inde intulerunt, materiam non posse esse sine animâ, vel aliâ formâ, ita deberent inferre, nec animam posse sine corpore, aut aliâ materiâ primâ.

Sexta obiectio: Natura hominis in communi 107
nequit existere nisi in aliquo indiuiduo, ergo neque materia sine aliquâ formâ. Patet consequentia; quia difficilius videtur, puram potentiam esse sine actu, quàm id quod est ens in actu (scilicet natura humana) existere sine alio actu, id est sine indiuiduo. Neque vrget hæc obiectio: quia non datur natura humana in communi à singularibus distincta; vnde non mirum, si repugnet existere. at verò à parte rei datur materia prima realiter à formâ distincta, habensque propriam actualitatem, iuxta dicta suprà, ergo poterit esse sine formâ.

Denique: Quia materia non habet propriam 108
subsistentiam, ergo nequit esse sine forma. De Antecedenti dicam in Metaphysicâ, nunc nego consequentiam, quia accidentia carent propriâ subsistentiâ, & tamè conseruantur sola in Eucharistiâ, ergo ea consequentia nulla est. Rationem reddo: quia non est essentialiter requisita subsistentia ad existendum. imò si esset, adhuc posset illam accipere materia ab aliâ re quàm à formâ, vt eam accipit materia Christi non ab animâ, sed à Verbo; ideoque posset esse non sine subsistentiâ, sed tamen sine formâ.

Hinc constat, nullum esse argumentum, quo negetur probabiliter omnipotentiæ Dei virtus ad conseruandam materiam sine formâ. Quod vlteriùs sic secundò probo positiuè: Magis pendent accidentia à subiecto, quia dependent à priori, quàm materia à formâ, quia solùm pendet à posteriori; sed accidentia conseruantur miraculosè sine subiecto in Eucharistiâ, ergo & materia sine formâ.

Dices: Hoc argumentum nullum est, quia 109
materia solùm pendet à posteriori ab vbicatione & duratione, & tamen nec diuinitus potest esse sine illis. Respondeo, consequentiam à me factam ab accidenti ad materiam, esse bonam, quia ex se dependentia à priori est maior, & aliunde nulla est disparitatis ratio. At cur non possit esse sine vbicatione & duratione, est specialis repugnantia, quam suo loco monstrabo. Præterea materia solùm accipit à formâ esse hominis, vel esse leonis, non autem existentiam, vt suprà dixi, ergo poterit conseruari miraculosè sine formâ, sicut ipsa forma sine materiâ; neque enim illis est essentiale actu constituere leonem, hominem, &c. sed posse constituere, quod habent etiam quando sunt separatæ; poterit ergo materia diuinitus esse sine formâ, vt defendunt Henricus, Scotus, Richardus, Gabriel, Gregorius, apud Conimbricenses, quibus & ipsi subscribunt P. Suarez suprà num. 3. Vasquez 1. Parte, disputat. 164. num. 22. & 23. Toletus 1. Physicorum, quæst. 13. Fonseca 5. Metaphysicæ, cap. 2. quæst. 3. sect. 1. & 2. estque communissima inter recentiores, imò ex ipsis Thomistis ab eâ stant Sotus & Bañes suprà relati.

SVB-

SVBSECTIO TERTIA.

Materia naturaliter dependet à posteriori à formâ substantiali.

110 NONNVLLI in defendendâ sententiâ de conseruatione materiæ sine formâ, longiùs progressi, affirmarunt etiam de facto extitisse aliquando materiam sine formâ vllâ. Eos refert Argentinas in 2. distinct. 12. quæst. vnicâ, artic. 2. Nituntur verbis illis Geneseos: *Terra autem erat inanis & vacua.* vbi per *terram* intelligunt materiam primam, per *inanitatem* & *vacuitatem* carentiam, omnis formæ substantialis. Fauere illis videntur, S. Augustinus cap. 4. Imperfecti de Genesi ad literam, vbi per *terram* intelligit materiam primam, & per *inanitatem* eius informitatem; Ambrosius lib. 1. Hexaëmeron, Chrysostomus Homil. 2. in Genesim, Eucherius in cap. 1. Geneseos. Nec defuerunt alij Scholastici, vt Marsilius in 3. quæst. 13. artic. 1. & Gabriel in 3. dist. 21. quæst. vnicâ, art. 3. qui crediderint, post mortem Christi mansisse diuinum illud cor-
111 pus sine vllâ formâ substantiali. Hæ sententiæ meritò ab omnibus reiiciuntur, quia sine vllo fundamento fingunt ea miracula. Neque locus Geneseos fauet primæ sententiæ, quia per terram non intelligitur sola materia, sed compositum ex materiâ & formâ terræ, quæ ideò dicitur vacua & inanis, quia carebat pulchritudine herbarum & arborum. Iuxta hanc explicationem intellige Patres suprà relatos.

Communis ergo & vera sententia docet, materiam primam naturaliter non posse esse sine formâ substantiali. Verùm huius Conclusionis difficulter redditur ratio efficax. Prima potest esse, quia materia est incompleta substantialiter, vnde petit naturaliter habere complementum. Hæc ratio infringitur in animâ rationali, quæ est incompleta substantialiter, & tamen potest existere sine materiâ naturaliter, ergo idem erit de materiâ.

112 Secundò alij: Quia materia prima sine formâ est valdè deformis & turpis, ideoque illam horret natura. Videntur hi Auctores materiam sibi imaginari monstrum aliquod, aut spectrum, cuius aspectu deterreatur natura, & quod fugiendo vitare conetur. Aduerte, materiam primam existentem sine formâ, nō esse positiuè deformem, quia aliàs etiam, dum est cum formâ, maneret deformis; tunc enim retinet omnem entitatem positiuam, quam habebat sola, sed potiùs positiuè habere perfectionem substantialem, quâ excedit accidentia: solumque posse dici deformem quasi priuatiuè, quatenus non habet omnem perfectionem quam potest habere. Ex hoc autem non sequitur, naturam ab illâ abhorrere: sicut non abhorret ab animâ rationali separatâ, etiamsi sit deformis priuatiuè, quatenus non habet omnem perfectionem. Ratio est, quia non omne
113 quod existit in naturâ, debet esse cum omni perfectione cuius est capax. Nónne natura, si habeat materiam primam, licet solam, erit perfectior, quàm si ipsâ careat? cur ergo illam horrebit? Adde, fortasse posse esse aliquam materiam primam solam perfectiorem, quàm sit aliquod totum substantiale, v.g. simus; cur ergo non po-
terit esse sola? sed do tibi, materiam separatam à formâ esse positiuè deformem, sicut sunt monstra; inde tamen non potest inferri, saltem per accidens, in aliquo casu naturaliter dari non posse.

Tertio alij: Natura abhorret otiosum, sed materia sine formâ substantiali esset otiosa, ergo non existeret naturaliter. Confirmatur ex differentiâ inter eam & animam rationalem: quia hæc etiam separata potest operari, materia verò nullam habet operationem quam posset sola exercere. Huic argumento facilè respondeo Primò, materiam primam separatam causaturam proprias passiones, quod sufficeret vt non esset otiosa: plura enim composita existunt, in quibus nullas agnoscimus operationes, præter eas quæ terminantur ad proprias passiones, quæ tamen non dicimus otiosa. Secundò addo, materiam tunc futuram 114
valdè vtilem, vt reciperet influentias à corporibus distantibus, v.g. à cælis, & per ipsam in alia corpora transfunderentur. Tertiò denique, etsi materia nil prorsus operaretur, adhuc non esset otiosa naturæ, quia esset ens reale & substantiale: natura autem dum appetit operationes, ideò est, quia ipsæ operationes sunt entia realia perfecta & bona transcendentaliter; ergo cùm hoc haberet materia independenter ab operationibus, independenter ab illis posset amari à naturâ, sicut amantur relationes, & alia entia modalia non operatiua, aliàs daretur processus infinitus; operationes enim propter alias, & hæ rursus propter alias in infinitum amari deberent.

Quartò alij: Materia numquam existit sine formâ, ergo signum est, non posse naturaliter sine illâ existere, quia quæ cum tantâ infallibilitate contingunt, fundantur in ipsâ naturâ rerum. Sed in primis rogo hos Auctores, vtrùm ipsi fue- 115
rint præsentes ab initio mundi in omnibus totius orbis locis, vt tam certò possint affirmare, numquam caruisse materiam formâ substantiali; imò interrogo, an si Deus tolleret formam substantialem à ligno, reliĉtis accidentibus, cognosceretur ille defectus. Nec per somnium: sicut non cognoscitur in Eucharistiâ defectus materiæ & formæ. Vnde ergo inferunt, de facto numquam id contigisse? Anne habuerunt reuelationem eâ de re? Dicent, Quia esset miraculum. Sed contrà, quia de hoc est quæstio. Aduersarius dicit contigisse, quia non est miraculum: non debet probari esse miraculum, quia numquam contigit; & numquam contigisse, quia est miraculum. Sed do tibi numquam contigisse, inde non infertur esse impossibile naturaliter, quia multa sunt naturaliter possibilia, quæ numquam contingunt. Denique, quia huius impossibilitatis quærimus rationem, non experientiam.

Quintò alij: Quia agentia naturalia non ha- 116
bent virtutem ad spoliandam materiam formâ substantiali sine introductione alterius nouæ formæ, ergo neque ipsâ materia poterit existere sine omni formâ, cùm non sit agens naturale, à quo possit spoliari. Consequentia est bona. Antecedens patet: quia expulsio dispositionum, ex quarum defectu forma substantialis solùm potest perire, prouenit ab aliis dispositionibus contrariis pro nouâ aliâ forma; ergo expulsâ præcedenti, subsequitur necessariò noua, ergo numquam potest omnibus spoliari. Neque hoc argumen-
tum

tum premit: quia eo summùm probatur, productâ iam semel vnâ formâ in materiâ, non posse manere sine aliquâ; verùm nequaquam suadetur, in primâ productione non potuisse à Deo
117 produci solam, sine vllo miraculo. Sed dices, eo ipso quòd materia sit ens incompletum, saltem exigit vt in primâ sui productione producatur simul cum altero complemento, vt patet in animâ rationali, quæ licet possit posteà existere sine materiâ, saltem exigit, vt quando primò producitur, producatur in corpore; ergo idem etiam exiget materia, scilicet produci cum formâ: & cùm aliunde, obtentâ semel vnâ formâ, non possit illam amittere, nisi ad ingressum alius, numquam poterit esse sine aliquâ. Sed contrà, quia non est adeò certum, animam non posse primò produci extra corpus, nec facilè huius rei reddetur ratio, ergo ex illâ non sumitur efficax argumentum pro præsenti conclusione. Præterea, licet id verum sit in animâ rationali, quia est forma quæ semper producitur ad exigentiam dispositionum in materiâ; id tamen non est verum in ipsâ materiâ, quæ priùs saltem naturâ producitur quàm ipsa forma. nec videtur absurdum vllum, si producatur priùs tempore, vt paulatim recipiat dispositiones ad formam.

118 Secundò autem absolutè impugno prædictum argumentum, quia non est omnino certum, etiam postquam materia est cum formâ, non posse illam spoliari sine aduentu alterius. Sicut enim plures formæ accidentales possunt corrumpi naturaliter, quin in earum locum aliæ contrariæ succedant, vt patet in luce, & aliis rebus, de quibus nos infrà fusiùs; cur etiam non poterunt esse aliquæ dispositiones tales, quæ sine aduentu contrarij deficerent, & consequenter tunc etiam forma substantialis sine aduentu nouæ destrueretur? Pone, lucem esse dispositionem ad aliquam formam substantialem, certè sicut lux perit sine formâ positiuâ oppositâ, ita & periret forma substantialis ad quam disponit.

Dices, Natura non amat destructionem propter se. Contrà, eam amat, vt vidimus, in luce; cur ergo non posset eam amare, etiam si lux esset dispositio ad formam substantialem? Præterea, eam amat in rebus accidentalibus, cur non & in substantialibus?

119 Dices, Hinc à nobis probatum suprà materiam esse naturaliter incorruptibilem, quia à nullo agente potest denudari omni formâ substantiali, cuius oppositum videmur docere in præsenti. Respondebo, me ibi supposuisse, materiam naturaliter non posse existere sine formâ, cuius probationem huc reiici: inde autem ibi intuli, non posse ab agente naturali corrumpi, quia non poterat omni formâ substantiali nudari. Petes ergo rationem quâ id probatur, ne committamus circulum. Fateor, à me nullam inueniri; video tamen in hac re omnes ferè vnanimi cõsensu conuenire. Vnde probabiliter dico, materiam habere aliquam dependentiam à posteriori à formâ substantiali, quia in tali dependentiâ nulla apparet repugnantia, & aliunde nullum est argumentum, quo eam probetur esse independentem de facto: ergo etsi nos eam dependentiam non possimus ostendere, probabiliter tamen possumus, communi auctoritate freti, eam affirmare, reducendo illam in naturam ipsius materiæ, sicut reducimus in naturam quantitatis, quòd non possit cum aliâ quantitate penetrari. An autem pendeat ab ali- 120
quâ formâ accidentali, alibi tractandum est, dum de vbicatione & duratione egerimus, vbi ostendemus, etiam diuinitus non posse vllam rem creatam ab aliquâ ex his formis accidentalibus, saltem disiunctiuè, separari.

SVBSECTIO QVARTA.

Materia prima conseruatur sine formâ eodem influxu quo simul cum illâ.

CONIMBRICENSES suprà art. 3. Fonseca 5. Metaphysices cap. 1. quæst. 3. Sect. 2. censent materiam, si conseruaretur sine formâ, conseruandam maiori influxu quàm simul cum formâ, vt suppleretur quidquid forma actuando materiam præstabat. A numero 88. ostendi, formam nullum habere influxum in materiam: ex quo infertur, circa materiam non debere absente formâ suppleri influxum aliquem. Quare 121
contrariam sententiam, asserentem, eadem actione posse conseruari materiam sine formâ, ac cum illâ, veram reputo cum P. Suarez Disput. 15. Metaphysicæ, sect. 9. num. 7. P. Hurtado Disput. 2. Physicorum §. 104. & recentioribus communiter; neque alia est necessaria probatio, præter supradictam desumptam ex negatione influxus, formæ in materiam: est ergo conseruatio materiæ sine formâ in se eadem quæ anteà, solumque est supernaturalis quoad modum, quatenus à Deo præbetur omnino gratis, & contra exigentiam naturæ petentis non conseruari materiam sine formâ.

Aduerte tamen hîc, malè à nonnullis doceri, etiamsi esset necessaria diuersa actio ab eâ quæ conseruatur cum formâ, eam non futuram supernaturalem, eò quòd non excederet vires Dei vt agentis naturalis. Malè, inquam, hoc doceri; quia talis actio esset materiæ supernaturalis, & consequenter non fieret à Deo vt auctore naturali. Suppono enim nunc materiam ex se natu- 122
raliter pendere à formâ. Vnde fit, vt actio quæ ex naturâ suâ conseruaret materiam sine formâ, illi esset supernaturalis, non minùs quàm accidenti actio quâ sine subiecto conseruaretur, etiamsi à solo Deo proueniat. Statuendum ergo est, vt ea actio in substantiâ naturalis sit debere esse eamdem numero vel specie cum eâ quâ sub formâ conseruatur materia.

Obiicies: Hæc conseruatio per se est supernaturalis quoad modum, ergo & quoad substantiâ. Patet consequentia: quia modus ille debet esse supernaturalis quoad substantiam; nam si solùm esset quoad modum, daretur processus in infinitum; ergo conseruatio à quâ non distinguitur modus ille, debet esse in suâ substantiâ supernaturalis; ergo non conseruatur materia per eamdem actionem cum formâ, quâ extra illam, quia nequit eadem actio esse naturalis & supernaturalis in suâ substantiâ.

Respondeo, concedendo obiectione probari, 123
quando datur aliquid supernaturale quoad modum, debere etiam dari aliquid quoad substantiam supernaturale, scilicet modum ipsum, ne detur prædictus processus infinitus: sed nego, modum illum esse ipsam actionem, quâ materia cõserua-

seruatur. Modus ergo ille in se supernaturalis, est *voluntas Dei de præbendo concursu materiæ carenti omni formâ:* quæ voluntas Dei à se ipsâ habet esse supra totam exigentiam naturæ, & ab hac voluntate ipsa actio dicitur supernaturalis extrinsecè, & quoad modum; sicut cùm Deus cæco visum restituit, actio, quâ tunc producitur visus, est eadem saltem specie cum eâ quâ ante amissionẽ conseruabatur idem visus, ideoq; est in suâ substantiâ naturalis; verùm, quia in hac occasione non erat virtus in totâ naturâ ad illã actionem, ideò eius productio est supernaturalis extrinsecè à voluntate Dei, volentis dare naturæ, quod in hac occasione nullo modo debebatur.

124 Quare illa voluntas Dei est in suâ substantiâ supra totam exigentiam naturæ, & consequenter in se supernaturalis; est enim voluntas non seruandi leges naturæ.

Sed replicabis contra hoc: Quia hinc videtur infern, neque quo ad modum eam conseruationem esse supernaturalem, quã materia prima conseruatur priùs natura quàm intelligatur, vel carentia omnis formæ, vel existentia alicuius; ergo miraculum non consistit in voluntate conseruandi materiam, sed in negatione omnis formæ, suppositâ iam materiâ. Nec potest dici, materiam primam exigere vt destruatur, si non detur ei forma; nequit, inquam, hoc dici: cùm enim pro priori naturæ iam supponatur existens, implicat, eam exigere vt pro posteriori destruatur, etiamsi pro eo posteriori non producatur forma; ergo miraculum non est in conseruatione materiæ, sed in carentiâ omnis formæ.

125 Huic argumento succumbunt recentiores nonnulli, & putant, miraculum non esse in conseruatione materiæ, sed in non dandâ illi formâ.

Alij verò tunc solùm admittunt tale miraculum, quando iam in aliquo instanti reali præcessit materia sine formâ: tunc enim in sequenti debet illi Deus velle dare formam, antequam illam velit creare; quod si non faciat, iam ea voluntas cõseruandi materiam erit miraculosa quoad modũ. Sed hæc distinctio omnino displicet: quia pro hac re non debent instantia realia considerari, sed instantia naturæ. Vnde, si in primo instanti reali, eò quòd materia ex se sit prior, priùs etiam naturâ decernitur quàm aliquid de formâ statuatur; idem erit in secundo & tertio, & in omnibus instantibus realibus, quia semper materia
126 est prior naturâ quàm forma. Et cõfirmatur: quia eò quòd Deus in vno instanti fecerit aliquod miraculum, non tenetur in aliis instantibus immutare ordinem naturalem; ergo quia in instanti A. negauerit materiæ formam quæ illi debebatur, non ideò tenetur in instanti B. mutare ordinem decretorum, & priùs naturâ velle producere formam, quàm velit producere materiam; sed perinde ac si non feciſſet illud miraculum, debet (si naturaliter procedat) incipere à materiâ, & consequenter nec tunc erit miraculosa eius conseruatio, etiamsi vlteriùs in eo secundo instanti illi neget formam, sicut non fuit miraculosa per te in primo. Constet ergo eamdem esse de vtroque difficultatem.

Absolutè autem reiicio hanc sententiam: quia si in eo instanti productio materiæ neque quoad modum esset in se miraculosa, sequeretur, euidenter materiam non dependere nec à posteriori nec à priori à formâ, quandoquidem conseruatio materiæ sine formâ nullo modo est supernaturalis; sed solùm sequeretur, ad ipsam materiam necessariò consequi formam aliquam, quod longè diuersum est. Et ostendo exemplo ignis, qui non dicitur pendere neque à posteriori propriè à calefactione passi approximati, etiamsi naturaliter petat eam calefactionem. vnde quando in fornace Babylonicâ ignis non combussit tres pueros, non dicitur ignis conseruatus miraculosè, sed miraculosè impeditus ab operatione: ergo similiter iuxta hos Auctores numquam dicetur materia miraculosè conseruata, etiam quando caret omni formâ substantiali, sed solùm dicetur miraculosè impedita ne formam acquirat, quod longè diuersum est. Pro quo aduerte, aliter causas naturales, necessitatas ad operandũ, dependere ab operationibus subsecutis necessariò ex ipsis; & aliter materiam à formâ, essentias que à suis 128 passionibus: illæ enim non pendent propriè ab operationibus subsecutis, nam per illas nec complentur, nec constituuntur in suo esse, sed quasi ex fecunditate sunt determinatæ ad operandum. At materia pendet à formâ & essentiæ à passionibus, tamquam à complemento naturali, sine quo imperfectæ essẽt, & quasi (sic liceat id explicare) indignæ vt in rerum naturâ existant. Hinc fit, vt quando causæ naturales impediuntur ne operentur, non dicantur ipsæ causæ miraculosè conseruatæ, sed (vt suprà dicebam) miraculosè impeditæ ab operationibus. At, si essentiis propriæ passiones negentur, & formæ omnes materiæ, non solùm dicatur eas impeditas fuisse ab operatione aut receptione, sed etiam in se miraculosè conseruatas, quia sine complemento & ornatu debito conseruantur; ergo debemus dicere, eam actionem conseruatiuam materiæ sine formâ, esse in se, saltem quoad modum, miraculosam.

Quia verò numquam vellem in modo loquendi hærere, & fortè contẽdes, non aliter materiam 129 pendere à formâ, & essentias à passionibus, quàm pendeat ignis à combustione stupæ approximatæ; absolutè & vniuersaliter tuam impugno doctrinam. Nam licet posterior naturâ sit formæ productio, quàm materiæ creatio, quandoquidem tamen Deus noscit, necessariò deberi materiæ primæ existenti formam aliquam, & propter hanc creetur materia, tamquam propter finem, tenetur Deus, si vt auctor naturæ procedat, quando habet voluntatem creandi materiam, simul habere voluntatem ei dandi aliquam formam. Imò illa voluntas creandi materiam debet esse virtualis voluntas simul illi dandi formam. Positâ autem hac voluntate, non potest posteà illi negare formam, vt per se patet. Quòd si Deus habeat voluntatem creandi materiam, sine voluntate dandi illi formam, aut præscindendo ab hoc, iam eo ipso ea voluntas est supernaturalis, quia vult creare materiam præscindendo à fine naturali & debito in illâ creatione, nempe à formâ dandâ: & cùm ea voluntas sit causa creatio- 130 nis, iam tunc ab eâ, quia supernaturalis est, denominabitur immediatè supernaturalis quoad modum ea conseruatio, seu prima creatio materiæ sine formâ.

Sed posses replicare Primò, Ergo propter eamdem rationem etiam conseruatio ignis, quando non calefacit passum approximatum, erit super-

naturalis in se quoad modum, quod tamen paulò antè à te negatum erat. Respondeo tamen, negando consequentiam; quia (vt ibi dixi) ignis non pendet propriè à posteriori à calefactione extrinsecâ, sed à propriis tantùm passionibus: Deus autem quâdo vult aliquid creare, non tenetur tunc velle nisi dare tali rei ea, à quibus illa pendet à posteriori & à priori; de ceteris autem quæ consequuntur, ex aliis circumstantiis, non tenetur
131 tunc decernere. Si verò tu contendas, etiam ignem pendere à posteriori à calefactione, tunc dicas, etiam miraculosè ignem conseruari quando stupam non comburit.

Dices Secundò: Deus priùs naturâ decernit ea quæ sunt priora, & posteriùs ea quæ posteriora; ergo priùs naturâ decernit creare materiam, quàm decernat illi dare formam; ergo si, positâ illâ priori voluntate, quæ in se naturalis est, de creâdâ materiâ, posteà pro posteriori naturæ non haberet voluntatem dandi formam, tunc materia produceretur sine formâ, & non esset supernaturalis ea volitio creandi materiam, sic verò nolitio illi dandi formam; & consequenter non esset miraculosa materiæ conseruatio, sed negatio formæ in illâ.

132 Propter hoc argumentum inclinaueram olim in contrariam sententiam. Nunc verò re meliùs perpensâ, modus dicendi quem suprà defendi, magis placet, & ad hoc argumentum positum respondeo, aliqua esse ita priora naturâ, vt simul necessariò naturaliter petant ea quæ sunt posteriora, quia ab eis pendent à posteriori, tamquam à necessario complemento & fine ad quem per se ordinantur: & in his dico, Deum eo priori, quo decernit per actum naturalem talem rem producere, decernere etiam illi dare suum complementum, quia voluntas naturalis debet esse de creandâ re cum eis quibus naturaliter indiget, vt per se videtur notum. Vnde non potest Deus pro eo priori præscindere à voluntate, saltem indeterminatâ, dandi materiæ aliquam formam. Quòd si præscindat, iam eo ipso ea voluntas erit supernaturalis, quia præscindit à naturali complemen-
133 to debito. Alia verò ita esse posteriora respectu alterius, vt non sint illi debita, aut de complemento illius, sed purè secundariò ab illâ consecuta; & in his, fateor, Deus priùs naturâ determinat creare rem illam, quàm decernat illi dare ea quæ posteriùs naturâ tali rei hoc modo conueniunt. Forma autem substantialis, saltem sub disiunctione hac, vel illâ, est necessarium complementum materiæ, & ideò saltem debet in confuso esse volita in voluntate creandi materiam, si voluntas hæc naturalis sit. Vnde constat, quandocumque sine formâ conseruatur, creationem materiæ ortam esse à voluntate Dei in se præternaturali, & consequenter ab eâ denominari eam conseruationem supernaturalem quoad modũ. Quòd si contingeret, vt cùm Deus decreuisset creare materiam, præscindendo à voluntate de formâ illi dandâ, posteà daret illi formam, adhuc tunc ea creatio materiæ esset supernaturalis quoad modum, non quia ad extra esset aliquid supernaturale in eâ productum, sed quia productio materiæ ortum traxit ex voluntate præternaturali & indebitâ, quam suprà satis explicaui.

SECTIO VII.

De subsistentiâ Materiæ primæ.

QVID sit subsistentia, de quâ in præsenti, per- 134
tinet ad Metaphysicam, vbi fusè de hac re disputabo. Quia verò decidere, an materia prima habeat subsistentiã, & rursus an vnam sibi propriam, distinctam ab eâ quæ formæ tribuitur, an verò vnica in vtraque præcisè ponenda sit, pendet omnino ab explicatione effectus formalis, ideò etiam hoc reiicio ad Metaphysicam, etsi ex parte ad Physicam huc que spectare videretur. Ne tamen ieiunus omnino abscedas, has accipe Conclusiones è dicendis ibi extractas.

PRIMA CONCLVSIO. Subsistentia est quædam entitas substantialis, à materiâ, formâ & vnione à parte rei distincta. Eam nouimus ex mysteriis Fidei Trinitatis & Incarnationis, & ex hoc vltimo subsistentiæ realem distinctionem nouimus, eò quòd in Christo Domino non manserit subsistentia seu personalitas creata, manentibus formâ & materiâ vnitis; ergo ea subsistentia erat separabilis, ergo distincta realiter: quæ enim realiter separari possunt, realiter distinguuntur.

SECVNDA CONCLVSIO. Explicare quid præ- 135
stet, aut quem effectum formalem communicet, est difficillimum, eò quòd ratione naturali nihil de subsistentiâ nouimus, ex Fide verò illam quidem dari (vt paulò antè diximus) benè inferimus: quem autem effectum formalem communicet, nec Fides docet, nec ex Fidei principiis indagari potest. vnde ostendam suo loco, hallucinari eos, qui illam vel ad operandum, vel ad non dependendum à subiecto, requirunt. Ideò concludam, dicendum eam esse quamdam formam substantialiter perficientem & complentem naturam, sicut albedo perficit accidentaliter subiectum, neque ampliùs à nobis eum effectum posse explicari. Hinc sit

TERTIA CONCLVSIO. Etsi non videatur re- 136
pugnare, vt in qualibet parte essentiali compositi sit distincta subsistentia, quia tamen nulla est huius multiplicationis necessitas, consequenter ad ea, quæ de vnione suprà, & in aliis materiis infrà, dicturi sumus, vnica tantùm de facto ponitur subsistentia, materiam & formam indiuisibiliter perficiens, & ab eis recepta, & materialiter causata, sicut suprà de vnione dictum est.

SECTIO VIII.

De proprietatibus Materiæ primæ.

NON agimus de proprietatibus materiæ communibus aliis rebus, scilicet de vbicatione, duratione, &c. sed de his quæ sunt magis propriæ materiæ, inter quas

Prima sit, esse Ingenerabilem & incorruptibilem, de quâ egimus suprà Sectione 2.

Sed obiicies: Si materia prima esset incorrupti- 137
bilis, ab illâ denominaretur totum compositum incorruptibile, sicut denominatur corporeum & materiale; sed non denominatur incorruptibile, ergo materia non est incorruptibilis. Respondeo, negando primam sequelam, quia prædicata negatiua non possunt affirmari, nisi vtrique parti conueniant,

ueniant, imò & ipsi toti; secùs affirmatiua. Vnde potest dici homo intellectiuus ab animâ, non autem immortalis. etiamsi anima non minùs sit immortalis quàm intellectiua. Ratio à priori est, quia negatio negat totum, vnde debet conuenire cuilibet parti; affirmatio autē solùm requirit reperiri, quod affirmat, in aliquo ex subiectis, sicut in simili diximus in Summulis, vno solo currente, posse dici, *homo currit*; non autem posse dici, *ho-*
138 *mo non currit* etiamsi aliquis non curreret. Cùm ergo *esse incorruptibile* sit prædicatum negatiuum, etsi conueniat materiæ & animæ rationali, quia tamen non conuenit vnioni vtriusque, non potest de homine affirmari; potest autem affirmari *corporeum*, etiamsi non conueniat animo, quia est prædicatum affirmatiuum, & conuenit vni parti. Et hinc colliges, cur homo dicatur à materiâ *corporeus* absolutè, non autem dicatur absolutè *spiritualis* ab animâ, quia spirituale explicatur à nobis negatiuè per negationem vel partium, vel dependentiæ à materiâ; vnde non potest affirmari de homine præcisè ratione vnius partis, sicut potest *corporeum*, quod vel est prædicatū omnino affirmatiuum, vel saltem à nobis explicatur per modum affirmatiui. Quæ doctrina aduertenda est ad tollendas multas difficultates circa modum loquendi in similibus materiis.

Dices Secundò: Materia dicit vnionem partium ipsius materiæ; sed illa vnio est corruptibilis, ergo ratione illius non poterit dici materia incorruptibilis. Respondeo, vnionem materiæ non esse de essentiâ materiæ; quia cùm sit totum homogeneum, etiam indiuisibile illius est propriè materia, etsi non tanta, quanta viginti pluráve indiuisibilia eiusdem vnita inter se.

139 Cum prædictâ proprietate materiæ coincidit, quam alij secundo lóco ponunt, scilicet eam esse æternam à parte post: nam esse incorruptibilem naturaliter à parte post, idem est ac esse æternam à parte post, quæ æternitas solùm est proprietas materiæ. Secunda ergo proprietas materiæ sit Quantitas, de quâ fusiùs in Metaphysicâ.

Tertia verò, Vnio cum hac vel illâ formâ substantiali. sed de vnione agemus Disputatione IV.

Quarta eius proprietas est, Habere aliquas ex primis qualitatibus, vel calorem vel frigus, vel humiditatem vel siccitatem. Vtrùm autem hęc sit proprietas materiæ, non potest dignosci, nisi cognitâ eius differentiâ à materiâ cæleſti: nam si ambæ sint eiusdem speciei, cùm materia cæleſtis careat omnino his qualitatibus, dicendum videtur,
140 eas non esse materiæ proprietates quæ semper illi debeant conuenire. Si autem constituantur diuersæ in specie, dicendum videtur, eas esse proprietates materiæ non ratione sui, sed ratione formarum substantialium sublunarium, quæ exigūt pro dispositione aliquas ex his primis qualitatibus. Dixi, *non ratione ipsius*; quia non video in materiâ specialiorem exigentiam caloris quàm coloris, si materia consideretur secundùm se, & non in ordine ad formas substantiales: nam in aquâ connaturaliter est materia sine calore, & in igne sine frigore; ergo sicut color non est proprietas materiæ, neque erit calor aliæve primæ qualitates.

Ex hac quartâ proprietate materiæ, oritur alia suprà explicata, Esse scilicet principium primum passiuum corruptionis compositi. Cùm enim ipsa de se sit capax primarum qualitatum, quæ inuicem opponuntur, inde redditur capax corruptionis compositi ex receptione dispositionum oppositarum illis, quas compositum exigebat, & hinc nascitur perpetua generationum substantialium vicissitudo.

Sexta proprietas materiæ communiter assignatur, eam Non esse cognoscibilē per se. Sed in primis hæc non cōsistit in eo, quòd nequeat cognosci, nisi in ordine ad formam, quia etiam forma in hoc sensu non est cognoscibilis per se, debet enim cognosci in ordine ad materiam. Neque 141
cōsistit in eo, quòd à nobis nequeat materia cognosci, nisi per discursum ex accidentibus exterioribus: hoc enim commune est omnibus substantiis, quia de illis non habemus neque immediatas neque proprias species. Neque item dicitur non cognoscibilis per se, quia materia sit propè nihil, vt nonnulli contendunt, quia materia perfectior est quantitate, & aliis formis accidentalibus. Imò fortè perfectior erit quàm plures formæ substantiales, v.g. quàm forma fimi, vel alterius rei inferioris; excedit enim illas in incorruptibilitate, in independentiâ à priori ab omni subiecto, in aptitudine ad constituendum hominem, qui excessus non compensatur à prædictis formis adeò imperfectis, præcipuè cùm illa locutio, *materia est propè nihil*, sit valdè impropria, ex quâ non potest desumi argumentum, ad asserendum eam non esse per se cognoscibilem. Vnde censeo, prædictam proprietatem vel esse communem materiæ cum omni substantiâ, quæ non cognoscitur nisi per accidentia, vel falsò attribui materiæ.

Vltima illius proprietas est, Non esse operatiuam, de quâ Sectione sequenti.

SECTIO IX.

De operatione Materiæ primæ.

ADVERTE, sermonem esse de operatione effi- 142
cienti; nam de materiali alibi disputabitur, vbi ex professo agam in communi, an detur aliqua causalitas materialis. Hoc solùm dico iam, si causalitas aliqua materialis videatur admittenda, ea præcipuè debet materiæ concedi, quæ est primum subiectum, à quo omnes aliæ formæ substantiales, imò & accidentales ferè omnes, dependent. Aduerte vlteriùs, duo in præsenti posse dubitari. Primum, an materia sit effectiua ad extra vel intra se accidentium, & formarum substantialium, an scilicet quando ignis producit alium ignem, non solùm concurrat forma ignis, sed etiam illius materia: secundum, an materia prima efficiat saltem suas passiones.

PRIMA CONCLVSIO. Si reliquæ essentiæ operatiuæ sint suarum passionū, erit etiam & materia prima respectu suarum. Probatur: quia non minùs necessariò oriuntur ex materiâ propriæ passiones, quàm ex aliis essentiis; item materia 143
non minùs continet virtualiter proprias passiones, quàm reliquæ essentiæ contineant suas; idem erit ergo de materiâ, ac de illis dicendum.

Dices cum nonnullis, materiam differre à reliquis essentiis, quia est pura potentia receptiua, essentiæ verò reliquæ sunt actiuæ. Sed contrà, quia conclusionem reddis pro ratione: contendo

enim, materiam non solùm esse receptiuam, sed & actiuam suarum passionum, quia & aliæ essentiæ id habent; tu verò respondes, negando consequentiam, neque aliam das disparitatem, nisi quòd materia non habet id quod reliquæ, quæ est tua formalissima conclusio, id enim significas, dum dicis, eam esse purè passiuam, id est non operatiuam.

Dices Secundò cum P. Vasquez: Hæc materiæ actiuitas nullo fulcitur fundamento. Sed contrà, quia sufficiens fundamentum est, concedere aliis rebus eam actiuitatem respectu suarum passionum, vt etiam concedatur materiæ: imò qui assignat discrimen inter materiam & alias essentias, tenetur exhibere aliquod firmum fundamentum, ne gratis philosopheris diuerso modo in vno, quàm in altero.

144 Dices Tertiò cum P. Pereira, quantitatem non posse produci à materiâ, quia vel producitur ab eâ iam quantâ, & hoc repugnat, nam ante quantitatem non potest materia esse quanta; vel producitur ab ea non quantâ, & hoc est impossibile, quia materia non quanta est indiuisibilis & carens partibus, ideoque non potest producere quantitatem crassam & diuisibilem, ergo nec suas passiones. Sed contrà Primò, quia materia ante quantitatem non est indiuisibilis: nam si hoc esset, & post quantitatem maneret indiuisibilis, nam quantitas non potest facere diuisibilem in plura rem ex se indiuisibilem. Contrà Secundò, quia etsi esset indiuisibilis, non sequeretur, producere non posse rem diuisibilem; sicut non sequitur, Deum non posse producere quantitatem
145 diuisibilem, eò quod ipse indiuisibilis sit. Contrà Tertiò ad hominem, quia ipse, & rectè, admittit, quantitatem educi ex materiâ; tum sic: Vel ergo educitur ex eâ iam quantâ, & hoc est impossibile, quia nondum supponitur cum quantitate; vel ex eâ non quantâ, & hoc in tuâ sententiâ est impossibile, imò multò magis impossibile, quàm produci rem quantam à non quantâ, quia magis commensuratur res educta cum subiecto suo, quàm cum causâ efficienti; ergo è contrario, sicut non est inconueniens in tuâ sententiâ, educi quantitatem ex materiâ non quantâ, neque erit eam produci à materiâ non quantâ. Contrà tandem, quia licet ob rationem datam non posset materia quantitatem producere, posset saltem alias passiones, in quibus prædicta non reperiretur repugnantia.

SECVNDA CONCLVSIO. Materia prima nullam habet actiuitatem in alios effectus qui non sint proprietates ipsius. Hæc est communis inter omnes, & iuxta eam intelligendi sunt, qui negant materiæ primæ omnem actiuitatem, vt Aristoteles lib. 2. de Ortu & inter. cap 9. Augustinus 2. de Naturâ boni, contra Manichæos, & alij plures. Probatur Primò, quia sufficiens causa datur extra materiam aliorum effectuum, qui non sint materiæ proprietates; ergo non est ponenda materiæ causalitas in illos, quia non est necessaria.
146 Probo Antecedens, quia accidentium, caloris v.g. & frigoris, sufficiens causa est alius calor & frigus in materiâ existens. Idem est in formis substantialibus, quæ sufficienter continentur & producuntur ab aliis formis substantialibus similibus, ergo non est necessarius influxus materiæ ad illas. Probatur Secundò, quia materia prima non præcontinet in se formas substantiales & accidentales, vt possit eas producere, ergo nequit efficienter attingere productionem earum formarum.

Sed obiicies Primò: Materia præcontinet formas, saltem vt possit eas materialiter causare, ergo poterit eas sufficienter producere. De hoc argumento me vide Disputatione VIII. à num. 2. Interim nego consequentiam, quia modus causandi materialis est valdè imperfectus, & ex quo non potest argui ad causalitatem efficientem, quæ est perfecta, & arguit multò maiorem virtutem & continentiam in causâ, quàm materialis, iuxta communem omnium sententiam.

Obiicies Secundò: Per nos vnio ad formam substantialem, est proprietas materiæ, ergo & 147
ipsa forma substantialis erit eius proprietas, & consequenter poterit ab eâ produci. Patet consequentia, quia vnio exigitur à materiâ propter formam, ergo vnio & forma erunt proprietates materiæ, & ab ea productæ. Respondeo, nos locutos de proprietatibus quæ sunt determinatæ proprietates materiæ, vt est quantitas; at verò de proprietatibus quasi indeterminatis aliter est dicendum propter rationes suprà factas, quia non potest esse in materiâ continentia respectu tot formarum, vt eas possit efficere. Excipe durationem & vbicationem, quæ licet indeterminatè, hæc vel illa, sint passiones materiæ, quia tamen omnes fortè sunt eiusdem speciei, neque arguunt virtutem magnam in causâ, & aliunde non est alia æquè proportionata, ac est ipsa materia, fortasse suo loco dicemus à materiâ primâ produci; vel saltem quoad has est eadem ratio de materiâ primâ, quæ de aliis omnibus rebus respectu suarum durationum & vbicationum.

SECTIO X.

De causis Materiæ primæ.

DE causis materiæ ferè nihil dicendum oc- 148
currit. In primis certum est, eam non habere causam materialem; quia, vt sæpè diximus, ipsa est primum omnium subiectum. Inde prouenit, quòd ea à solo Deo vt à causâ efficienti producatur, quia solus Deus producit res, quæ, quia sunt indepẽdentes à subiecto, creantur. Quo autem tempore fuerit producta à Deo, non est huius loci; suppono id factum in primâ mundi generatione.

Circa causam formalem aduertendum est, eam posse excogitari duplicem, vel quæ det esse subiecto, & hanc reieci suprà in principio vt fictitiam; vel quæ non det esse rei quam informat, sed illam compleat & perficiat in alio esse totali, quod formaliter resultat ex ipsâ & ex subiecto vnitis inter se, & hæc est forma, siue accidentalis siue substantialis sit, respectu materiæ & cuiuslibet subiecti. Causa finalis materiæ, est totum compositum, ad cuius constitutionem ordinatur, sicut quælibet alia pars ordinatur ad totum: item potest dici, formam esse causam finalem materiæ, quatenus materia ordinatur ad existentiam & operationem formæ.

SECTIO

SECTIO XI.

De vnitate specificâ Materiæ primæ.

SVBSECTIO PRIMA.

De facto omnes materiæ sublunares sunt eiusdem speciei.

149 PRIMA CONCLVSIO. Materia prima omnium corporum sublunarium est eiusdem speciei. Hæc est communis, & probatur, quia omnes materiæ horum corporum sunt capaces earumdem formarum, ergo omnes sunt eiusdem speciei. Consequentia est bona. Antecedens probatur experientiâ, quia omnia corpora sublunaria inuicem transmutantur; ex lapide enim potest fieri ignis, ex igne cineres, ex cinere terra, ex terrâ plantæ, ex plantis animantia, & sic de reliquis; ergo materia horum corporum est capax, saltem successiuè, omnium formarum sublunarium, ergo tota est eiusdem speciei. Imò etsi daremus, aliquod ens, v. g. adamantem, non posse in aliud transmutari, adhuc dicendum esset, eius materiam esse eamdem in specie cum reliquis: quia etsi acquisita iam semel eius forma non posset propter summâ resistentiam pelli è materiâ, quia tamen illa materia anteà fuerat cum formâ terræ, ex quâ productus est adamas, dicēdum est, eam esse eiusdem speciei, & capacem ex se earumdem formarum, sicut ceteras omnes materias sublunares.

150 Obiicies Primò: Formæ differūt specie inter se, ergo & materię. Respondeo negando consequentiam, quia quælibet materia est capax omnium earum formarum: vnde quantumuis formę sint diuersæ, non licet inferre materiæ diuersitatē; sicut non licet inferre ex diuersitate actuum intellectus Petri, esse eius intellectū diuersum ab intellectu Ioannis, quia hic etiam potest eosdem actus diuersos inter se, quos potest Petrus. Valeret quidē, si non posset Petrus eosdem in specie quos Ioannes; & similiter valeret in materiâ, si vna non posset recipere easdē specie formas, quas alia habet: verùm quòd actu habeant diuersas, (si tamen earumdem sint capaces) non probat materiarum diuersitatē, quia hæc non ex his quas actu habent, sed ex his quas possunt habere ponderanda est.

Obiicies Secundò: Planta & homo differunt specie inter se, ergo & eorum materiæ. Nego consequentiam, quia tota eorum differentia prouenit à formis.

151 Obiicies Tertiò: Ergo quælibet materia habet potentiam ad infinitas specie formas. Nego Primò consequentiam, quia formæ sublunares non sunt infinitæ, nec in specie, nec in numero. Deinde, concessâ consequentiâ dico, nullum esse in consequenti absurdum, neque inde sequi materiam esse infinitam, aut habere potentiam infinitam; sicut non sequitur intellectum esse infinitum aut habere potentiam infinitam, eò quòd possit producere infinitos actus specie diuersos inter se: quod idem est in voluntate, & ferè in omnibus aliis potentiis.

Rogabis Primò, vtrùm possit esse aliqua materia sublunaris diuersa in specie ab hac. Respondeo affirmatiuè, neque enim vlla est repugnantia in eo, quòd detur aliqua materia ex se solùm capax aliquarum ex his formis quæ de facto dantur, & non omnium; vel quæ sit capax aliarum plurium possibilium, quas hæc materia quæ de facto datur, fortè non valet recipere.

Dices Primò: Si est possibilis, vnde inferes de 152
facto eam non dari. Respondeo, quia experientiâ constat, iuxta dicta suprà, materiam quæ de facto datur, esse capacem æqualiter omnium formarum sublunarium huius Vniuersi: neque habemus vllum fundamentum, ad dicendū, actu dari eas materias distinctas: requiritur autem fundamentum positiuum ad multiplicandas vel diuersificandas res, non autem ad negandam eam diuersitatem.

Dices Secundò: Materia ex conceptu materiæ habet esse ens imperfectissimum intra limites substantiæ, ergo non sunt possibiles materiæ diuersæ in specie, quia nec potest esse imperfectior, cùm hæc sit imperfectissima omnium; nec æqualis, quia non sunt duæ species eiusdem perfectionis; nec perfectior, quia non esset materia prima. Primò Respondeo, negando duas spe- 153
cies diuersas non posse esse æquales in perfectione, de quo in libris de Animâ. Secundò, negando hanc materiam esse imperfectissimam omnium; nam imperfectior esset, quæ solùm posset recipere aliquas ex his formis, non tamen omnes. Tertiò, quia falsum est, non posse esse aliam materiam perfectiorem hac, in hoc enim nulla apparet repugnantia. Quod autem dicitur, materiam esse ens imperfectissimū omnium, gratis & falsò dicitur, tum quia (vt suprà insinuaui) fortè formæ aliquæ substantiales ex imperfectioribus sunt minùs perfectæ quàm materia; tum quia non potest ostendi, cur inter ipsas materias nequeat esse inæqualitas. vnde non erit verum dicere, *hæc est materia, ergo est imperfectissimum ens intra genus substantiæ.*

Sed obiicies cum nonnullis recentioribus, Materia vt recipiat formam, non requirit continentiam illius; ergo eo ipso, quòd possit recipere vnam, poterit & omnes, quantumuis diuersas; ergo non possunt esse materiæ diuersæ in specie magis & minùs capaces formarum. Resp. retor- 154
quendo Primò argumentum, ex quo videtur manifestè sequi, qualitatem posse in se recipere formam substantialem, quia per te subiectum potens recipere aliquam formam, potest & omnes, quantumuis perfectiores; sed quantitas potest recipere formam accidentalem, ergo & substantialem, quantumuis hæc excedat in perfectione accidentalem formam. Contrà Secundò, ergo lapis qui potest recipere aliquas formas accidentales, poterit etiam recipere omnes formas accidentales, v. g. actus materiales brutorum & hominis, quod est falsissimum. Contra Tertiò, ergo poterit anima rationalis naturaliter recipere gratiam, & alias formas supernaturales, quod est hæreticum.

Probantur tamen clarè ex hac sententiâ istæ omnes sequelæ, quia subiectum, semel valens recipere aliquam formam accidentalem, debet posse recipere, secundùm hos, omnes accidētales, quantumcumque perfectas; ergo gratia, & alia dona supernaturalia, quantumcumque perfecta, poterunt naturaliter recipi ab animâ. Respondeo 155
ergo, negando Antecedens: nam materia vt recipiat formam, debet aliqualiter continere & eam & vnionem ad illam; ergo non quia contineat vnam debet continere omnes.

Secundò respondeo, Licet non requiratur continentia, vel maior virtus ad vnum actum quàm

ad alium, v. g. ad actum materialem bruti quàm ad actum materialem hominis, non valet inferri, *homo potest efficere suos actus materiales, ergo poterit actus bruti in specie*, ergo similiter, licet ad causandam vnam formam materialiter non requiratur maior virtus, quàm ad causandâ aliam, non poterit benè ideò inferri, *hæc materia potest causare illam formam, ergo & hanc*; possunt ergo esse diuersæ materiæ in specie.

Tertiò tandem respondeo, & hæc simul sit secunda Conclusionis nostræ probatio: quia etiamsi dentur duæ materiæ, quæ easdem omnino formas possint recipere, & ex hac parte non differant inter se, possunt tamen aliunde habere
156 differentiam essentialem, si v. g. vna materia esset incorruptibilis, alia corruptibilis, aut haberent aliquod prædicatum absolutum diuersum sine ordine ad diuersos terminos, vt in ipsis causis efficientibus posse contingere, alibi Deo dante clarè demonstrabo.

Rogabis Secundò, vtrùm possit esse aliqua materia solùm capax vnius formæ substantialis corruptibilis. Negant nonnulli, quia illa materia deberet esse æterna à parte post, eò quòd producta esset per creationem: sed non posset id esse verum, si solùm esset capax vnius formæ corruptibilis, quia amissâ illâ formâ non posset alia introduci; ergo destrueretur materia, quæ non potest esse sine vllâ formâ, ergo esset corruptibilis, & (vt aliunde suppono) incorruptibilis; hoc autem omnino repugnat.

Non placet hæc doctrina: ideò dicendum puto, eo ipso quòd materia illa esset incapax alius formæ, non posse ab illâ expelli eam quam habet, quia solùm potest expelli vna forma substantialis ad ingressum alius. vnde, licet illa forma, si esset in aliâ materiâ, posset corrumpi, ideoque ex se
157 esset corruptibilis; introducta tamen in materiâ incapaci alius, non posset per accidens corrumpi, vnde nec sequeretur, eam materiam corrumpendam esse; non est ergo inconueniens, si ponamus vnam materiam, solùm capacem vnius formæ, etiam corruptibilis. Confirmo hoc idem Secundò, quia posset dici, eam materiam posse existere sine formâ: nam (vt suprà vidimus) ægrè in nostrâ materiâ ostenditur repugnantia in eo quòd naturaliter careat omni forma substantiali. cur ergo dicendum, repugnare diuinitus, aliam materiam, quæ posset naturaliter sine formâ substantiali existere? Tunc autem illa posset esse æterna, etiamsi spoliaretur eâ formâ, & aliam non reciperet; sicut anima est æterna, licet priuetur materiâ, & naturaliter nequeat reuniri. Tandem, quia (vt alibi dicam) etiam res producta per creationem potest esse naturaliter defectibilis, vnde non benè infertur, omnem materiam esse naturâ suâ æternâ, eò quòd omnis producitur per creationem, ergo posset esse vna materia capax vnius formæ, etiam si inde sequeretur, eam futuram corruptibilem.

158 Rogabis Tertiò, vtrùm hæc materia, quæ de facto datur, sit capax aliarum formarum ab his quæ sunt in hoc Vniuerso. Hoc certum, posse à Deo produci vnam materiam, quæ solùm sit capax harum; aliam verò, quæ sit capax & harum & aliarum: quæ autem ex his duabus sit hæc quę de facto datur, non potest vllâ ratione à nobis definiri certò. Probabilius est, esse solùm capacem harum: quia si Deus decreuit solùm has formas producere, rationi consonum videtur, vt elegerit materiam, quæ solùm ad has haberet virtutem. ad quid enim eligeretur illa, quæ & alias posset habere? Dixi, *probabile hoc esse*, quia hæc ratio non conuincit, possunt enim Deo multæ rationes suppetere, cur creasset eam quæ non esset ad has solas formas determinata. Sed quando de his rationibus nobis non constat, probabiliùs id negamus, vt paulò antè dixi.

SVBSECTIO SECVNDA.

Quid de Materiâ cælesti & sublunari, inter se comparatis.

ANTE secundam Conclusionem suppono ex lib. de Cælo, corpora cælestia esse composita ex materiâ & formâ; deinde, ea esse incorruptibilia: vnde dubium est, an constent vel possint constare eadem materiâ in specie, quâ entia sublunaria.

SECVNDA CONCLVSIO. Potest eadem materia 159
in specie recipere formas corruptibiles & incorruptibiles. Vnde ex incorruptibilitate formæ cælestis, non infertur, eius materiam esse à nostrâ specie diuersam. Ita P. Molina 1. Parte, tract. de Opere sex dierum, vbi pro eâ refert Bonauenturam, Ockam, & Ægidium; P. Hurtado Disputatione 1. de Cælo, §. 15. & plures recentiores. Probatur, quia non repugnat, subiectum de se capax plurium formarum, reddi incapax illarum ratione alicuius formæ naturâ suâ indefectibilis: ergo ex eo, quòd materia cælestis habens iam formas incorruptibiles, nequeat acquirere aliam formam, non sequitur, eam ex suâ naturâ non esse capacem illius; ergo neque esse diuersam ab hac nostrâ materiâ. Vtraque consequentia est certa. Antecedens probatur Primò, quia sicut forma adamantis, quia ex se accedit magis ad incorruptibilitatem, quàm forma ignis, licet sit in eadem materiâ quoad speciem, in quâ forma ignis, difficiliùs tamen pellitur ex illâ quàm forma ignis, cur, si illa forma esset simpliciter incorruptibilis, quantumuis esset in materiâ naturaliter capaci aliarum, adhuc naturaliter non posset esse incorruptibilis? ergo ex incorruptibilitate alicuius compositi, non potest inferri, materiam non esse capacem alius formæ. Probatur secun- 160
dò idem Antecedens, quia licet materia ex se sit capax penetrationis cum aliâ materiâ, potest tamen reddi impenetrabilis à quantitate in sententiâ communi, eò quòd quantitas est impenetrabilis per se; ergo similiter materia capax de se plurium formarum, & consequenter capax corruptionis compositi, poterit reddi incapax aliarum formarum, & omnis corruptionis ratione formæ incorruptibilis quam habet. Idem est in homine beato, qui licet de se sit capax mortis & peccati, redditur tamen per donum supernaturale & infusum incapax mortis & peccati.

Sed obiicies Primò: si materia illa corporis incorruptibilis est de se capax aliarum formarum, cur, multiplicatis agentibus, non poterit 161
alia in eam introduci, expulsâ priori? Confirmatur: Illa virtus formæ resistens expulsioni, non est infinita, ergo non superat vires omnium agentium naturalium, ergo potest ab aliquo vel ab omni-

omnibus simul vinci. Respondeo facilè, formam priorem, eò quòd sit incorruptibilis, non posse ab vllo agente naturali, quantumuis multiplicato, expelli à materiâ, ideoque nec posse introduci aliam formam: sicut quia forma adamantis de se magis resistit; licet sit in materiâ capaci ignis, quantumuis ignis multiplicetur, non poterit illam debellare, & propriam formam introducere. Ad confirmationem respondeo, eâ etiam probari, posse agens naturale efficere, vt penetrentur duæ quantitates inter se, quia virtus quantitatis resistens penetrationi, non est infinita. & eodem modo in omnibus aliis effectibus supernaturalibus posset infringi argumenti confirmatio. Imò etiam sequeretur, ipsam materiam posse ab agente creato destrui, quandoquidè eius vis resistens non est infinita. Imò etiamsi materia cæli sit limitata ad solam formam cæli, potest idem argumentum fieri: *Existentia illius materiæ non est infinita, ergo agentia naturalia poterunt ei per vim accipere formam cæli*, quæ consequentia omnino est
162 falsa. Vnde miror, recentiores hoc vsos fuisse argumento; cui respondeo, ad resistendum agentibus naturalibus non requiri virtutem infinitam, sed incapacitatem naturalem effectus sufficere, & hanc habere formam cæli semel productam, ne destruatur; sicut & eamdem habet quantitas, si distinguatur à materiâ. vnde sicut nec quantitas potest naturaliter pelli à materiâ, ita nec illa forma posset expelli.

Obiicies Secundò: Materia illa habet appetitum ad alias formas, ergo molitur interitum propriæ. Respondeo negando Antecedens, quia dum materiâ est sub vnâ formâ, nullum habet desiderium alius, iuxta dicta suprà. Addo, malam esse consequentiam, Quia materia non potest moliri interitum propriæ formæ, nisi præcisè recipiendo dispositiones contrarias illi, ergo, licet ipsa desideraret aliam formam, tamen quia impediretur ab eâ, quam haberet, non posset illi interitum moliri.

163 Nonnulli nobiscum in hac sententia consentientes dicunt, ideò cælos non posse pati ab igne v. g. vicino, etiamsi materia cæli sit capax ex se caloris, non quia accidentia cæli sint contraria igni, & naturaliter incorruptibilia, sed quia calor non est contrarius cælo. Quia verò hinc potiùs videtur sequi, faciliùs posse produci in eo calorem, quandoquidem & materia est capax, & non habet contrarium, respondent, ignem non producere calorem in passo, nisi vt inde expellat frigus, cumque in cælo non præcedat frigus quod expellatur, non poterit introduci calor.

Hæc doctrina est omnino improbabilis, quia ignis non ita est malignantis naturæ, vt solùm ex odio frigoris operetur. Imò ideò præcisè expellit frigus, quia sibi contrarium. Et quis vmquam somniauit, si applicaretur passum sine contrario, tunc non calefaciendum ab igne, cùm contrarium resistat potiùs & impediat actionem, quàm
164 eam iuuet? Malè ergo isti dicunt, non operaturum ignem, si non reperiret contrarium in passo: neque inde probandum est, ignem non agere in cælum; sed potiùs quia cælo est contrarius ignis & calor, & quia non potest vnum contrarium introduci, nisi quando alterum potest expelli, non possit autem expelli forma cæli, ideò non potest induci forma ignis illi contraria.

Obiicies Tertiò: Ergo, licet illud corpus non posset corrumpi, posset tamen introducere propriam formam in materiam corporis corruptibilis sibi approximati: quia cùm illæ materiæ sint capaces earumdem formarum, materia aëris posset recipere formam cæli, & sic totus aër in cælum conuerti. Huic argumento valdè fidunt nonnulli recentiores, qui à contrariâ stant sententiâ. Sed miror; quia habet infinitas instantias, & stando in ratione nullum est. Sicut enim non valet, *adamas constat eadem materiâ quâ stupa, ergo potest in stupam introducere formam adamantis, & eam in se conuertere*; ita nec valebit, *cælum constat eadem materiâ quâ aër, ergo poterit in aërem introducere formam cæli.* 165 Idem est in aliis formis omnibus, quæ non producunt in passo, quantumuis applicato, formam sibi similem, vt lapis, lignum, vitrum, &c. Ratio autem huius prima est, quæ ex dictis desumitur, quia non omnis forma est actiua in alteram materiam, similem ei in quâ ipsa recipitur; vel si sit aliquo modo actiua, non ita vt introducat propriam formam. Ita cælum est quidem aliquo modo actiuum in materiam sublunarem, non tamen ita vt propriam formam in eam possit introducere, etiamsi ex se materia sit capax illius. Secunda ratio potest esse, quia cælum, quò magis resistit, eò minùs productiuum est propriæ formæ in passo, quòd habent ferè omnia agentia quæ valdè resistunt (vt infrà dicemus fusius, dũ de primis qualitatibus egerimus) quo sufficienter solutum manet argumentum.

Vtrùm autem possit esse aliquod corpus in- 166
corruptibile ex se productiuum propriæ formæ in alterâ materiâ, non est huius loci. Probabile reputo, illud esse possibile, quia nulla in eo apparet repugnantia: & propterea paulò antè solùm dixi, *fere omnia agentia valdè resistentia non esse ita operatiua*, quia non video repugnantiam, quò minùs aliquid & summè sit actiuum & valdè resistens.

TERTIA CONCLVSIO. Potest etiam corpus incorruptibile constare materiâ diuersæ speciei à materiâ entis corruptibilis. Hæc est omnium, & probatur euidenter ex dictis in primâ Conclusione: quia, si inter entia etiam corruptibilia possunt dari materiæ diuersæ in specie, à fortiori poterunt dari inter entia corruptibilia & incorruptibilia.

QVARTA CONCLVSIO. An corpus cæleste de facto constet diuersâ materiâ à nostrâ, nequit certò definiri. Ita Hurtadus suprà, & Conimbricenses 1. de Cælo, cap. 2. quæst. 6. art. 1. & constat ex dictis. quia si semel statuimus, cor- 167
pus incorruptibile posse componi ex nostrâ vel ex aliâ materiâ specie diuersâ, non potest nobis constare, quâ componatur de facto, nisi ex reuelatione, quæ in præsenti omnino desideratur; vel ex cognitione immediatâ & quidditatiuâ ipsarum materiarum, quâ prorsus caremus.

Sed obiicies Primò: Perfectiùs intelligitur incorruptibilitas cæli, si eius materia sit incapax alius formæ; ergo de facto illa constat. Nego Antecedens, quia quantumuis materia sit capax aliarum formarum, semel acquisitâ formâ incorruptibili, tam incorruptibile manet illud compositum naturaliter loquendo, quàm si materia non esset capax alterius formæ, vt patet ex paulò antè dictis.

Obiicies Secundò: Si potest produci diuersa, ergo producta est de facto. Respondeo negando consequentiam: non enim omnia quæ possunt
168 fieri fiunt. Meliùs argueres è contrario, *potest cælum constare eadem specie materiâ, quâ hæc corpora incorruptibilia, ergo de facto illâ constat*, quia non sunt diuersificandæ entitates sine necessitate. Neque tamen pro hac parte argumentum vrget, quia cùm illa materia cæli numquam sit habitura nec possit habere nostras formas, videbatur congruentiùs, vt illa produceretur quæ ex naturâ suâ esset alligata illi formæ, ad quam de facto semper alligabitur, quàm ea quæ esset indifferens ad alias: ob quam rationem diximus suprà, probabilius esse, hanc materiam sublunarem non esse capacem aliarum formarum specie diuersarum ab eis quæ sunt in hoc Vniuerso. Et fortè propterea est aliquomodo probabilius cælestem à nostrâ differre.

Sed obiicies Primò cum P. Molina, qui tuetur eas materias esse eiusdem speciei, obiicies, inquam, Augustinum lib. & cap. 1. de Mirabilibus sacræ Scripturæ docentem, Deum ex eadem materiâ cælum & hæc omnia corpora condidisse. Respondeo, librum hunc, vt indignum Augustino, reiici à B. Thomâ. Meliùs posset afferri è li-
169 bro 12. Confessionum cap. 8. vbi dicit, omnia à Deo producta ex materiâ informi. Sed respondeo, Augustinum ibi non dicere, producta fuisse ex eadem materiâ, sed ex materiâ, quod verum est.

Obiicies Secundò: Genesis 1. dicitur creasse Deus secundo die firmamentum, diuidens aquas ab aquis, quod firmamentum est cælum: sed materia huius firmamenti producta est primo die sub alterâ formâ, ergo illa materia erat capax formarum corruptibilium, ergo eadem in specie cum nostrâ. Pater Hurtado Disputatione 3. de Cælo, §. 25. conuincitur hoc argumento ad opinandum, materiam cæli fiderei esse eiusdem speciei cum nostrâ, & priùs fuisse sub formâ aquæ; pro quâ sententiâ refert ibi P. Martinum del Rio. Sed non vrget, quia firmamentum ibi non significat cælum sidereum, sed mediam regionem aëris, quæ secundo die condensata est per frigus, & dispositа ad generandas pluuias: hæc
170 autem constat eadem materiâ quâ nostra corpora, vnde ex eo loco Scripturæ nihil certum pro hac sententiâ colligitur, de quo redibit mihi sermo Disp. de Cælo, à num. 43.

QVINTA CONCLVSIO. Si materia cælestis sit diuersa à nostrâ, & alligata formæ cæli, est imperfectior, quàm nostra; quia nostra habet capacitatem plurium formarum & perfectiorum quàm illa, est enim nostra capax animi rationalis, & omnium formarum animantium, quæ longè excedunt formam cæli.

Dices: Materia cæli excedit nostram in incorruptibilitate formæ quam habet. Respondeo, incorruptibilitatem formæ non esse propriè perfectionem ipsius materiæ sed formæ; nam materia semper est incorruptibilis, etiamsi formæ cor-
171 rumpantur. Secundò, etiamsi in perpetuitate nostra materia excederetur, adhuc aliunde esset perfectior: sicut forma equi absolutè excedit formam cæli, & homo absolutè excedit cælum, licet hoc sit incorruptibile, homo verò & forma equi corruptibilis, quia excessus incorruptibilitatis compensatur & superatur aliunde; ita similiter, licet in perpetuitate ea materia excederet nostram, adhuc aliunde nostra compensaret excessum, imò & superaret formam cæli.

SECTIO XII.

De Priuatione.

PRIVATIO est posterior materiâ, & prior quàm forma, ideò de illâ post materiam & ante formam agendum est.

Priuatio est carentia formæ in subiecto apto. Tò *carentia formæ*, ponitur loco generis, quia in eo conuenit priuatio cum negatione. Tò *in subiecto apto*, ponitur loco differentiæ, quia per illud differt priuatio à negatione, quæ est *carentia formæ in subiecto non apto*. Nonnulli priuationem vo- 172
cant *ens reale priuatiuum*; sed videtur abusus nominis: sicuti si quis diceret, morbum esse salutem realem priuatiuam, & cæcitatem esse visum realem priuatiuum. Hoc certum, priuationem dari ante intellectum, id est, independenter ab intellectu, hominem non esse videntem, & aërem non esse lucidum; & si hoc tantùm velis, dum dicis, priuationem esse ens reale priuatiuum, verum dicis, impropriâ tamen voce.

Obiicies: Hæc est vera propositio, *homo realiter est cæcus*, ergo esse cæcum datur à parte rei. Respondet Suarez, & Philosophi communiter, eam propositionem in rigore esse falsam, quia dum dicitur affirmatiuè *est*, videtur de homine prædicari aliqua entitas, cæcitas autem non est entitas, sed negatio entitatis; vnde dici deberet, *homo realiter non est videns*, & *aër realiter non est lucidus*, in quâ propositione nihil reale affirma-
tur, sed potiùs negatur; verùm quia nos eas pri- 173
uationes concipimus ad modum entis realis, illas prædicamus per affirmationem: vnde & de morte dicimus, aduenire, appropinquare, &c. in quibus locutionibus aliquid rationis admiscetur propter dicta. Hæc tamen solutio non placet: ostendi enim in materiâ de scientiâ Dei, Deum hæc directè cognoscere, & non solùm dicere, *homo non existit*, sed, *homo moritur*. Ideò meliùs dicitur, illud *est* in hac propositione non significare esse realiter positiuè, sed negatiuè; talem enim existentiam copula significat, quale est prædicatum.

Rogabis Primò, an priuatio & forma opponantur immediatè. Respondeo, si sermo sit de priuatione & formâ, abstrahendo ab omni subiecto, non opponi immediatè vel contradictoriè, quia lapis neque habet formam visiuam, neque eius priuationem; & Angelus neque est cæcus, neque est videns: & hoc solùm volunt aliqui recentiores, contra quos fusè alij agunt, sed immeritò, quia in re omnes conueniunt. Si verò comparentur respectu subiecti capacis, dico opponi immediatè & contradictoriè, quia in aëre v. g. non datur medium inter esse lucidum & tenebrosum.

Aduerte hîc, à nonnullis hanc oppositionem 174
immediatam malè probari: inquiunt enim, quæ non opponuntur immediatè posse diuinitus cohærere, sicut calor & frigus; sed forma & priuatio non possunt nec diuinitus cohærere, ergo immediatè opponuntur. Hoc argumentum nullum

lum est, quia odium & amor non opponuntur immediatè, vt per se patet (est enim medium, nec amare nec odio habere) & tamen nec diuinitus possunt cohærere. idem est de vnione hypostaticâ & peccato, quæ tamen non immediatè opponuntur: idem de assensu & dissensu. Malè ergo ex exemplo caloris & frigoris intulere eam propositionem vniuersalem & falsam. Probanda ergo est ea propositio modo paulò antè insinuato. Addo vlteriùs, formam & negationem propriè non opponi immediatè, neque contradictoriè,
175 quia de Angelo possibili v. g. non datur modò negatio, quia negatio debet esse in subiecto, Angelus autem nullum habet subiectum: neque item datur forma ipsa, id est ipse Angelus; carentia autem, quia abstrahit à negatione formæ in subiecto, vel extra illud, opponitur semper contradictoriè ipsi formæ, sicut ens non enti.

Rogabis Secundò, vtrùm priuatio suscipiat magis & minùs. Respondeo, si forma, quâ priuat, suscipit magis & minùs, vt suscipiunt omnes formæ intentionis capaces, etiam priuatio illius suscipiet magis & minùs; maior enim priuatio lucis datur in aëre mediâ nocte, quàm primo manè; item maior priuatio frigoris datur in aquâ calidâ, quàm in tepidâ.

Rogabis Tertiò, vtrùm priuatio percipiatur per sensum. Respondeo negatiuè, quia per sensus non percipiuntur nisi entia realia, priuatio autem non est ens reale. Quòd si vmbra & tenebræ videntur percipi per visum, non est quia ve-
176 rè percipiantur, sed quia intellectus colligit, ex eo quòd potentia rectè disposita nihil videat ibi esse carentiam lucis; & sicut auditus non audit carentiam soni, sed intellectus infert, non esse sonum, quia nihil audit; ita visus non percipit tenebras vel carentiam lucis. Vnde fit, vt si quis habeat impeditum visum vel auditum, quantumuis omnia appareant ei obscura & in silentio, non tamen iudicat ita esse, quia non videre vel non audire, non infert defectum obiecti, nisi quando potentia est expedita.

Aduerte, priuationem dupliciter posse tolli, vel positiuè, per ipsam formam, quæ priuat; vel negatiuè, si priuatio in negationem conuertatur, eò quòd subiectum reddatur iam incapax formæ, vt contingeret respectu gratiæ, si Deus ab homine peccatore tolleret eleuationem ad dona supernaturalia: tunc enim carentia gratiæ, quæ modò est priuatio, quia subiectum est capax illius, transiret in meram negationem gratiæ, quia subiectum tunc esset incapax illius.

177 Potest hîc dubitari, an capacitas subiecti ad habendam formam sit pars priuationis, an verò conditio. Respondent recentiores nonnulli, esse conditionem extrinsecam. Sed hi relabuntur in sententiam Connotantium, quam fusè in Logicâ reieci, & à quâ hi etiam abhorrent; vnde reiiciendi sunt argumento à nobis sæpè repetito. Si enim capacitas subiecti est sola conditio, ergo tota essentia priuationis consistet in carentiâ ipsius formæ; ergo si per impossibile cetera maneant, solaque capacitas subiecti auferatur, adhuc remanebit tota essentia priuationis, quia nulla ipsius pars est ablata, sed sola conditio extrinseca, quæ non est pars essentiæ; ergo adhuc maneret absolutè priuatio in esse talis, quod & contra te, & euidenter falsum est: quia solâ amissâ capacitate ex parte subiecti, iam priuatio mutatur in negationem, vt exemplo posito suprà ostendi, & ab omnibus conceditur. Dicendum igitur, eam 178
capacitatem esse partem intrinsecam priuationis; est enim *carentia formæ cum capacitate eam habendi.* Nec quia aliter definiatur, *est carentia formæ in subiecto apto*, ideò *tò subiectum aptum* excluditur à ratione partis, quia etiam album definitur, ponendo albedinem in obliquo: dicitur enim, *album est quod habet albedinem*, & tamen albedo est pars, & non conditio albi. Oportet ergo benè attendere ad consequentiam doctrinæ, in connotatis, & partibus istis.

Deinde aduerte, priuationem è duobus capitibus diuersificari, primò ex diuersitate subiecti; nam diuersa priuatio gratiæ est, quæ datur in homine, ab eâ quæ datur in Angelo: secundò ex formis ipsis, quibus priuat; vnde diuersa priuatio est quam habet homo respectu gratiæ, ab eâ quam habet respectu actus intellectus, vel caloris, aut alterius formæ. Plura de priuatione vi- 179
deri possunt apud Conimbricenses lib. 1. cap. 9. quæst. 11. Hurtadum Disputatione 3. Physicorum, Suarezium Disputatione 54. Metaphysicæ, sectione 5.

Hîc solet inquiri, vtrùm detur regressus à priuatione ad habitum. Sed de hoc egimus suprà, dum de appetitu materiæ sermo esset: vbi ostendimus, naturaliter non posse reproduci formam iam corruptam. Nunc tolùm aduerto, aliquam partem materiæ, quæ semel fuit sub formâ hominis, posse iterùm post varias transmutationes subesse eidem animæ, dum v. g. conuersa in panem vel in aliquod animal, posteà ab eodem homine panis ille aut animal comeditur, & rursus in eamdem materiam eadem rationalis anima introducitur: sed tunc non reuniretur ea materia per eamdem numero vnionem quâ anteà. Ratio autem, quare fiat hic regressus naturaliter, ea est, quia anima non fuit corrupta, sed vnio ad illam: vnde rectè potest eadem materia iterùm subesse eidem animæ, quin detur regressus à priuatione ad habitum propriè, non tamen reunitur per eamdem numero partem vnionis, quia hæc iam perierat. Quomodo autem detur priuatio in materiâ primâ, & quo pacto sit principium generationis, dixi suprà Disputatione 1. Sectione 3.

DISPV-

DISPVTATIO TERTIA.

De Formâ substantiali.

TERTIVM generationis substantialis principium est Forma, de quâ in Disputatione hac. De illâ agit P. Suarez Disputatione 15. per totam, Hurtadus Disputatione 4. Physicæ, Conimbricenses lib. 1. cap. & quæst. 9. Nos breuiùs quæcumque sunt necessaria perstringemus.

SECTIO I.

Quid sit Forma substantialis, & an detur à parte rei.

1 VLTRA materiam primam, quam Disputatione præcedenti ostendimus dari in entibus naturalibus, nunc addimus, dari etiam formam substantialem, complentem materiam, eamque determinantem ad speciem hominis, leonis, &c. Eam antiqui Philosophi, teste Aristotele 1. Metaphysicæ, cap. 2. ignorarunt. Primus eam agnouit Pythagoras, deinde, Timæus Locrensis eius discipulus, post quos Plato & Aristoteles clariorem illius notitiam tradiderunt apud Conimbricenses suprà artic. 2. Hisce vero temporibus nullus est qui eam non agnoscat: nihilominùs tamen eius existentiam breuiter ratione probabimus.

Primò ex animo rationali, quem vltra corpus esse in homine, adeò est certum, & lumine naturæ notum ex variis operationibus ipsius hominis, vt nullus, quantumuis rusticus, eam non agnoscat: ex homine autem discurrimus ad alia
2 entia. Argumentum autem commune est, Quia vel materia de se est completa substantialiter, vel non. Si est completa, ergo non posset etiam in homine admittere consortium animæ rationalis, quia ex ente completo non potest fieri vnum per se. Si verò non est completa, ergo in aliis entibus, vbi complementum animi rationalis deest, requiritur aliqua alia forma substantialis, quâ materia compleatur. Dico, hoc esse argumentum commune, quia ego puto, illud non esse efficax: quomodo enim probatur, materiâ, etiamsi sit incompleta sine animo rationali, non posse sine illo existere, quandoquidem & ipse animus rationalis, qui incompletus est, existere potest sine materiâ?

3 Secundò contra eumdem discursum obijcies: Verbum diuinum est ens completum in se, & nihilominùs ex illo & humanâ naturâ resultat vnum suppositum per se; ergo licet materia prima esset completa, neque egeret aliis formis, adhuc posset cum animâ rationali vnum per se constituere; ergo discursus suprà factus non probat intentum. Responderet fortè aliquis, ex Verbo & humanitate non resultare vnâ naturam per se, quia humanitas iam est completa in ratione naturæ; ergo similiter si materia prima in ratione naturæ esset completa, non posset ex eâ & animo rationali resultare vna natura per se, qualis est humana. Deinde, ideò ex Verbo diuino & humanitate resultare vnam personam per se, 4 quia humanitas non est pars personæ vt personæ, sed terminus illius; non autem repugnat, vt persona seu suppositum, quod anteà terminabat vnam naturam, posteà terminet aliam simul, adhucque maneat suppositum, vnum, quia hoc dicit in recto ipsam subsistentiam quæ est vna; sicut vnum subiectum album, quantumuis habeat plures albedines adæquatas, adhuc semper manet vnum album, quia *album* dicit in recto subiectum, quod est vnicum, etiamsi albedines sint plures; at verò in materiâ primâ respectu hominis non ita se res habet, quia homo tam in recto dicit animam quàm materiam, & vtramque vt compartem alterius. vnde si materia esset completa de se in ratione naturæ, non posset ex illâ & animo rationali vnum per se resultare.

Hæc solutio non mihi placet, quia inuoluit 5 quæstionem de re cum quæstione de nomine. Pro quo aduerte, etiamsi quoad modum nostrum loquendi ac concipiendi, dicatur in aliquo toto aliqua in recto, & aliqua in obliquo, vt alibi declarauimus, in re tamen ipsâ non esse rectum & obliquum, sed omnes partes æquè esse intrinsecas & essentiales toti. V.g. album dicit in recto subiectum, in obliquo albedinem; id est, nos, dum explicamus album, ponimus in nominatiuo subiectum, & in alio casu albedinem: verùm in re ipsâ non est obliquum, nec rectum; & concreto *album* tam essentialis est albedo, quàm subiectum, & è contrario; ergo similiter, licet in concreto *subsistens*, in recto dicatur subsistentia, & in obliquo natura (vt admitto respondenti) in re tamen ipsâ tam natura est pars illius concreti, quàm ipsa subsistentia, & æquè illa est essentialis quàm hæc, non secùs ac homini, tam essentialis est vnio, quàm materia & forma, etiamsi hæc in recto, vnio verò dicatur in obliquo. Ergo rursus, sicut 6 quia materia est pars essentialis hominis, vt tu ipse admittis, si illa esset completa, non posset cum animo rationali constituere vnum per se; ita similiter, quia Verbum diuinum est completum, & in supernaturâ humanâ est completa (vt videris supponere in solutione) non poterit resultare vnum per se, siue solum Verbum dicatur in recto, siue non; quod prorsus est per accidens ad præsentem difficultatem.

Faciliùs ergo obiectioni è numero 3. respondetur, Verbum diuinum, prout terminat naturam humanam, non esse completum: quia licet in se sit completum per naturam diuinam, non tamen secundùm eam terminat, sed præcisè secundùm subsistentiam, quæ vt sic est incompleta. Præterea, humanitas quæ terminatur, licet sit in esse naturæ completa, non tamen in esse suppositi. Et quoad hoc eadem est difficultas de 7 naturâ humanâ, propriâ terminatâ subsistentiâ; vnde in eo genere, in quo vniuntur, & prout vniuntur, vtrumque extremum est incomple-

tum,

tum, aliàs non fieret vnum per se. Vnde semper argumentum commune vim habet: quia si materia prima ante animam rationalem esset completa, id esset in ratione naturæ, & insuper anima deberet materiæ vt completæ vniri, quia per suammet essentiam materia esset completa, & anima cadens supra essentiam materiæ, deberet necessariò cadere supra eam, vt completa: inde fit, vt non posset vnum per se cum eâ constituere, & quoad hoc non est eadem ratio de Verbo diuino, quia ibi propter distinctionem virtualem magnam (qualis in creaturis non reperitur) potest Verbum vniri secundùm solam subsistentiam, quæ vt sic est incompleta; & non vniri secundùm naturam illi idemtificatam, quod in
8 creaturis fieri non potest: ergo ex hoc capite non benè reiicitur consequentia num. 2. facta ab homine ad alia entia, quam aliunde nos ibi fortiùs reiecimus. Addo tamen, aliter posse efficaciter ab homine ad alia composita argui, præsertim ad animantia; quia eodem modo quo homo moritur, & illa moriuntur, iuxta illud Salomonis, *Vnus est interitus hominis, & iumentorum, & æqua virtusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur.* sed ex morte hominis infertur, dari formam substantialem, ex cuius separatione à corpore oritur hominis mors; ergo similiter inferretur forma substantialis animantium ex eorum morte.

Secundò probatur eadem consequentia: quia sicut in homine ex diuersitate organorum, dispositionum, & operationum colligimus formam substantialem, quæ sit principium illarum; nam materia prima de se nõ exigit illas, vt patet in materiâ primâ aquæ, &c. ergo eæ exiguntur à formâ substantiali; ergo cùm in reliquis animantibus videamus similes dispositiones, operationes, organizationem, &c. fateri debemus, dari in illis formam substantialem ex quâ ea omnia oriantur.

9 Secundo-principaliter solet probari formæ existentia (& hoc argumento vtuntur recentiores) quia plus differunt leo & equus inter se, quàm homo albus & niger; sed isti differunt accidentaliter, ergo illi plus quàm accidentaliter, ergo substantialiter. Non vrget hoc argumentum: facilè enim responderent aduersarij, concedendo esse maiorem differentiam, accidentalem tamen, quia homo albus & niger solùm differũt in colore, leo autem & equus in colore, figurâ, magnitudine, organizatione, viribus, &c. quę differentia solùm est accidentalis, etsi maior quàm differentia hominis albi à nigro. Neque à nobis alia maior differentia videtur, nisi in accidentibus operationibus, &c.

Meliùs ergo Secundò, quia aqua, quantumuis calefiat, relicta tamen suæ naturæ, pristinam recuperat frigiditatem; ergo manet in ipsâ aliquod principium illius frigiditatis: sed hoc non est materia, quia hæc non exigit potiùs frigus quàm calorem, ergo est forma substantialis aquæ.

10 Dices, Est qualitas quædam occulta accidentalis, à quâ producitur frigus. Sed contrà, vel illa (quam tu qualitatem dicis) oritur ab alio principio priori, & illud dicam ego formam esse substantialem, quia est primum principium vnde omnes operationes oriuntur; vel non supponit aliud prius, & tunc ipsa erit forma substantialis, quia est de primo conceptu aquæ, & prima radix operationum.

Vrgeo argumentum in omnibus aliis rebus, quia in illis omnes operationes vel radicantur in aliquo principio, quod eo ipso erit forma substantialis; vel sunt inter se disparatæ, quod falsissimum est: videmus enim, in equo v. g. post mortem deficere omnes operationes, motu, vitam, &c. item in igne extincto deficere illuminationem, calefactionem, exsiccationem, &c. ergo omnes illæ operationes connexæ erant inter se, & radicatæ in aliquo principio primo & substantiali, ex cuius defectu pereunt omnes illę; si enim fuissent inter se disparatæ, cur vnâ pereunte, omnes aliæ eo ipso perirent? Et tunc intelliges, quare ferrum, 11
quantumuis candens, si separetur ab igne, recuperat priora accidentia, quod non contigit in papyro & stupâ accensis, quia ferrum non amisit formam substantialem, ideoque per illam reducitur ad pristinum statum; papyrus autem & stupa illam amiserunt, ideoque ex defectu illius non redeunt ad priorem statum. Ob eamdem rationem animal, quantumuis ratione alicuius morbi pænè consumptum sit, si tamen maneat viuum, posteà morbo deficiente recuperat paulatim pristinam sanitatem. quòd si semel intereat defectu caloris aut frigoris v. g. posteà quantumuis redeat calor vel frigus, numquam tamen priores actiones & sanitatem recuperabit; ergo quia in vno casu amisit formam substantialem, in alio verò non.

Concludo intentum argumento ex Euchari- 12
stiâ desumpto: quia Fides docet, post verba consecrationis destrui totam substantiam panis, & ibi manere omnia accidẽtia panis; ergo accidentia non sunt partes substãtiæ panis, alioquin non esset tota substantia deperdita; ergo vltra accidẽtia dabitur aliquid aliud, quod sit substãtia perfecta panis. Sed hæc nõ est sola materia, tum quia hæc est eadem in omnibus entibus, & si ipsa sola esset panis, etiam lapis esset panis, quia habet eamdem materiam in specie; tum quia ibi ponitur sub eis speciebus materia prima, scilicet corpus Christi Domini, exercens circa accidentia panis idem, quod exerceret substantia panis, si adesset, & consequenter ibi maneret propriè panis, quia maneret materia prima, & accidentia panis, quæ constituunt substantiam panis adæquatè per se; ergo 13
substantia panis, iuxta Fidem, aliquid aliud dicit à materiâ & accidentibus panis distinctum, quod est forma substantialis; ergo idem erit in reliquis aliis entibus, quæ non minùs habent substantiam & accidentia, quàm panis & vinum.

Probatâ ergo formâ substantiali, nunc de eius definitione agendum. Eam tradit P. Suarez Disputatione 61. sect. 5. *Est substantia simplex & incompleta, quæ actuando materiam, cum eâ constituit essentiam substantiæ completæ.* Sed breuiùs, *forma est actus substantialis materiæ, tum eâ constituens compositum.* τὸ *actus* extenditur etiam ad formas accidentales: per τὸ *substantialis* differt ab accidentibus; reliqua satis aperta sunt. Aduerte, quando dicimus formam esse simplicem solùm, negare compositionem essentialem, sicut in simili de materiâ dixi; quia forma substantialis materialis habet partes integrantes, iuxta diuersitatem partium integrantium materiæ in quâ recipitur.

Ad-

14 Aduerte prætereà, formam dicere ordinem & respectum transscẽdentalem ad materiam, sicut è contrario diximus suprà de materiâ respectu formæ: & ratio est, quia hoc quod est posse actuare materiam, est quid essentiale formę, sicut materiæ posse recipere formam quod deficeret deficiente materiâ; sicut etiam in materiâ deficeret, posse recipere formam, si forma esset impossibilis, vnde & forma à materiâ, & materia à formâ in esse possibili essentialiter dependent. Sed de hoc fusiùs infrà Disputatione VII. de Causis agendum erit.

Aduerte Tertiò, formam non habere diuersum respectum ad totum compositum ab eo, quem habet ad materiam & vnionem, idem intellige è contrario de materiâ: ratio est, quia in composito nihil aliud est præter materiam, vnionem & formam; sed forma non respicit se ipsam, ergo solùm potest respicere materiam & vnionem.

15 Aduerte Quartò, formam non actuare, aut vniri cum materiâ, mediâ aliquâ potentiâ accidentali, quod probatur eisdem rationibus, quibus suprà Disputatione II. Sect. 3. de materiâ primâ idem ostendi: videantur ibi, est enim eadem prorsus difficultas.

Sed obiicies, ad probandum non esse possibilem formam substantialem materiatam: Quia proprium est accidentis dependere à subiecto, sed forma materialis dependet ab illo, ergo non potest esse substantialis. Respondeo, negando Maiorem, quia differentia accidentis à substantiâ, non consistit in dependentiâ vel in independentiâ à subiecto, sed in eo quòd constituat totum per se vel per accidens. Quid autem hoc sit, non est in præsenti explicandum, sed in Metaphysicâ, cùm de differentiâ substantiæ ab accidenti egerimus.

SECTIO II.

Vtrùm Forma sit tota quidditas compositi.

16 Ex dictis præcedenti Disputatione videbatur omnino certum, formam substantialem non esse totam essentiam compositi, quia hoc coalescit etiam ex materiâ, vt ex alterâ comparte; vnde sine illâ nequit saluari tota essentia compositi, quod non distinguitur, à partibus vnitis inter se. Quia tamen nonnulli dixerunt, solam formam esse quidditatem compositi, materiam autem solùm esse quasi vehiculum illius, oportet nunc eorum argumenta opinionemque confutare.

Primò arguunt: Quia homo (idem est de aliis viuentibus) vi caloris naturalis amittit continuò plures partes materiæ, & alias nouas acquirit, potestque contingere vt post multos annos nihil materiæ primæ maneat in homine eius quam initio habuit, & tamen manet idem homo; ergo materia prima non constituit formaliter hominem, alioquin eâ mutatâ mutaretur etiam ho-
17 mo. Hoc argumentum eodem modo probat, non esse de constitutione equi formam equi, quia per diminutionem & corruptionem factam vi caloris naturalis, non solùm deperditur pars materiæ, sed etiam pars formæ dependentis à parte materiæ deperditâ. Respondeo igitur, Physicè loquendo non manere eumdem numero hominem, nec eumdem numero equum, post multos annos, qui anteà erat, vt conuincit ratio facta: moraliter tamen dicitur, esse idem numero, quia pars quæ additur de nouo, est eiusdem speciei cum præcedenti, nec differentia percipitur, ideoque semper vulgariter idem reputatur; sicut etiam dici solet idem fluuius qui modò defluit, ac qui heri, & nihilominùs Physicè neque vnam fortè guttam aquæ habet hodie eamdem numero quam heri habuit.

Secundo arguunt: Quia fides docet, resurre- 18
cturos eosdem numero homines qui modò viuunt, & tamen non poterunt resurgere semper cum eadem numero materiâ, quam habuerunt, quia hæc aliquando fuit in pluribus hominibus successiuè; ergo materia non est de constitutione hominis. Durandus in 4. distinctione 44. quæstione 3. dixit (vt hanc difficultatem solueret) esse quidem de essentiâ compositi materiam primam, non tamen potiùs hanc quàm illam; quia cùm materia accipiat esse hanc ab hac formâ, inde fit vt si hæc forma sit eadem, materia etiâ eadem perseueret. Nonnulli impugnant Durandum, quia in ipsis terminis videtur inuoluere contradictionem, dum ex vnâ parte docet materiam reddi hanc ab hac formâ, & ex aliâ docet, compositũ manere idem, siue sit hæc siue illa materia; quo iam videtur admittere, etiam manente eadem formâ posse esse diuersas materias, quod est contra ipsum. Hæc impugnatio non 19
eum vrget; quia ipse non admittit, sub eadem formâ posse esse hanc vel illam materiam, sed solùm sub diuersis formis: ait enim materiam, quæ modò est v.g. sub formâ canis, ideoq; est diuersa, licet ratione ipsius formæ, ab eâ materiâ quæ est sub formâ equi; si tamen poneretur in ipso equo, futuram eamdem numero cum eâ quam modò habet equus, in quo sibi non contradicit.

Meliùs ergo impugnatur: Quia distinctio non potest alicui rei prouenire ab alio à se distincto, etiam solâ ratione, & multò minùs realiter, vt ostendi Disputatione IV. Logicâ, numero 11. & Disputatione 1. Metaphys. à nu. 51. Impugnantur prætereà, quia post mortem hominis manet idem corpus numero quod fuerat viuum, & non manet eadem ibi numero forma, ergo materia non accipit à formâ esse hanc numero. Tandem, 20
quia si hæc materia, quam ego modò habeo, est distincta numero ab eâ quam habet Petrus, ergo dicit negationem illius in suo conceptu: ergo licet vtraque ponatur sub eadem formâ, manebit distincta, alioquin dicendum esset, materiam manus hominis esse eamdem numero cum materiâ capitis, quia sunt sub eadem formâ, quod ridiculum est. Sequela est certa in sententiâ Durandi, eius absurditas oculis cernitur: nam materiæ manus & pedis conueniunt contradictoriâ prædicatâ, scilicet moueri & non moueri, tangi & non tangi, &c. ergo non sunt eadem indiuisibilis entitas. Deinde etiam sequitur, non habere hominem in ætate virili plus materiæ, quàm habuit in infantiâ, quia cùm habeat eamdem numero animam, nec maiorem nec minorem, debet etiam in sententiâ Durandi eamdem numero habere materiam; quæ omnia valdè absurda sunt.

Magister

21 Magister in 2. distinct. 30. vt argumento suprà facto responderet, asseruit, solam eam materiam ad essentiam cuiusque hominis pertinere, quam habuit in instanti generationis, & cum hac dicit surrecturos omnes homines. Sed contrà Primò, quia non soluit adhuc difficultatem; potest enim contingere, vt in diuersis temporibus duo homines in eadem numero materiâ generentur, tunc autem non posset vterque resurgere cum materiâ quam habuit in instanti conceptionis; ecce ergo totam argumenti difficultatem adhuc vrgentem. Contrà Secundò, quia negari nequit, constitui hominem totâ eâ materiâ quam habet vnitam cum animâ rationali eo tempore quo de illo loquimur, hodie eâ quam hodie habet, & cras illâ quam cras habebit; neque enim negari potest, hominem proceræ staturæ in suo conceptu dicere totam materiam quam habet, alioquin dici posset, signando illam materiam exiguam quam initio habuit, *solùm hoc est totus hic homo*, quod est apertè falsum.

22 In primis ergo censeo, argumentum suprà factum non tam impugnare constitutionem hominis ex materiâ primâ, quàm veritatem Catholicam de resurrectione hominum cum iisdem corporibus quæ habuerunt: quia siue materia sit de constitutione hominis, siue non, certum est, homines cum illâ surrecturos, iuxta illud Iobi, *Et in carne meâ videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius*; ergo difficultas è loco Scripturæ petita non soluitur negando, materiam esse de constitutione hominis. Igitur respondeo, Deum ita suâ prouidentiâ ordinaturum res, vt quilibet resurgat, licet non cum omni & eadem materiâ, quam habuit, quia id est impossibile propter argumentum factum, cùm magnâ tamen parte illius, reliquæ autem partes ex aliâ materiâ suppleantur. Et hoc sufficit ad veritatem illius propositionis, *in carne meâ*, &c. quæ debet intelligi solùm moraliter,
23 ad modum quo suprà diximus dici eumdem hominem infantem & senem, etiamsi fortè dum senex est nihil habeat materiæ quam habuit infans, quod adhuc multò minus est, quàm si haberet partem aliquam.

Sed rogabis, vtrùm ea materia, cum quâ resurget homo, futura sit eadem quam habuit homo in instanti mortis, an quam habuit in instanti conceptionis. Respondeo, congruentius esse, vt sit eadem quam habuit in instanti mortis: sicut enim quisque damnatur vel beatur solùm iuxta statum quem habuit in morte, ita etiam debet damnari vel beari suo modo materia quam habuit in instanti mortis, ergo cum illâ debet quoque resurgere. Hac de re fusiùs Theologi, hæc nobis sufficiant.

SECTIO III.

Quomodo Forma in materiâ præexistat.

24 NON defuêre, qui eò quòd ex nihilo nihil fit, putauerint nullam formam substantialem de nouo produci, sed omnes à principio creationis materiæ in ipsâ præextitisse. Hæc doctrina est improbabilis, tum quia essent de facto in qualibet materiâ infinitæ formæ, quæ possunt ab illâ educi, quod est impossibile; tum quia est de Fide, produci de nouo in instanti generationis animam rationalem; vnde consequenter sequitur, etiam produci de nouo eius vnionem, quæ non potest esse sine animâ rationali. Ecce ergo vnionem productam de nouo ex materiâ, & ex animâ rationali, cùm tamen nihil illius vnionis esset anteà in materiâ. Redit ergo totum argumentum. Præterea negari nullo modo potest, multa produci de nouo, siue substantialia siue accidentalia: alioquin cur ferrum, si nihil noui haberet in se, appareret diuersum dum est candens, quàm dum est in suo statu connaturali? cur aër 25
de nouo, accedente candelâ vel sole, illuminatur, vbi ea lux anteà includebatur? vbi in stupâ vel candelâ latibula reperiuntur, in quibus flammæ igneæ recludantur semper, nec tamen noceant stupæ nec candelæ? Quis ergo negare poterit, ea omnia de nouo produci? In eis autem contra totum tuum argumentum instatur, vnde scilicet illæ partes producantur, debet enim fieri ex nihilo sui.

Alij Secundò docuere, omnes formas substantiales à Deo solo produci, accidentales verò etiam à causis secundis. Sed contrà, quia in accidentalibus manet ea difficultas, quâ scilicet ratione possint produci ex nihilo sui, v. g. quâ ratione actus voluntatis malus vel bonus, qui hodie producitur à Petro, cùm nihil illius anteà fuerit in Petro, potuerit nunc de nouo produci.

Tertiò alij dixerunt, formas præextitisse in 26
materiâ secundùm aliquid sui; quare quando producuntur ab agente naturali, non producuntur ex nihilo. Hi Auctores ad scopulos vtriusque præcedentis sententiæ alliduntur. In primis enim ponunt de facto infinitas partes formæ in qualibet materiâ: deinde manet eadem difficultas in illis partibus quæ de nouo producuntur; nam illæ adæquatè sunt distinctæ à præexistentibus, ideoque illæ ex nihilo sui producuntur. Deniq; quia forma substantialis est indiuisibilis essentialiter, licet integraliter partes habeat si materialis sit. vnde si præcedit secundùm aliquid sui, secundùm se totam essentialiter præcedat necessum est; & consequenter simul lignum erit formaliter ignis, lignum, terra, aqua, brutum, planta, &c. quod est ridiculum.

Igitur respondendum est cum communi Phi- 27
losophorum, illud Axioma, *ex nihilo nihil fit*, intelligendum esse ex nullo subiecto, id est, agentia naturalia non posse aliquid producere nisi in subiecto, eò quòd non habeant virtutem creandi, de quo fusiùs infrà. Formæ ergo substantiales rectè possunt produci ab agente naturali, etsi nihil anteà ipsarum præextitisset in materiâ; ideoque non fiunt ex nihilo sui, quia non producuntur extra subiectum, aut independenter ab illo.

Aduerte, eos qui dicunt, formas substantiales materiales omnes creari, quia ex nihilo sui producuntur, quos refutant Suarez & Hurtadus, solùm in nomine communi à verâ sententiâ discedere, dum τὸ *ex nihilo*, quod in definitione creationis ponitur, non ad negandam eis formis dependentiam ab omni subiecto, sed ad ostendendum, nihil formarum in subiecto præextitisse (prout nos docuimus) applicuerunt: qui ideò 28
refutandi primò, quòd ea voce non in receptâ sed in fictâ ab ipsis significatione vtantur; secun-

dò, quia ob eamdem rationem idem deberent dicere de formis accidentalibus, quæ etiam ex nihilo sui producuntur, & tamen ipsi eas adhuc negant creari; ergo loquuntur minùs consequenter.

SECTIO IV.

Quomodo Forma pendeat à materiâ.

SI de animâ rationali loquamur, certo certius est, eam independentem esse à materiâ, vt fusiùs ostendetur in libris de Animâ. Quòd autem non creetur nisi intra materiam, non probat eam à materiâ vel causari vel sustentari; sed præcisè materiam organizatam & dispositam esse conditionem sine quâ non, ad productionem eius. In conseruatione autem, neque vt à conditione, pendet à materiâ: nam quocumque tempore homo moriatur, anima tamen rationalis numquam
29 perit. Vnde autem hæc independentia ei proueniat, dicetur in libris de Animâ. Licet autem rationalis anima à materiâ non pendeat, verè tamen illi vnitur, & in eâ recipitur: & hinc nascitur aliud discrimen inter ipsam & alias formas materiales, quòd hæ producuntur ab agentibus naturalibus creatis, illa verò à solo Deo ipsam creante. vnde in generatione hominis sola generatur vnio, & ratione illius dicitur homo generari; in productione verò equi, & aliorum entium omnino materialium, & generatur vnio sicut in homine, & vltra illam ipsa etiam forma.

Loquendo ergo de aliis formis substantialibus distinctis à rationali, communis & vera Philosophorum sententia docet, eas absolutè, & in fieri, &
30 in conseruari, esse à materiâ dependentes. An autem per hoc producantur ab ipsâ materiâ, dicam suo loco: iam enim solùm contendo, eas verè dependere. Id probo ex differentiâ inter animam rationalem, & formas ceteras materiales; quòd scilicet illa est immortalis, hæ verò mortales & corruptibiles. vnde infertur, ergo hæ pendent à subiecto, scilicet à materiâ. Probatur consequentia, quia si non penderent, non esset cur deficerent præcisè ex separatione ab illo. Antecedens autem, scilicet eas formas esse corruptibiles, licet nobis non constet euidenter, quia non videmus certò, vtrùm, in morte equi, forma equi, licet deficiat, ex illâ materiâ abeat nécne in alium locum, sicut etiam de animâ rationali, non id videmus; nihilominùs ita ex ipsâ naturâ videtur impressa hominum mentibus ea mortalitas seu corruptibilitas formæ materialis, vt nullus de illâ dubitauerit, dixeritque formam ignis, quando hîc extinguitur, abire in alium locum: signum ergo est, eam esse illarum naturam, vt non durent extra compositum.

31 Ratione verò confirmatur: quia cùm hæ formæ materiales sint productiuæ accidentium, quæ sensu percipiuntur (quo differunt à rationali, quæ separata non est productiua qualitatis visibilis, ideoque nec ex illis percipi potest) sequeretur, formam ignis v. g. quæ est productiua caloris & lucis, si illa abiret in alium locum quando extinguitur ignis, debere illuminare & accendere illa corpora per quæ transiret ad alium locum, & nos id percepturos. quis autem vmquam vidit formam ignis fugientem cum luce & calore?

Dices, Illa forma extra subiectum non potest naturaliter operari. Sed contrà, quia (vt alibi ostendam) calefactio adæquatè potest oriri à formâ ignis, materia enim solùm requiritur ad eam sustentandam; ergo, si independenter à materiâ sustentatur, operabitur independenter ab illâ, & saltem ex operationibus cognoscetur quò iuerit; & licet calorē qui in materiâ erat non accipiat secum, deberet tamen calorem alium & lucem aliam per medium producere, quòd est ridiculum. Ratio à priori est, quia formæ materiales, 32
ex conceptu materialitatis habent dependere à materiâ, vt fusiùs ostendemus, dum de conceptu rei spiritualis egerimus; ergo hæ formæ verè pendent ab illâ.

Aduerte tamen, argumentum præcedens solùm probare, formas materiales dependere à materiâ; an autem ab illâ educantur aut causentur, non probat: etenim in sententiâ nonnullorum ponentium duas partiales vniones in homine v. g. abeunte ab homine animâ rationali, perit vnio quæ erat in materiâ, etiamsi non causaretur ab animâ: similiter quæ erat in animâ, perit absente materiâ, etiamsi non causaretur à materiâ; ergo ex dependentiâ non infertur causalitas. Ratio à priori est, quia dependentia vnius ab alio non solùm est in genere causæ materialis, sed etiam aliis modis, scilicet vel vt à subiecto adhæsionis, vel vt à termino, vt à conditione: vnde causalitas materialis, vt talis, vix habet firmum 33
in ratione aut experientiâ fundamentum. Sed de hoc Sectione 2. Disputatione V III. Ideò paulò antè dixi, me hîc solùm probare dependentiam formæ à materiâ, non verò causalitatem.

Rogabis Primò, vtrùm, quæ de dependentiâ formæ materialis à subiecto diximus, etiam de formâ cæli intelligenda sint. Pater Suarez suprà Sect. 2. num. 17. docet, materiam & formam cæli fuisse productas eadem indiuisibili actione; vnde forma non fuit generata, sed concreta cum materiâ, propter illa verba Geneſis, *In principio creauit Deus cælum*. Fateor, formam cæli, sicut & quamlibet aliam materialem substantialem, potuisse à Deo creari (vt infrà dicam) verùm cùm illæ omnes formæ naturâ suâ dependentes sint à materiâ, non est cur dicamus interceſſisse illud miraculum in creatione cæli: nam Scriptura eodem modo loquitur de terrâ ac de cælo, *In prin-* 34
cipio creauit Deus cælum & terram, & tamen neque ipse Suarez dicit, formam fuisse creatam, quia Verbum *creo*, in Scripturâ sumitur in latiori significatione, pro eodem ac *produco*; ideoque & de animantibus dicitur fuisse creata, *creauit Deus cete grandia*: item de Christo, Ierem. c. 31. *creauit Dominus nouum super terram*, ergo propter locum Scripturæ non cogimur agnoscere miraculum creationis formæ cæli.

Hurtadus hanc P. Suarez sententiam impugnat, quia repugnat, vnicum modum, qualis est actio, afficere duo extrema; ergo per vnicam indiuisibilem actionem non possunt simul materia & forma creari. Antecedens huius argumenti supponitur vt verum, non autem probatur: verùm cùm, qui illud assumit, doceat alibi, vnionem continuatiuam esse modum indiuisibilem, afficientem vtramque partem quam vnit, iam videtur

detur admittere vnicum modum duo extrema afficientem; nullum ergo est eius argumentum. Sed de hoc redibit sermo inferiùs, dum de Vnione egerimus.

Secundò arguit: Quia etiamsi P. Suarezio
35 concedatur, materiam & formam vnicâ actione produci, adhuc non sequitur, formam cæli creari; quia ea actio, prout terminatur ad formam, procedit à materiâ, ideoque est eductio, non creatio formæ. Grauiùs peccatur in hoc argumento: si enim admittitur, per eam indiuisibilem actionem materiam ipsam produci, quomodo potuit materia concurrere, & causare eam actionem? causaret enim seipsam, dum causat actionem quâ ipsa producitur, quod in sententiâ omnium repugnat, vt scilicet res producta influat aut concurrat in eamdem numero actionem, per quam hîc & nunc ipsamet producitur. Si ergo semel Suarezio admittitur, per eamdem actionem vtrumque produci, nequit vnum ab alio causari, & consequenter nec forma à materiâ; ideoque
36 nec poterit forma tunc generari ex materiâ, quia ad hoc, iuxta communem & veram sententiam, debuisset ipsa materia concurrisse producendo formam materialiter.

Ego in hoc puncto Primò censeo, non esse repugnantiam in eo, quòd diuinitus vellet Deus vnicâ actione diuersa essentialiter ab his, quæ de facto sunt, simul concurrere ad creandam materiam & formam, etiam cælestem, & vnionem earum, iuxta dicenda infrà, vbi probabimus, etiam vnionem posse creari; quia nec video repugnantiam in eo, quòd vnus modus afficiat duos terminos.

Dices, Idemtificaretur cum rebus distinctis, quod repugnat. Obiiciens non benè vtitur voce *idemtificationis*; quia modus non idemtificatur realiter cum subiecto, sed illud afficit. Fateor,
37 aliquando modus dicitur idemtificari cum subiecto, quia illud afficit cum essentiali dependentiâ; hinc autem nihil contra me, quia benè potest afficere, & pendere essentialiter à duobus extremis vna & eadem res; ergo ex hoc capite nulla est repugnantia in eâ actione creatiuâ materiæ & formæ cæli, ergo poterit simul materia & forma per vnam & eamdem actionem produci siue creari. Secundò addo, non esse repugnantiam in eo, quòd diuinitus forma cæli creetur. Et hoc do P. Suarezio: censeo tamen, de facto id non fuisse factum; quia nullum est fundamentum, ad ponendum tale miraculum, vt paulò antè ostendi, & quoad hoc displicet Suarezij opinio.

38 Rogabis Secundò, vtrùm formæ accidentales, quæ non sunt naturales subiecto, sed supernaturales, gratia v. g. & omnia dona supernaturalia, educantur propriè ex subiecto in quo recipiuntur. Conimbricenses lib. 1. cap. 9. quæst. 12. art. 5. & 7. videntur negare, sed reuerâ solo nomine à communi dissentiunt: art. enim 7. in solutione ad 2. fatentur, animam in genere causæ subiectiuæ sustinere & conseruare gratiam, quod in re est causare materialiter. addunt tamen, non esse eductionem, eius productionem, eò quòd subiectum non habet virtutem naturalem ad illam. Admitto illis, subiectum non habere virtutem naturalem ad ea accidentia; verùm ad hoc, vt illa sustentatio supernaturalis dicatur *eductio*, non requiritur, ex communi acceptione huius vocis *eductio*, capacitas naturalis in subiecto. Ratio est, quia *eductio* est quædam species causalitatis. Ergo sicut verè dicitur intellectus causa efficiens, etiam respectu actuum supernaturalium, ad quos non habet naturalem virtutem; ita similiter verè dicentur è materiâ causari materialiter seu educi accidentia supernaturalia, licet ad illa non habeat materia naturalem virtutem.

Nec obest prætereà, hęc dona dici creari in Scri- 39
pturâ: *Cor mundum crea in me Deus*, Psalm. 50. tum quia τὸ *creo* iuxta dicta numero 33. idem sonat in Scripturâ ac produco, quod abstrahit à rigorosâ generatione & creatione; tum quia potest intelligi creatio quasi moraliter: sicut enim id quod physicè creatur, producitur sine concursu subiecti, ita dona supernaturalia possunt dici moraliter creari, quatenus dantur à Deo omnino gratis. Adde, etiam prædictum locum vrgere Conimbricenses, admittentes, gratiam causari materialiter ab animâ vt à subiecto (idem est de aliis donis) quod repugnat rigorosæ creationi, quæ non admittit causalitatem subiecti, siue dicatur eductio, siue non.

Rogabis Tertiò, vtrùm dependentia formæ substatialis à materiâ tanta sit, vt nec de potentiâ absolutâ possit sine illâ conseruari. Respondeo negatiuè, tum quia nulla apparet manifesta contradictio in conseruatione formæ substantialis sine materiâ, tum quia accidentia, quæ non minùs 40
dependent à materiâ quàm forma substantialis materialis, possunt miraculosè sine materiâ conseruari, vt patet de facto in Eucharistiâ; ergo etiam poterit à fortiori forma substantialis.

Sed hinc insurgit Quarta dubitatio, quâ scilicet actione tunc forma esset conseruanda. Respondeo, suppositâ communi sententiâ de concursu materiæ in formam (de quo Disputatione VIII. Sectione 2.) eam conseruandam per actionem supernaturalem, etiam quoad substantiam. Præstò est ratio: quia forma verè causatur à materiâ à quâ naturaliter dependet, ergo actio, quâ sine materiâ conseruatur forma, debet esse diuersa in specie ab eâ quâ simul cum materiâ conseruabatur. Præterea, illa actio est omnino extra exigentiam ipsius formæ; ergo illa est in suâ substantiâ supernaturalis, & prout oritur à Deo, est quasi validior & fortior quàm quæ anteà oriebatur ab ipso; nunc enim se solo conseruat, quod anteà quasi adiutus à materiâ conseruabat.

Et hinc cognoscitur differentia inter conser- 41
uationem materiæ sine formâ, & conseruationem formæ siue materiâ: nam cùm materia solùm pendeat à formâ vt à conditione & à posteriori, potest sine illâ per eamdem actionem quoad substantiam conseruari; at verò forma, quia dependet à materiâ vt à causâ, non potest sine illâ per eamdem actionem conseruari, quia non potest manere eadem actio sine eisdem causis à quibus anteà oriebatur. Et hæc doctrina obseruanda est, ad cognoscendum, quando conseruatio sit miraculosa quoad substantiam. quòd si solùm suppletur defectus conditionis naturaliter requisitæ præcisè, erit conseruatio supernaturalis quoad modum.

SECTIO V.

Vtrùm eadem forma sit & possit esse in pluribus materiis.

PRIMA pars huius Sectionis caret difficultate, Quia eadem res nequit esse simul in pluribus locis, ergo eadem forma nequit esse naturaliter in pluribus materiis; necessariò enim de-
42 beret occupare plura loca. Intellige hanc doctrinam de formâ materiali: nam spiritualis, scilicet rationalis, simul eadem est in capite, pede, &c. quæ sunt partes materiæ distinctæ; forma autem materialis nequit esse in pluribus locis neque inadæquatè distinctis, de quo fusiùs Disputatione 1. de Animâ, à num. 157. Addunt aliqui aliam rationem huius repugnantiæ, quia forma materialis causatur à materiâ, repugnat autem naturaliter eamdem rem simul causari à duabus causis totalibus, vel ab vnâ totali & aliâ partiali, ergo non poterit naturaliter forma materialis esse in duplici materiâ. Hæc ratio non adeò vrget: posset enim dici quælibet pars materiæ esse causa partialis, & ex omnibus vnam totalem conflari; sicut ex duobus ignibus æqualiter applicatis resultat vna causa totalis efficiens. Ideò sufficiat primum argumentum, simul hac adiunctâ confirmatione, quia nihil est prorsus, quod vllo modo cogat, vel ostendat, eamdem formam esse in diuersis materiis.

43 Verùm quia nulla fatuitas sine patrono, non desunt etiam his temporibus nonnulli (nescio an Philosophi dicendi vel potiùs deliri) qui iudicat, in omnibus entibus (excipiunt hominem, propter Fidem) eamdem numero esse formam substantialem, & solas dispositiones accidentales noscunt diuersas. Hoc potiùs est omnium quàm opinio. Et Primò rogo hos Auctores, quam vel apparentem huius sententiæ rationem possint habere, vt eamdem numero formam in lapide & in leone constituant, aut cur accidentia ipsa non dicant etiam esse eadem numero. Si enim idemtitas arguitur ex vniformitate operationum, ibi è cõtrario summa diuersitas; si ex inseparabilitate, ibi summa separabilitas; si ex dependentiâ vnius ab alio, ibi summa independentia: denique nullum est vel leue vestigium talis idemtitatis. Sed age, iam manifestis & euidentibus rationibus contrarium probemus.

Primò omnes illæ, quas suprà Sectione 5. adduxi ad probandũ, dari formam substantialem in rerum naturâ, probant, eas formas esse diuersas in diuersis compositis, quia debet esse vna radix, ex quâ determinatè illa potiùs accidentia & operationes inferantur, quàm in alio composito.
44 Cur enim, si eadem anima leonis, quæ anteà erat, manet in cadauere, iam penitus operationes omnes cessant vitales? cur mortuus non rugit? cur non eum & tunc timebimus?

Secundò, si eadem est numero anima leonis hîc, & alterius in Africâ existentis, ergo quæcumque ille sentit vel appetit, hic etiam leo sentit & appetit, etiamsi appetitio vel sensatio non sit hîc; sicut omnia quæ anima pedis sentit in pede, sentit anima capitis, quæ est eadem numero, & ideò potest ex sensatione in pede existente illa in capite determinari ad operandum. Vnde vlteriùs fiet, vt quæ vnum animal nouit, omnia noscant. Et miror, cur quando vnus canis fustibus excipitur, non doleant, latrent, fugiant omnia totius orbis animantia: quia si vnum membrum 45
alteri compatitur, iuxta Apostolum, etiamsi in brutis non sit eadem numero anima in vno ac in altero membro, proculdubiò, si eadem numero in omnibus esset, multò magis deberet compati, dolere, & conqueri. Præterea cùm eadem numero anima sit in lupo & in agno, quis eam contra se ipsam exagitat? quis ad dilacerandam se in agnello, ad se ipsam deuorandam acuit? vel quomodo non ipse lupus proprios sentit morsus? & dolore territus prædam ex faucibus, se ipsum à propriis dentibus dimittit immunem?

Tertiò, quia contra Scripturam hi Auctores tenentur admittere, nullum animal mori: quamdiu enim eamdem animam sensitiuam retinet sibi vnitam, etiamsi accidentia aliqua de nouo vel acquirant vel amittant, adhuc tamen viuunt, anima enim eorum intra ipsa est. Quid ergo Scriptura dicit, *Vnus est hominis & iumentorum* 46
interitus, sicut illa moriuntur, &c. quid præfertur canis viuus leoni mortuo? quid toties tot equorum millia in præliis narrantur occisa? tot animantia Deo sacrificata? quid Deus sollicitus fuit, ex omnibus speciebus bina & bina in arcâ reseruare, quando totius Oceani aquæ nec vnicum poterant interimere? quando cataractæ cæli, & abyssi magnæ fontes rupti, tam omnia reliquêre viua, quàm si blando tantùm rore fuissent respersa & recreata? Tale ergo delirium exterminandum prorsus est ab hominum mentibus.

Rogabis, an saltem de potentiâ absolutâ possit 47
eadem forma materialis simul in duobus esse subiectis. Respondeo affirmatiuè, quia rectè potest de potentiâ absolutâ eadem res esse in duobus locis, & à duplici causâ totali produci (vt dicam infrà) ergo poterit eadem forma supernaturaliter plures informare materias. Præterea in eodem loco possunt esse plures materiæ diuinitus penetratæ; ergo etiamsi forma non posset esse simul in duobus locis, adhuc posset in duplici materiâ existere; quo casu illa composita, quæ resultarent ex materiâ & illâ formâ, solùm essent inadæquatè distincta ratione materiæ, sicut modò distinguitur manus hominis à capite, de quo infrà rursus aliquid.

SECTIO VI.

An in eadem materiâ possint esse plures formæ substantiales.

MAIOR difficultas est, vtrùm possint naturaliter plures formæ substantiales esse simul in eadem materiâ. Et ratio dubitandi est, prima, quia videmus plures formas accidentales in eadem materiâ: secunda, quia eadem causa rectè potest plures effectus simul producere, ergo
eadem materia plures formas: tertia, quia non 48
sequitur, materiam aut formam futuram in pluribus locis, neque vllum aliud absurdum, ergo.

Prima sententia tot adstruit formas substantiales in materiâ, quot sunt prædicata Metaphysica compositi, v. g. entis, substantiæ, corporis, &c.

Huic

Huic fauere videtur Aristoteles 7. Metaphysicorum cap. 10. vbi partibus definitionis docet correspondere partes rei; definitio est per genus & differentiam, ergo hæc distinguuntur inter se realiter, ergo tot sunt formæ substantiales, quot partes Metaphysicæ. Respondeo, Aristotelem solùm loqui de definitione physicâ cui partes physicæ respondent, vel de partibus Metaphysicis, per quas definitio Metaphysica traditur. Sententiam hanc reieci ex parte Disputat. v. Logicæ, Sectione 1. vbi ostendi, prædicata superiora ab inferioribus non distingui realiter vel modaliter, & eam iam breuiter perstringo, quia etiam in materiâ deberent poni tot partes essentiales, quot materia habet prædicata essentialia, quod
49 est ridiculum, & contra hos Auctores. Sequela probatur, quia etiam materia habet prædicata superiora entis, substantiæ, materialis, subiecti, &c. Deinde etiam Angelus deberet constare eis prædicatis distinctis, imò & Deus, qui etiam habet prædicata superiora & inferiora. Denique quia homo per solam vltimam formam rationalem est viuens, substantia, ens, &c. ergo non eget aliis formis superioribus. Consequentia est euidens. Antecedens patet, quia vltima ea differentia est ens, & de conceptu primo hominis, & spiritualis, &c. ergo habet omnia prædicata superiora.

Secundò alij dicunt, in quolibet animali irrationali esse tres formas, scilicet corporis & vegetabilis, seu viuentis & sensibilis, in homine verò addunt quartâ, scilicet rationalem. Neq; hi sustinendi sunt, tum quia per eamdem animam redditur homo vel equus viuens, sensitiuus, & rationalis, aut hinnibilis, &c. tum quia sine fundamento distinguuntur hi gradus inter se, non verò omnes alij superiores, vnde consequentiùs primi locuti sunt; denique quia sine necessitate multiplicat eas entitates. Aliorum sententia hîc posset esse, in quolibet mixto esse omnes formas
50 elementorum. Sed contra hos egi Disputatione 1. ostendens, formaliter elementa non posse esse in mixtis, virtualiter autem dici manere, quatenus accidentia prima, quæ sunt propria elementorum, manent etiam in mixtis.

SVBSECTIO PRIMA.

Sententia adstruens formas partiales in viuentibus.

SCOTVS in 4. dist. 11. quæst. 3. art. 2. opinatur, in omnibus viuentibus dari vltra animam, aliam formam corporeitatis, quâ materia redditur corpus. Hanc sententiam restringit Henricus Quodlibeto 2. q. 2. & 3. & Quodlibeto 3. quæstione 13. & 14. ad solum hominem. Nonnulli recentiores hanc quæstionem celeberrimam reputant; verùm nullum in eâ ego video mysterium, vt ex dicendis constabit. Iidem in hanc Scoti sententiam cum limitatione statim subiiciendâ inclinantes, dicunt, eam in scholis inualuisse. Verùm ita inualuit, vt quantum ego possim scire, in totâ Hispaniâ nullus eam defendat, imò nec impugnare eam ex professo dignetur, tamquam rem sine solido fundamento. In Italiâ pauci, & in his partibus rarissimi. In quibus ergo scholis inualuit? Adde, omnes nostros è Societate, quotquot sua typis mandarunt, contrarium docuisse, duobus exceptis, P. Dandino, & P. Coninck. Sed de his satis.

Dicunt ergo hi Auctores, in viuentibus omnibus (quia ea partibus diuersis constant, v. g. animalia capite, manibus, pedibus, oculis, accidentibus, &c. plantæ verò foliis, fructibus, radicibus, &c.) dari diuersas formas partiales substantiales manus, capitis, &c. quibus materia prima 51
disponitur ad animam viuentem, & quæ post mortem durant aliquando in cadauere, quousq; prorsus corrumpitur. Itaque Scoto concedunt formam corporeitatis ab animâ distinctam; dissident ab illo, quòd ille vnicam, hi verò multas paruulas & totales pro diuersitate corporis constituunt. Sed fundamenta ipsis & Scotistis communia sunt, ideò eadem viâ & pro vtrisque & contra vtrosque pergendum.

Hanc sententiam probant Primò, quia corpus, vt condistinguitur ab animâ, dicit aliquam formam substantialem; non potest autem esse alia, nisi quæ ab ipsis ponitur, ergo. Probant Maiorem hi latissimè ex mysterio Eucharistiæ, vbi non ponitur anima ex vi verborum sub speciebus panis, vt Tridentinum docet, ponitur autem corpus; ergo corpus non dicit animam: sed nec solam materiam, quia hæc per se non est corpus; ergo illam simul cum aliquâ aliâ formâ substantiali. Disputatione 1v. de Eucharistiâ à n. 1. egi latè de significatione vocis *corporis*, à numero verò 16. ostendi, nomen hoc *corpus*, prout à Latinis tribuitur vni parti hominis, non significare nisi materiam primam cum hac organizatione & accidentibus externis: neque enim Romani inuentores huius vocis (& idem est in qualibet posteà linguâ, in nomine correspondente vocabulo Latino) attenderunt, vtrùm ibi detur forma aliqua corporeitatis, aut formæ partiales, quæ ante quatuor dies à nonnullis sunt inuêtæ; sed molem ex- 52
ternam illam cum his accidentibus considerantes, corpus vocarunt. Vnde ex significatione vocis non licet vllo modo talium formarum existentiam probare, sed aliunde id rationibus Philosophicis est inquirendum. Imò addo, etiam ipsius materiæ primæ existentiam non ex huius vocis *corporis* significatione probandum: quia Auctores vocis non semper fuere Philosophi, qui ad hæc occulta attenderint, sed solùm ad externam hanc apparentiam oculis visibilem, & tactu palpabilem. Hinc ergo constat, quàm debilia sint horum Auctorum fundamenta, quorum præcipuum & ferè vnicum ex hac vocis significatione desumitur.

Dices Primò: Si corpus solùm significaret materiam primam cum his accidentibus, ergo conuersio Eucharistica non tam esset transsubstantiatio quàm transaccidentatio, quia esset in accidentia externa, quæ corpus vt tale dicit. Ecce secundum argumentum, solùm etiam ex modo loquendi desumptum. Legant Concilium, & ex eo colligent quare hæc dicatur transsubstantiatio, quia scilicet est totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi; huic autem quid officit, quòd ponantur etiam aliqua accidentia ex vi verborum? Vbi aduerte, in compositio, quando vna pars est accidentalis, totum absolutè dici accidentale: v. g. cognoscens, etiamsi ex parte subiecti includat animam, quæ est substantia, dicitur tamen concretum accidentale. Rationem 53

alibi tetigi, quia ratio formalis eius compositi, id est vnio à quâ compositum præcipuè denominatur, etiam est accidentalis; quia si albedo est extra substantiam hominis, etiam habere albedinem est extra illam. At in actionibus non ita res contingit: nam actio non dicitur substantialis, quia in se ipsâ sit substantia; suppono enim aliunde, illam esse omnino accidentalem, sed denominationem substantialis vel accidentalis accipit à termino producto. Vnde, si per vnicam actionem duo termini, vnus substantialis, alter accidentalis, producantur, non debet ea actio solùm dici accidentalis: tam enim est productiua substantiæ quàm accidentis. Quam differentiam inter actionem & vnionem quia hi Auctores non considerarunt, propterea malè suprà intulerunt, eam actionem solùm dicendam transaccidentationem, minùs malè intulissent, si eam non minùs transaccidentationem, quam transsubstantiationem dicendam inferrent, quia hoc videtur ratione & exemplo paulò antè à nobis allato confirmari. Addo tamen, neque hoc inferri quia, 54
vt suprà dixi, ideò à Concilio vocatur substantialis, quia in termino à quo solùm habet substantiam, & pro termino ad quem primariò habet etiam solam substantiam, etiamsi haberet aliqua accidentia in ipso termino ad quem, sicut prima mundi creatio absolutè dicitur creatio substantialis, etiam si in eâ quantitas & alia accidentia producta fuerint.

Dices Secundò: Corpus vt corpus, est essentiale homini, quia dicitur homo constare corpore & animâ, ergo si corpus dicit hæc accidentia, sequetur, aliqua accidentia esse de constitutione hominis, & consequenter hominem esse concretum accidentale. Respondeo, hîc tertiò de nomine fieri quæstionem. Et certè hoc argumento æquè ipsi premuntur: quia si Deus materiam primam cum his accidentibus externis animæ rationali vnitam conseruaret, etiamsi destrueret has formulas partiales, omnes illum dicerent hominem, & verè esset homo, & tamen per te non esset tunc corpus; ergo corpus secundùm totum quod dicit, non est de essentiâ hominis. Respondeo ergo, corpus duo dicere, vnum in recto, scilicet materiam primam, & hanc solùm esse de essentiâ hominis, physicè & Philosophicè loquendo, prout omnes Philosophi docuere; aliud verò in obliquo, scilicet accidentia externa, organizationem, &c. & hanc solùm quoad vulgus esse de essentiâ hominis, quia pertinet ad definitionem descriptiuam, *homo est animal bipes, rectum*, &c. quæ definitio homini est essentialis, iuxta vulgi considerationem, non verò iuxta Philosophicam; & propterea, si diuinitus materia prima auferretur, & cum his accidentibus anima se moueret, &c. vulgus illum diceret verè hominem, non tamen hoc diceret Philosophus, qui discernit inter accidentia & materiâ, quod vulgus non facit. Tu autem vis vtramque acceptionem coniungere, in quo valdè erras, vt ex dictis constat.

55 Secundò quidam arguunt: Quando datur collectio aliqua accidentium, debet etiam esse forma substantialis à quâ procedat; ergo cùm in embryone, homine viuo, & cadauere, sit eadem collectio accidentium, debet necessariò vna eademque forma esse à quâ ea collectio procedat, ergo formæ partiales. Respondeo, hoc argumentum nullum esse: nam etiam in aceto manent ferè tot accidentia perceptibilia ex his quæ fuerant in vino, quot in cadauere ex his quæ fuerant in homine; non autem puto, hos posituros formam partialem quæ in vino & aceto sit. Idem ferè est in aliis multis compositis, quæ retinent multa accidentia, quæ fuerant sub priori formâ. Ratio huius est, quia ea accidentia intendebantur à naturâ propter animam rationalem, vnde fuerunt producta ab extrinseco in embryone, conseruata in homine connaturaliter, durantia verò in cadauere, quia adhuc non accessit contrarium agens, quod illa destruxerit, vnde breuissimè pereunt, quod est signum non conseruari ab extrinseco. Vide quàm parum hoc argumentum vrgeat.

Addo, hoc ipsum, velint nolint, debere ab his 56
doceri de ipsis formis partialibus: nam illæ non intenduntur à naturâ propter se, sed propter animam rationalem, vt & ipsi admittunt. Sicut ergo formæ illæ intentæ propter animam, conseruantur ante & post illam, quid quæso mysterij hi inuenerunt in accidentibus, vt hæc, licet propter animam intendantur, non possint ante & post illam aliquantulùm durare?

Adde tandem, illa accidentia non conseruari à formis illis, sed esse dispositiones ad eas formas: vnde pereuntibus eis accidentibus, pereunt formæ illæ. Iam ergo, quandoquidem non procedunt à formis, sed aliunde conseruantur, cur non poterunt conseruari, etiamsi non essent ibi tales formæ?

Quod verò hi valdè accuratè ex Medicis obseruant, omnia scilicet accidentia, excepto calore naturali qui ab animâ procedit, in corpore mortuo manere; hoc, inquam, & falsum est, & ipsos iugulat. Falsum, quia calor qui perit, non est ille qui procedit ab animâ, sed qui est dispositiuo ad animam; vnde ex defectu caloris & alterius temperamenti anima perit, non è contrario temperamentum ex defectu animæ. Vbi ergo iam obseruatio Medicorum, quòd scilicet solus calor qui ab animâ procedit, desit in homine mortuo? Quòd verò hoc eos iugulet, inde patet: quia si omnes dispositiones ad animam manent etiam sine animâ, cur non poterunt manere & sine formis partialibus, quandoquidem tota illa organizatio pupillæ, quam ipsi opus pulcherrimum naturę ex P. Aguillonio esse affirmant, certè non fuit à naturâ intenta pro vnâ formâ partiali cæcâ, surdâ & incapaci vllum in eâ pupillâ exercendi actum vitalem.

Tertiò ergo principaliter probant suam sen- 57
tentiam, quia manus differt essentialiter, vt per se patet, à capite; non per animam, ergo per formam partialem. Hoc argumentum solùm habet difficultatem in homine, quia in brutis posset dici, partes animæ esse heterogeneas. Sed neque in homine, quia potest dici saltem ipsa vnio substantialis esse heterogenea, vt multi sentiunt.

Dices, inauditum esse, per vnionem constitui corpus, ergo vnio diuersa non constituit diuersas partes corporis. Sed hi Auctores seipsos iugulant, quia si corpus, in sententiâ eorum dicit, vltra materiam primam, formam substantialem, quæcumque illa sit, etiam deberet illius vnionem includere: nam si separata sit ea forma, non faciet vnum, vt per se est notum, &c. ergo corpus non

non minùs constituitur per vnionem materiæ cum eâ formâ, quàm homo constituitur per vnionem corporis & animæ. siue enim ea vnio vocetur *pars*, siue *vt quod*, siue *vt quo*; est aliquid intrinsecum & essentiale homini, non minùs quàm ipsa anima, & quàm albedo albo; quia modi loquendi *vt quo*, & *vt quod* non sunt in obiecto, sed ex modo nostro concipiendi & significandi ortum traxerunt, vt alibi dixi. Ego vellem corpus non dicere vnionem, quia tunc sola materia esset corpus, in quod valdè inclino, etiamsi & tunc saltem vnio integralis non posset excludi, quia vnum punctum materiæ non est corpus.
58 Ergo argumento respondeo, absolutè corpus dicere aliquam vnionem. Miror autem id tibi videri inauditum, cùm ferè omnes id doceant, quandoquidem corpus faciunt concretum, quod essentialiter dicit vnionem: ergo si non habes aliud argumentum, nisi à nouitate, ad oppugnandam vnionis heterogeneitatem, hoc nullum est. Sed de hoc vide Disputationem 1. de Animâ, vbi Deo duce ostendam, partes animatas non differre essentialiter; quò prorsus corruit hoc secundum argumentum pro istis entibus, seu formis minutis.

Tertiò argumentantur: Quia quando homo moritur, non introducitur forma aliqua substantialis; ergo debet ibi manere aliqua antiqua, ne materia maneat sine formâ vllâ substantiali; ergo debent ibi manere formæ partiales. Nego tibi consequentiam, Primò, quia posset manere vna, sicut eam ponit Scotus; neque enim ex variis dispositionibus cadaueris probatur multitudo formarum: tu enim ipse teneris dicere, ab animâ rationali, etiamsi vna sit, exigi eas formas diuersas substantiales. cur ergo non poterit dicere Scotus, ab vnâ formâ substantiali exigi eas dispositiones accidentales diuersas? Certè si aliquid ex his deberem dicere, ego priùs cum Scoto vnam ponerem, quàm tecum tot & tam paruulas, qualis debet esse v. g. quæ est in pupillâ
59 oculi. Secundò argumento respondetur, potiùs admittendo nullam formam substantialem manere in materiâ post mortem hominis, quàm eas partiales ponerem; quia (vt suprà dixi) ægrè valdè potest ostendi, non posse materiam in aliquo casu omni formâ substantiali carere: ideò valdè probabiliter posset dici, quia in morte hominis destructæ sunt dispositiones pro animâ violenter, vt quando homo decapitatur, nec introductæ sunt aliæ pro nouâ formâ, separari animam ab eâ materiâ, nullâ aliâ formâ succedente aut manente, sed solis accidentibus, quæ à materiâ & Deo conseruantur, & paulatim posteà deficiunt adueniente contrario; quia non est forma vlla substantialis, quæ contrario resistat, & efficienter ea accidentia conseruet augeatque.

Dices, Tunc materia esset incompleta. Fateor, etiam tu eam ponis absolutè incompletam, quia deest illi complementum animæ, in cuius locum nihil successit per te; formæ autem illæ non sunt intentæ propter se, sed propter animam, & consequenter non sunt complementum adæquatum materiæ. Fateor, hæc solutio mihi valdè est probabilis; nec video quomodo possit vel apparenter oppugnari, nisi quia nullus posuit materiam aliquando sine omni formâ substantiali. Deberet tamen considerari, nullam esse pro hoc communi sensu rationem, nec vllum ex contrario sequi absurdum. Sed de hoc iam fusiùs.

SVBSECTIO SECVNDA.

Soluitur argumentum pro his formis, desumptum ex impugnatione Formæ cadauericæ.

IDEO, qui hoc durum putaret, posset cum communi formam cadaueris in ea materiâ ponere, 60
& hoc tamquam probabilius defendo propter communẽ auctoritatem. Sed mirãdum est, quàm acriter excipiant aliqui hanc formam cadaueris, qui tamen in re eamdem ponunt: quia quam ipsi dicunt corporeitatis, vel quas ipsi vocant partiales, illam ego voco formam cadauereitatis, eò quòd solùm sit in cadauere. Differentia autem inter hos Auctores & me in hoc præcisè consistit, quòd illi ponunt illam formam, antequam homo generetur, & etiam quamdiu viuit, & propterea non vocant illam *cadauereitatis*, sed nomine *corporeitatis*, quæ solùm est quoad hoc differentia de nomine: quoad punctum verò de re, quòd scilicet illam ponant quamdiu homo viuit, facilè impugnabuntur infrà. Alia etiam est cum eisdem differentia, quòd ipsi ponunt eas formas diuersas in specie, siue heterogeneas, ego autem dico eas partes esse homogeneas, quæ differentia de re in libris de Animâ explicabitur. Nunc solùm dico, etiam in ipsâ formâ cadaueris posse assignari eas partes heterogeneas, si ita auidè heterogeneitatem amas, dummodò non mihi dicas, eas formas etiam esse in corpore, quamdiu homo viuit, de quo solùm est præsens difficultas. Iam ergo hac præmissâ obseruatione 61
facilè apparebit, quàm sint debilia argumenta contra istam formam infelicem, quia nomine *cadauereitatis* ab omnibus Philosophis vocata est; nam proculdubiò corpus mortuum, etiamsi dentur formæ partiales, cadauer dicitur.

Primò ergo obiiciunt: Quia si animæ rationali Christi successit forma cadaueris in triduo, ergo Christi corpus corruptum est, contra Scripturam. Hoc argumentum videtur potiùs ipsos vrgere quàm me. Rogo enim, corruptio denominatúrne à positiuâ productione, an à discessu alterius? Ego pono productionem formæ cadaueris, & in hoc solùm ab iis differo; ipsi ponunt solam destructionem, sine vllâ productione. quomodo ergo per hoc ego multiplico corruptionem? nisi de die resurrectionis loquantur, quando forma cadaueris fuit destructa; verùm ipsi loquuntur solùm de mortis puncto. Deinde Secundò respondeo, illam corruptionem, quæ negatur corpori Christi, non esse physicam, quæ in omni generatione substantiali interuenit, & certum est, sal- 64
tem vnionem substantialem fuisse corruptam, sed est corruptio, quæ vulgariter talis appellatur, quando scilicet in cineres vel vermes corpus desinit: aliàs deberet dici, contra Fidem, Christum non mortuum. nam mori, corrumpi est, si physicè loquamur, quidquid sit de his formis.

Secundò obiiciunt, Ergo corpus fuit completú nouâ formâ in triduo, ergo & subsistens, ergo Verbum assumpsit eam formã cadaueris. Primò rogo, an assumpserit eas partiales. Si hoc dicas, dic etiam idem & de nostrâ; quia (vt suprà osten-

di) tu in re idem sentis, velis nolis : si verò eas non assumpsit, dic etiam, non assumpsisse humanam naturam. Vlteriùs, si per eas partiales corpus est completum, dic idem & de nostrâ : quòd si dicas, non esse omnino integrum, etiam & idem dicas de nostrâ.

Replicabis, in tuâ sententiâ non sequi, dimissum fuisse aliquid à Verbo quod fuerit assumptum, quia si in triduo assumpsit eas formas partiales, etiam ante mortem, & post resurrectionem: at in nostrâ sententiâ, si illa forma in triduo fuit
63 assumpta, quia posteà periit, debuit etiam & dimitti. Respondeo, fortè ideò propterea à me negabitur eam fuisse assumptam : quid inde? Deinde, ne hoc scrupulo torquearis, quando dicitur, *quod semel assumpsit numquam dimisit*, sermo est de corpore & animâ, de quibus tantùm erat sermo & Patribus & Theologis.

Sed hinc obiicies Tertiò : Ergo Verbum potuit dici cadauer, & similiter *cadauer nos redemit, natum est de Virgine, datum est in cœnâ Apostolis*, quæ omnia sunt absurda. Ego non video vnde contra nos hanc sequelam intulerint hi Auctores. Siue enim detur forma cadaueris, siue non, verè corpus Christi in triduo in omnium sententiâ dictum est cadauer ; quid ergo ad eas locutiones inferendas confert quòd fuerit dictum cadauer à formâ aliquâ cadauereitatis? an à formâ corporeitatis, vel formis partialibus antiquis? Imò ego possem æquiori iure retorquere argumentum contra ipsos, dicendo, Apostolis datum esse totum quod cadauer significat, & totum hoc natum esse de Virgine, quia formæ hæ par-
64 tiales, quæ sunt in cadauere, per te natæ sunt de Virgine, & datæ Apostolis, quod non est verum in meâ sententiâ de formâ cadauereitatis, quia nec nata est de Virgine, nec data in cœnâ Apostolis. Quomodo ergo obiiciunt nobis, sequi ex nostrâ sententiâ, *cadauer natum est ex Virgine?* Fortè ne aliqui id ipsum eis obiiceret : sed à me hoc non timeant, quia video, illos benè posse respondere, *cadauer* non dici corpus, nisi cum negatione animæ rationalis, quia verò hæc negatio non erat, quando hæ formæ partiales natæ sunt de Virgine, vel datæ in cœnâ Apostolis, ideò non posse dici natum vel datum cadauer. Sed hanc solutionem meliùs ego possum adhibere, quandoquidem ipsa forma positiua cadauereitatis non fuit in vtero Virginis, nec data in cœnâ Apostolis, etiamsi à Verbo posteà fuerit assumpta, quod ad præsentem difficultatem parum conducit : quia non licet argumentari à denominationibus quas Verbum vno tempore habuit, ad eas ei omni tempore applicandas ; sicut si Verbum fuisset Angelo vnitum, & posteà dimissâ eâ vnione
65 vnitum fuisset homini, non posset dici, *Angelus mortuus est*, *Angelus nos redemit*, sed, *Verbum quod fuit Angelus nos redemit*; ita etiam in homine posset dici, *Verbum quod fuit cadauer*, *nos redemit*, sed nullo modo, *nos cadauer redemit*. Ad quam doctrinam propter dicta, & maiori iure, recurrere tenentur & aduersarij.

Quartò obiiciunt : Quia nulla est causa à quâ producatur talis forma. quis enim, quando homo strangulatur vel iugulatur, producit eam formam? Præterea siue homo frigore siue calore pereat, eadem manet forma, quod prorsus repugnaret, si ea tunc primò produceretur, quia à causis contrariis non potest eadem forma produci. Adde, in embryone præcedere similem formam. Quis ergo eam destruxit? certè non potest dici, eam fuisse destructam ab eadem formatrice virtute, à quâ fuit introducta ; aliàs eadem causa produceret & corrumperet eamdem formam, quod repugnat ; ergo dicendum est, eam mansisse in corpore, & durare post mortem, siue mors ab hac siue ab illa causâ proueniat.

Hoc argumentum nullum est, Primò, quia 66
eadem ratione deberent ponere in igne aliam formam corporeitatis. Nam carbo accensus, in quo iam est introducta forma ignis, siue extinguatur aquâ, siue cineribus, siue oleo calido, siue aquâ frigidâ, siue hoc siue illo modo, manet tamen idem numero carbo : quis ergo introduxit ibi eam formam carbonis? Fortè, vt euadas, dices, in carbone non fuisse formam ignis, sed adhuc durare formam ligni. Sed hoc ex ipso sensu apparet improbabile : quæ enim in carbone extincto cum ligno similitudo, vt dicas habere eamdem formam substantialem? Certè magis differt carbo à ligno, quàm canis à lupo, quantum possumus nos colligere ex his quæ videmus, qui est modus argumentandi horum Auctorum. Sed ne in hoc hæreamus, pone exemplum in vino, quod procul dubio specie differt ab aceto, & tamen eadem forma aceti subsequitur, siue vinum calore nimio, siue aliâ de causâ contrariâ acescat. Debemus ergo omnes dicere, esse aliquas formas, quæ petunt dispositiones valdè similes dispositionibus aliarum formarum : ideoque quando illæ dispositiones corrumpuntur, vndecumque id proueniat, & à gradu requisito proprio rebus deficiunt, succedere alias, quæ dispositiones in proximo requirebant ; & talem esse formam cadaueris, formam aceti, & carbonis suo etiam modo.

Ad illud de embryone facilè ego ad homi- 67
nem respondeo, ex horum doctrina. Hi dicunt, sanguinem habere diuersam formam substantialem à carne : ecce eadem virtus nutritiua, quæ conuertit alimentum in sanguinem, eadem expulit ex sanguine eam formam substantialem, & dedit formam carnis ; ergo minùs consequenter negas, ab eisdem causis efficientibus posse destrui eam formam, quæ ab eis producta fuit. Ratio est
manifesta : quia illæ causæ efficientes pergunt 68
paulatim disponendo materiam vnde fit, vt cùm produxerunt dispositiones aliquas, vt quatuor v.g. quæ requirebantur pro aliquâ formâ, producta fuerit ea forma ; quando verò vlteriùs pergunt augendo & intendendo eas dispositiones caloris, vel frigoris, aut humoris, &c. iam per accidens expellitur prior illa, quæ non patitur eas qualitates in summo, introducitur verò alia forma, quæ in intensiori gradu eas requirebat ; & ita fit, quandocumque aliqua causa non immediatè conuertit in se passum valdè diuersum, sed priùs formam similiorem, posteà tandem suam introducit : quæ doctrina tam est certa, vt à nemine negari possit. Idem ego dico in formâ embryonis : vnde rectè explicatur, cur non maneat simul cum homine, & perfectè toti argumento satisfactum manet.

Quintò obiiciunt : Caro mortua & viua est 69
vniuocè caro (ideò enim dicitur eadem caro, quæ nata est de Virgine, fuisse in sepulchro :) sed, si

succedat

succedat forma cadaueris, non est eadem caro, ergo. Aduerte Primò, eos debere eam propositionem moderari: quia fortè per nutritionem, quæ etiam fuit in Christo, posset aliquis dicere amissum aliquid de partibus materiæ primæ, in quâ Christus infans natus est, & consequenter non omni rigore prorsus physico eamdem numero carnem fuisse in sepulchro, quæ in vtero Virginis, quandoquidem etiam & alia quadruplo, vel ampliùs maior fortè addita est. Sed ab hac quæstione abstrahendo, dico, corpus seu carnem solùm dicere materiam primam cum organizatione, & accidentibus externis; hanc autem eamdem numero fuisse in sepulchro, quæ in vte-
70 ro. Tandem addo, Patres, quando id docent, non locutos in eo rigore physico, sed ad eum modum, quo in hominum acceptione idem dicitur corpus Petri, siue viuum sit siue non. Et certè etiam homines prudentes, qui hoc dicũt, nihil cogitãt de formis suis partialibus, vt suprà notaui.

Tandem obiiciunt: Forma cadaueris est nimis imperfecta, vt pro illâ ita natura desudauerit corpus disponendo; quod præcipuè ostendunt ex oculorum admirabili fabricâ, quâ nihil in naturâ mirabilius. Hoc tamen argumentum planè nullum est. Rogo enim hos Auctores, an ipsi in cadauere videant aliquam formam perfectiorem, quàm ceteri homines; aut an propter eas formas partiales appareat pulchrius corpus aliquod vulneribus confossum, denigratum, vermibus iam scaturiens, ac suo fœtore omnia inficiens, vti est formarum partialium pulchritudo?
71 Secundò respondeo, magis hoc argumento premi arguentem ipsum, qui pro vnâ cæcâ, surdâ, ac omni operationi ineptâ formâ partiali, machinam illam pupillæ, oculorum, aurium, &c. per se docent à naturâ intentam: ego enim respondeo, naturam non pro formâ cadaueris, sed pro humanâ fuisse productam; per accidens verò, ex defectu dispositionis pro animâ requisitæ, hanc inde expulsam, & eius loco cadauericam successisse, quæ etiam intrasset, licet ea oculorum mirabilis structura ibi non esset. Quòd si aduersarius velit probabiliter discurrere, etiam positis formis partialibus debet docere, eam organizationem non pro formis partialibus mortuis diminutis, & imbecillibus, sed pro animâ præparatam: durare autem aliquando etiam absente animâ, quia ab eâ non pendebat à priori, sicut suprà dixi de aliis accidentibus.

SVBSECTIO TERTIA.

Alia argumenta pro eis formis partialibus.

72 PRIMVM sit: In homine anima, cùm sit spiritualis, non potest complere materiam in ratione corporis vegetabilis, neque enim anima ipsa vegetatur; ergo debent esse formæ partiales. Respondeo, animam quidem non vegetari in se, verùm ratione ipsius, vt causæ vitalis, vegetari totum hominem: similiter ipsam non esse corpoream, verùm adhuc complere materiam in ratione corporis physici, quia corpus physicum completum, solùm dicit compositum ex materiâ & formâ: cùm autem anima sit forma, verè, etiam materiam complet in ratione corporis prædicamentalis.

Secundò alij arguunt: Quia in homine dantur operationes contrariæ, iuxta illud Pauli, *Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem*; ergo debent esse in homine diuersa principia substantialia, ergo & diuersæ formæ. Respondeo Primò, hac obiectione probari duas animas appetentes, non verò formas partiales, quæ non sunt vitales, nec appetitiuæ. Respondeo Secundò, hac obiectione summùm 73
probari, potentias ipsas proximas, scilicet appetitiuam, materialem, & volitiuam, esse diuersas; nam ratione illarum potest eadem anima appetere contraria. Tertiò respondeo, neque diuersitatem animarum neque potentiarum inde colligi (de quo fusiùs Disputatione III. de Animâ, à nu. 88. dum de potentiarum distinctione egero) potest enim eadem anima ex diuersis apprehensionibus, vel motibus carnis, iam hoc iam illud appetere, etiamsi contrarium sit ei quod ratio moralis seu pars superior dictat.

Quem lapidem non mouerunt nonnulli recentiores, vt has formas partiales inducerent? & mirandum est, inter tot argumenta neque vnum efficax reperiri. Hi ergo Tertiò arguunt: Quia caro mortua est vera caro, per eam enim solui- 74
tur ieiuniũ. Sed quæso hos Auctores, an in iusculo ex carnibus distillato etiam ponant istas formas partiales, quandoquidem etiam per tale iusculum ieiunium frangitur. Quid hi dicent? vel quis eis dixit, Pontifices instituentes ieiunium, cogitasse de formis istis partialibus, & propter illas fuisse tam sollicitos, ne eas comederemus diebus prohibitis? Quilibet puto prudens relinqueret huic Auctori omnes istas formas, & acciperet sibi materiam primam perdicis, cum omnibus illius dispositionibus, & formâ cadaueris, & illam haber; neque credo in eâ electione illos erraturos. Respondeo ergo, Ecclesiam non cogitasse de talibus formis, sed pro hibuisse carnes, vndecumque in ratione talium constituantur, propter delectabilitatem accidentium quæ in eis sunt, & vires quas addunt. Ad hoc autem quid formæ partiales?

Quartò arguunt: Quia aliàs sola manus pos- 75
set dici homo, sicut gutta aquæ dicitur aqua. Primò respondeo, si vnio sit heterogenea, etiam sine istis formulis facilè constare, cur quælibet pars non sit homo. Secundò, etiamsi omnes digiti habeant formas omnino similes inter se (pono istas partiales) & fortè similes toti manui, numquid vnus digitus dicitur manus? vel numquid vna pars brachij dicitur brachium? Respondeo ergo, in modo loquendi, ad quem pertinet hoc argumentum, non semper nomen totius, etiam homogenei, tribui parti cuilibet. Sic vnum folium libri, est eiusdem rationis cum omnibus aliis, (& pone, ne quæras diuerticula, omnia esse non scripta) & tamen vnum folium non dicitur liber, nec vna gutta aquæ dicitur mare, nec vna domus ciuitas. Ratio à priori est, quia sunt sæpè nomina, quæ ipsam integram formam rei significant, & talis est vox *homo*, quæ propterea non tribuitur vulgariter manui, etiamsi, physicè loquendo, possit dici manus essentialiter esse homo.

Quintò: Quia nisi sint hæ formæ, homo non 76
erit verè mixtum. Sed contrà, quia homo solùm dicitur mixtum propter quatuor qualitates, in quibus

quibus conuenit cum elementis; hoc autem habet sine vllis formis partialibus. Imò quandoquidem ipsæ formæ partiales non sunt vna forma ignis, altera terræ, &c. non aliter possunt constituere mixtum, nisi quatenus continent has qualitates: hoc autem habet anima, ergo.

Sextò: Quia grauitas non potest prouenire ab animâ, nam hæc est principium motus progressiui, qui est contrarius motui deorsum; nulla autem res potest esse principium motuum oppositorum: 77 sed neque potest illa grauitas à materiâ prouenire, quia hæc ex se non grauitat nec leuitat; ergo prouenit à formis partialibus. Confirmatur Primò, auctâ materiâ in homine, augetur grauitas, sed non augetur forma rationalis, ergo quia augentur formæ partiales. Confirmatur Secundò, grauitas esset ab animâ, ergo ipsa se interimeret, dum cadens ex turri in ipso aëre extinguitur. Confirmatur Tertiò, si grauitas ab animâ oriretur, cùm anima sit perfectior formis brutorum, deberet etiam maiorem grauitatem in se producere; hoc autem est falsum, nam homo non est grauior ceteris animantibus. Neque hoc 78 argumentum cum suis confirmationibus quidquam vrget, Primò, quia falsum est, eamdem rem non posse esse principium rerum oppositarum; voluntas enim est principium odij & amoris: & licet dentur hæ formæ partiales, certè motus appetitus non sunt ab illis, quia illæ non sunt sensitiuæ; sunt ergo ab animâ, & tamen ab ipsâ etiam sunt motus rationi conformes; ergo ab eadem animâ sunt motus contrarij: benè ergo anima potest esse principium grauitatis, & motus localis. Adde, ipsos, velint nolint, teneri & hæc fateri: nam anima exigit & petit eas formas, & saltem ratione illarum mediatè est principium motuum oppositorum. Respondeo ergo, sicut color oritur ex quatuor qualitatibus dispositis, siue ipsæ sint causæ siue conditio, de quo iam non disputo, quia non est ad propositum; ita etiam grauitatem vel consistere in temperamento, vel pendere ab eo vt à conditione, in ordine ad motum deorsum, de quo Disp. IV. de Generatione, 79 à num. 72. Vnde ad primam confirmationem, constat ex augmento materiæ grauitatem ideò augeri, quia ibi etiam augetur temperamentum, à quo pendet motus deorsum. Ad Secundam respondeo, non esse inconueniens, si per accidens anima se interimat: nam motu ipso progressiuo currendo, ita potest se defatigare, vt concidat homo mortuus, & tamen ille motus progressiuus proculdubiò est ab animâ. Et quidem eadem est difficultas in eius sententiâ: nam anima, quæ est radix earum formarum, est saltem mediatè radix grauitatis & mortis. Tertia confirmatio est multò debilior, & quidem ad hominem eam retorqueo: motus progressiuus est ab animâ, ergo anima hominis, quæ est nobilior, erit causa velocissimi motus, & consequenter homo erit velo- 80 cissimus omnium animantium, quod est falsissimum. Idem est quoad fortitudinem, & alia quæ à solâ animâ, & non ab istis diminutis formis procedunt, nec tamen in homine sunt in maiori gradu. Multò ergo minùs grauitas erit in summo gradu, quandoquidem ea est imperfectior quàm leuitas, vnde potiùs deberet inferri, esse minorem in homine. Respondeo ergo, eam grauitatem prouenire ex illo temperamento; vnde per accidens se habet, siue hæc siue illa anima ibi sit. sicut in ordine ad motum progressiuum, eadem anima, & cum iisdem tuis istis formis, iam magis grauitat, iam minùs, ex varietate dispositionum; iam velociùs potest se mouere, iam tardiùs.

Vrgebis: Homo cadens è turri, & in aëre suf- 81
focatus, eodem modo descendit; ergo ea grauitas non oriebatur ab animâ. Distinguo consequens, immediatè non causatur, transeat; mediatè, quatenus causatum est illud temperamentum, quod adhuc tunc durat, nego. Imò & si immediatè causaretur, dici posset tunc succedere formam cadaueris, quæ causat eum motum.

Sed vide hîc hos Auctores, qui ita faciunt vim in eo quòd anima istos motus contrarios sibi non causet, & posteà asserunt ab animâ peti istas formas, quæ continuò ipsi animæ insidiantur: vnde clarè infertur contra illos, Ergo anima suam destructionem petit, dum fouet in se has formas, quas tamquam molientes insidias debebat domo vel baculo eijcere.

Septimò: Si dispositiones oculi essent ab ipsâ 82
animâ, non posset ab eis determinari ad viuendum, ergo illæ dispositiones sunt à formâ aliâ partiali. Ego non video vnde illud Antecedens probetur. Nónne dispositiones ignis petuntur à formâ ignis? nec enim ibi possunt istæ formulæ manere, etiam in sententiâ aduersariorum, & tamen ab eis determinatur ignis ad calefaciendum, comburendum, &c. Aut quæ est repugnantia, vt eisdem dispositionibus, quas immediatè anima petit, determinetur ad operandum? Imò ideò eas petit vt operetur. Et quidem in tuâ sententiâ saltem mediatè tales dispositiones sunt ab animâ, mediantibus istis formis, & tamen determinatur ab illis.

Octauò: Quia anima rationalis non est for- 83
maliter forma ossis, ergo debet habere aliam formam. Respondeo, formam ossis, vt conditionatam ab animâ, solùm esse ea accidentia.

Nonò: Quia omne mouens distinguitur à re motâ, ergo cum homo ambulat, pars mouens debet distingui à motâ, ergo anima mouens debet distingui à formâ motâ cum materiâ. O quale argumentum, si ob rationem distinctionis id requiris! Dicas mihi, ipsam animam quis moueat; an alia anima? hoc non dices; ergo ipsa se mouebit. Cur ergo ibi vis dare aliud grabatum, aut currum, qui simul debeat moueri ab animâ? vel numquid materia non potest pati motum ab animâ, sicut illum patitur forma partialis? quid ergo nodum quæris in scirpo?

Hæc sunt horum Auctorum argumenta, quos iam sic breuiter redarguo. Ipsi enim probantes non manere in mixto formas elementorum, vtuntur hoc argumento: Mixtum est vnum, ergo debet habere vnicam formam à quâ accipiat vnitatem, eam enim non potest à multis accipere. Vide ergo iam argumentum contra ipsos: Homo 84
est vnum per se, ergo debet habere vnicam formam à quâ suam vnitatem accipiat, nec eam poterit accipere simul ab animâ rationali, & à tot paruulis formulis, sicut mixtum eam vnitatem non poterit à multis formis elementorum accipere. Non dico argumentum absolutè esse efficax, sed ad hominem clarè ostendit, hos Auctores non discurrere consequenter.

SVB-

SVBSECTIO QVARTA.

Hæ formæ reijciuntur.

ALII è contrario, has formas in viuentibus non dari putant, omnino esse euidens, & coaceruant argumenta, quæ non sunt magni momenti.

85 Primum quod Suarezio, Hurtado, & aliis valdè frequens est, desumitur ex eo, quod per tales formas materia prima completur, ergo non potest vlteriùs compleri per animam. Et confirmatur ex Aristotele, docente, ex duobus entibus in actu non posse fieri vnum per se; sed per formam substantialem partialem materia est in actu, ergo non potest vlteriùs compleri per animam rationalem aut equinam. Hoc argumentum & mihi olim placuit; verùm puto, illud nullum esse: quia facilè dicent aduersarij, per eas formas materiam primam aliquo modo substantialiter perfici, non tamen ita vt omnino compleatur; vnde relinquit locum vlteriori complemento. Quod nullo modo repugnat: nam conceptus naturæ vel substantiæ consistit in eo, quòd sit prima radix eorum quæ in tali re reperiuntur, vt dicam Disputatione IV. Metaphysicæ, num. 33. agens
86 de conceptu substantiæ. Sicut autem, iuxta omnium sententiam, non repugnat, istum conceptum primæ radicis partialiter inter formam & materiam diuidi, cur etiam repugnabit, illum eumdem in duplici formâ, scilicet rationali & illis partialibus, diuidi, & consequenter neutram esse adæquatum complementum naturæ? Neque enim est de conceptu primæ radicis, vt sit vnica indiuisibilis.

Posses dicere, si illæ formæ partiales præcedunt animam, ipsę erunt prima radix etiam ipsius animæ, & consequenter anima iam non erit substantia, sed accidens. Adhuc huic obiectioni potest respõderi facilè, eas formas partiales esse primam radicem, inadæquatam tamen, quia ex illis oritur organizatio & aliæ dispositiones pro animâ, animam autem non radicari in eis formis, quia non sunt causæ, quasi efficientes animæ, ne-
87 que hæc est passio illarum. Præterea illæ formæ non sunt etiam radices potentiarum & operationum vitalium, sed hæ ab animâ oriuntur: vnde constat, ex eis formis & ex animâ conflari vnam totalem & integram primam radicem, ideoque quamlibet ex illis esse substantiam, partialem tamen, nec omnino completam. Hæc possent probabiliter respondere; verùm infrà vrgebo adhuc hoc argumentum contra istas formas. Alia argumenta minoris momenti omitto, quia vel petunt principium, vel supponunt quod facilè ab aduersariis negabitur.

Ego ab hac sententiâ Primò recedo, quia sine vllâ causâ multiplicat ibi formas eas partiales.
88 Nam tota varietas dispositionum, & organizationis potest oriri sufficienter ab ipsâ animâ, quod ostendo euidenter: quia per te ipsa anima petit immediatè ipsam varietatem formarum substantialium, ergo etiam poterit petere per se immediatè ipsam varietatem dispositionum, sine vllâ formâ substantiali mediâ. Deinde, illæ formæ nihil ibi operantur, ad quid ergo multiplicandæ sunt? Respondent Primò, nos potiùs multiplicare entitates, quia post mortem producitur forma cadaueris, quam illi non admittunt. Non possum non hanc solutionem mirari: nos tantùm ponimus eam formam siue formas post mortem absente animâ; ipsi eas vel alias æquiualentes ponunt & post mortem, & toto tempore quo animal viuit, quomodo ergo multiplico ego magis quàm illi? Confirmo, forma illa absente animâ 89
non est otiosa, quia materia non potest esse sine omni formâ substantiali; hoc solùm ego doceo, ergo nihil pono otiosum. Hi eas ponunt, quando materia prima completur per animam rationalem, quo tempore omnes illæ ad nullum prorsus munus, neque finem necessariæ sunt, nisi tantùm vt dormiant, quousque absente animâ, ipsæ iam incipiant ibi dominari, & domus curam habere.

Hoc argumentum sufficeret, vt probabiliorem 90
multò redderet negatiuam partem: sed adhuc vrgeo Secundò argumentum è nu. 88. & probo, eas formas, siue dentur siue non, non posse esse substantiales, quia substantiæ conceptus non consistit (vt suppono ex Disputatione IV. Metaphysicæ, à num. 4.) in eo, quòd sit id quod primò antecedit; nam quantitas & dispositiones sunt priores naturâ quàm forma, & tamen non sunt substantia, imò ex hac parte sunt accidens; consistit ergo conceptus substantiæ in eo quòd sit prima radix, non effectiua tantùm, sed etiam finalis, vt patet in dispositionibus ad eas formas partiales: illæ enim dispositiones quæ præce- 91
dunt, etiam per te dicuntur quasi radicari in eis formis, non quia ab eis effectiuè producantur, sed quia per se ordinantur, & introducuntur à naturâ propter eas formas partiales; ergo cùm hæ introducantur à naturâ propter animam rationalem, omnino dicendum est eas in animâ radicari, & consequenter non esse substantiales, sicut non sunt substantiales illę dispositiones quæ ipsas formas præcedunt. Neque, vt sint substantiales, sufficit quòd ipsæ petant etiam aliquas dispositiones, non inquam hoc sufficit: nam etiam potentiæ accidentales (si distinguantur ab animâ) petunt varias dispositiones & organizationem, & tamen non propterea sunt substantia. Tandem ne- 92
que possunt esse substantia, eò quòd efficienter aliqua alia accidentia producant, quia etiam id est commune accidentibus; sunt enim multæ dispositiones accidentales, ex quibus etiam aliæ pullulant, sicut ex primis qualitatibus secundæ promanant. Non ergo est vllum fundamentum, cur dicantur esse substantiales.

Dices, Quia vniuntur per se, & complent substantialiter. Sed contrà, quia de hoc est quæstio, neque potes tu explicare, cur hæ magis vniantur per se & compleant substantialiter, quàm quantitas, vel aliæ dispositiones ad quas rursus consequuntur aliæ, vt ostensum est. Neque enim licet dicere gratis, *hoc est substantia, & illud non*, sed debemus assignare disparitatem, hîc autem nulla est, vt iam ostendi.

Hinc concludo, Etiamsi non repugnet, conce- 93
ptum primæ radicis diuidi inter duas res, quarum vna sit radix aliquarum passionum, alia verò aliarum, vt suprà dixi; tunc tamen debere illas duas esse æquè immediatas radices: nam si vna vel radicatur vel ordinatur per se ad aliam, tunc ea non erit prima radix, & consequenter neque sub-

substantia, sed potiùs accidentalis dispositio, aut passio, vt ostensum est; & tales etiam esse eas formas partiales, vel aduersarij supponunt. Vnde infero, illos non posse vllâ probabili ratione explicare quomodo illæ sint substantiales, & assignare bonam differentiam ab aliis dispositionibus, vel passionibus accidentalibus.

94 Video hîc quemdam, qui nondum perfectè conceptum substantiæ discussit, respondere Primò, hoc argumentum esse de solo nomine, scilicet de significatione vocis *substantiæ*. Sed quis hanc solutionem non mirabitur, cùm hîc agamus de assignando prædicato aliquo reali communi formæ equinæ & istis partialibus, in quo differant ab albedine, nigredine, quantitate, reliquisque quæ dicuntur accidentia; quomodo ergo de solo nomine hæc est difficultas?

Secundò videtur respondere, se iam illud vocare substantiam, quo habito materia potest existere naturaliter; illud verò accidens, quo habito non potest existere. Verùm si posteà in Metaphysicâ non inuenerit hic Auctor meliorem explicationem, poterit tunc retractare hanc sententiam de formis partialibus, & etiam nunc posset, quando pro nunc non aliam dat solutionem, quam nunc euidenter reiicio (pone nunc quantitatem & potentias distingui, quod est independens ab hac quæstione) tam non potest materia sine quantitate existere, quàm sine formâ lapidis; tam non potest sine potentiis naturaliter, quàm
95 sine animâ. Ne verò ibi hæreamus, magis repugnat materiam carere omni vbicatione, quàm formâ substantiali, imò sine omni vbicatione nec diuinitus potest existere; quomodo ergo iam explicabunt hi per hanc suam solutionem, cur hæ potentiæ, vbicatio, quantitas, adde, dispositiones omnes, sint accidentia magis, quàm aliæ formæ? aut quomodo non erunt substantia, quandoquidem nec naturaliter, imò sine aliquibus nec diuinitus existere potest materia. In quâ dependentiâ ipsi constituunt conceptum substantiæ. Secundò contrà, ergo anima rationalis non est substantia. Probo euidenter: quia sine illâ naturaliter existit materia cum istis formis, tam naturaliter, quàm Angelus sine cognitione sui, & homo sine visu; ergo si accidens est illud, quod ita aduenit subiecto, vt sine illo cum his quæ priùs habuit, possit naturaliter existere, solæ formæ partiales erunt substantia, cùm sine illis nequeat existere materia, etiamsi habeat animam; sine hac verò connaturaliter existit, dummodò habeat eas formas. Tertiò tandem, quia non repugnat, diuinitus vnum subiectum, quod possit existere sine formâ substantiali naturaliter, tunc autem ratio substantiæ non potest per eam independentiam explicari.

96 Aduerte, hunc Auctorem meum argumentum posuisse sub terminis complementi vltimi, &c. additque *nè vltimi* esse superfluum, quia accidens non complet nec vltimò nec non vltimò. Verùm ego non vtor nomine *complementi*, quia per hoc nihil explicatur, sed nomine *primæ radicis*, id est, id propter quod omnia ea in subiecto producuntur: cumque hæ formæ sint propter animam, necessariò erunt accidentia, non secùs ac aliæ dispositiones. Ideò dixi in argumento, vix posse conceptum substantiæ seu primæ radicis diuidi in duas formas, si inter se vna sit alteri subordinata, qualis essent formæ partiales respectu animæ.

SVBSECTIO QVINTA.

Alia sententia circa multitudinem Formarum in materiâ proponitur.

VLTIMÒ tandem posset aliquis dicere, in 97
materiâ dari posse duas formas substantiales inuicem independentes. Dico, *inuicem independentes*; quia si vna per se supponit aliam, non erunt ambæ substantiales; sed illa tantùm quæ est prima omnium, iuxta dicta numero præcedenti: debent ergo illæ inter se esse disparatæ, & cum materiâ constituere non vnum compositum præcisè, sed duo incompleta, in quo nulla videtur apparere repugnantia.

Quòd si obiicias, formas substantiales diuersas exigere etiam diuersas & oppositas dispositiones, ratione quarum formæ ipsæ redduntur incompossibiles in eodem subiecto; Respondebunt, non esse necessarium, vt formæ diuersæ pe- 98
tant oppositas dispositiones: sufficit enim, si disparatas, quæ inuicem non repugnent, quod ex dicendis paulò pòst ampliùs constabit. Et quidem de facto duas nonnulli ponunt in ferro accenso. Nam in primis manere ibi formam ferri, ita videtur extra controuersiam, vt dubitare de hoc non liceat: si enim ibi non esset forma ea, à quo posteà cessante calore reproduceretur rursus ibi ferrum? Vlteriùs, esse etiam formam ignis, videtur manifestum: licet enim multi dicant, ibi solùm esse aliquas ignis scintillas in poris ferri inclusas, quæ stupam applicatam comburunt, id tamen videtur omnino incredibile, tum quia ferrum est ex se valdè densum, & exiguos ac paucos habet poros vbi includi possit ignis; totum autem 99
ferrum interiùs & exteriùs, & in quacumque parte tangatur, ardet, candet, habet omnia accidentia ignis, quæ habent carbones accensi, ergo ferrum ex se toto habet formam ignis. Confirmatur: si ferrum candens solùm haberet ignem in poris, quandoquidem habet multò minores & pauciores incomparabiliter, quàm habeat carbo accensus, multò minùs deberet comburere quàm carbo, cuius contrarium experientia docet; ergo non solùm habet ignem in poris, sed absolutè in totâ materiâ vbi est forma ferri. Imò, quò ferrum est densius, & pauciores habet poros, eò magis comburit, ergo ea vis non illi venit à poris.

Dices, neq; in totâ neque in poris habet ignem, sed solùm vehementem calorem, qui propter densitatem ferri sufficit ad introducendam formam ignis. Sed contrà, ibi experimur tantum calorem ac in igne, splendorem item ac lucem, quæ non oritur à calore, sed solùm ab ignis substantiâ: quo ergo fundamento possumus negare, ibi esse ignis substantiam? Confirmo: lux non 100
est qualitas dispositiua, sed quæ oritur à substantiâ luminosâ; at ferrum candens habet lucem, ergo & substantiam luminosam, ergo & ignem. Confirmo vlteriùs: in carbonibus accensis, vbi magnus est ignis, nullus negauit vmquam ibi esse verum ignem, etiamsi flamma non sit; nec potest tunc dici, ibi esse flammam imperceptibilem, in quâ solâ est ignis, hoc enim est contra Philoso-

phorum

phorum & vulgi totius opinionem. Deinde, recurrere ad istas res imperceptibiles sine euidenti necessitate, est euertere totam Philosophiam. Tertiò, carbones illi sine vllâ flammâ consumuntur & rediguntur in cineres, quomodo ergo illis negabitur verus ignis? Si autem carbones ignem habent, ergo & illum habebit ferrum accensum à fortiori, quia magis illum præ se fert quàm carbo, quantum nos possumus ex ratione & experientiâ diiudicare.

101 Dices: Ignis non potest esse in materiâ densâ. Sed contrà, quia fortè (vt nos dicemus infrà) ignis naturâ suâ est densus, id est, nullos in se admittens poros extraneo corpore plenos, aut vacuos. Contrà Secundò, quia puluis tormentarius est valdè densus, & concipit ignem in momento. Imò melius videtur conseruandus ignis in materiâ densâ, quia purior est, quàm in rarâ, vbi habet extranea corpora admixta, sibi aliqualiter saltem contraria. Fateor, valdè probabile esse, ibi verè dari formam ignis simul cum ferro; potest tamen aliunde quis contrarium probare, eò quòd, si ibi esset forma ignis quando est magna pars ferri accensa, si tegatur cineribus, durabit ad tres quatuórve dies, sicut durat in car-
102 bonibus tectis: constat autem experientiâ, citissimè perire ibi & splendorem & calorem, non ergo fuit ibi forma ignis. Imò ferrum accensum vix extrahitur ab igne, & iam nullum habet splendorem, quod non sit in carbonibus.

Secundò, Sicut quia forma ignis est in carbonibus, si noui & noui carbones vel ligna applicantur, fouetur ignis & durat; ita, si ferri massæ ex calore nimio adhuc fluidæ ferrum aliud applicaretur, sine nouo igne deberet foueri ignis, & durare, quod tamen est contra experientiam; signum ergo est, nec in eâ massâ fuisse ignem, nec in ferro applicato posse eam formam induci, etiamsi in carbonibus accensis verè sit. Inde respondetur ad confirmationem, licet enim quoad visum eodē modo appareat ignis in vtroque, ratio tamen aliunde corrigit sensum, vt in multis aliis exemplis contingit.

103 Fortè dices, ignem indigere pabulo, quod quia non habet in ferro, non potest tam diu conseruari quàm in ligno, quod est pabulum ignis. Aduerte Primò, pabulum nihil aliud esse, quàm materiam quæ conuertatur in ignis substantiam, ergo quandoquidem tu dicis, in ferro induci formam ignis sicut in lignum, ferrum erit pabulum illius, non minùs quàm lignum, ergo ex hac parte ipso ferro augebitur ignis. quod si verum esset, nihil gratius his qui in fodinis ferri, argenti, auri laborant, &c. ipsis enim metallis fouerent ignem, sine tot sumptibus in lignis. Secundò respondeo, nisi dicamus ignem naturâ suâ esse fluidum, id est petere breuî durare, & à se perire (quod valdè probabile puto, vt explicem quomodo in fornace calidissimâ sine vllo contrario statim ignis extinguitur, si non noua materia applice-
104 tur) non potest aliam ob causam petere pabulum, nisi quia à contrariis, quæ illum debellent, circumdatur. Si enim non habeat contraria, & naturâ suâ durans sit, cur indigebit pabulo vt conseruetur? Ergo non magis indiget pabulo in ferro quàm in ligno. Paret consequentia, quia non habet plura contraria quæ illum circumdent, eò quòd sit in ferro, quàm quòd in ligno, nec quia sit in ferro est citiùs corruptibilis; ergo nullum caput speciale magis est in ferro quàm in ligno, cur propter pabulum ibi pereat, hîc vero non. Ex his manent soluta quæ pro contrariâ parte poterant obiici; constat enim, aliis experientiis oppositis sensum esse corrigendum. Cur autem 105
plus ferrum comburat quàm carbo, non potest ad formam ignis reduci, quia etiam eam habet carbo, reducendum ergo ad densitatem materiæ. Solùm illud de luce ferri, prout suprà vrsi argumentum, videtur habere difficultatem. Respondeo tamen, illam propriè non esse lucem, sed colorem quasi aureum aliquantulùm splendicantem, qui potest oriri ex dispositionibus & primis qualitatibus; vel fortè esse aliquas partes ignis, quæ licet non sint per totum ferrum, totum tamen illuminant; vel tandem etiam aliquam lucem oriri posse ab accidentibus aliquibus.

SVBSECTIO SEXTA.

Quid de Quæstione.

PRIMA CONCLVSIO. Possunt de potentiâ absolutâ duæ formæ substantiales vniri simul eidem subiecto. Vix enim sufficienter explicatur, quomodo de facto non dentur simul. Quòd si hoc negatur, præcisè id fit, quia non apparet earum necessitas; in ordine autem ad po- 106
tentiam absolutam, non potest inde id negari. vnde enim duo contradictoria in eâ formarum coëxistentia reperientur? Confirmo id vlteriùs: duo contraria diuinitus simul esse possunt; ergo & duæ formæ substantiales, etiamsi contrariæ essent, & contrarias exigerent dispositiones; multò ergo melius, si oppositæ non sint, sed disparatæ. Quo casu si quælibet ex iis formis vniretur immediatè materiæ, quælibet constitueret vnum compositum per se inadæquatè distinctum ab alio: nam licet materia esset completa per quamlibet ex illis formis, altera tamen forma non vniretur materiæ vt completæ, quia non vniretur materiæ & formæ; neque tunc resultaret ex ente 107
completo & incompleto vnum per se, quia non resultaret ex ligno v. g. & formâ ignis aliquod totum, sed ex materiâ ligni & formâ ignis resultaret ignis, & ex eadem materiâ & formâ ligni resultaret lignum. vnde illa compositа fierent ex entibus incompletis, sicut suprà dixi de personalitate Verbi diuini terminantis humanitatem. Quo casu illa duo compositа solùm futura inadæquatè distincta, est certo certius, quia constarent vnicâ materiâ; quæ cùm sit inadæquata essentia compositi, redderet ea compositа inadæquatè eadem inter se, non tamen ita vt possent inuicem prædicari vnum de alio, quia compositum substantiale dicit in recto materiam & formam, & sicut non posset dici, *materia & forma ignis est materia & forma ligni*, ita nec posset dici, *lignum est ignis*: essent ergo inadæquatè distincta, non tamen inuicem prædicabilia.

Sed obiicies: Etiamsi sola forma sit diuersa 108
specie in homine & equo, tamen absolutè dicitur homo diuersæ speciei ab equo; ergo etiamsi materia esset tunc in illis duobus eadem numero, quia tamen formæ essent numero distinctæ, absolutè deberent ea compositа dici totaliter distincta. Negant aliqui consequentiam, eò quòd di-

uersitas specifica prouenit ex inæqualitate, quę ex quocumque capite resultat: at distinctio numerica prouenit ex distinctione eorum quæ in recto significantur. Sed hæc responsio nulla est, quia possunt esse duæ species diuersæ, omnino tamen æquales, vt in Deo absolutè Pater est diuersus specie à Filio, & tamen est illi omnino æqualis;
109 ergo tunc non habet locum ea solutio. Secundò, falsum est, ad diuersitatem specificam non attendi quid significetur in recto: tam enim non potest dici, designando solum hominem, *hoc album differt specie ab hoc calido*, quia rectum vtriusq; non differt, quàm non potest dici, *hoc album distinguitur ab hoc calido*; ergo eodem modo ad vtramque propositionem consideratur quid in recto significetur. Ratio à priori, quia (vt alibi) semper in omnibus prædicationibus, vel ad affirmãdam identitatem vel negandam, considerandum est quid significetur in recto: & in casu præsenti rem clariùs ostendo. Quando in vnâ materiâ sunt duæ formæ substantiales, constituentes lignum & aurum v.g. rogo, potèstne dici, *hoc aurum est diuersum in specie ab hoc ligno*, an non? Si potest dici, ergo etiam poterit dici distingui numero, quia implicat, aliqua distingui specie, & non distingui numero, quod non consideratunt hi Auctores.
110 Si verò non potest dici distingui specie, ergo iam tua doctrina, quòd scilicet diuersitas specifica desumatur ab inæqualitate, & quòd inæqualitas ab vnâ parte solâ proueniat, falsa est, quia hîc est vna pars inæqualis, & tamen non potest dici, *hoc aurum est diuersum in specie à ligno*. Obiectioni ergo respondeo, concedendo, absolutè posse dici distingui numero, sicut absolutè dicitur distingui specie; ad quod sufficit, vnam partem ex his quæ dicuntur in recto, esse distinctam ab aliâ, sicut absolutè dicitur homo distingui ab animâ. quibus verbis non distinctionem adæquatam sed inadæquatam significamus. Et idem est de diuersitate specificâ inter hominem & animal, physicè enim specie inadæquatâ tantùm differunt; nec aliud significatur communi modo loquendi. Vn-
111 de quando posteà additur, *differt adæquatè*, vel *distinguitur adæquatè*, neganda est consequentia ratione illius vocis *adæquatè*.

SECVNDA CONCLVSIO. Quod attinet ad potentiam ordinariam, non reperio efficacem rationem, quâ probetur, repugnare simul materiæ duas formas substantiales non exigentes contrarias dispositiones. Posse autem duas formas substantiales diuersas reperiri sine contrariis dispositionibus, videtur manifestum: nam sicut forma ferri non opponitur calori ferè in summo, vt patet in ferro candenti, nec tamen illum propè summum calorem exigit; item forma ignis, etsi requirat summum calorem, quia tamen requirit qualitatem aliam, quam quia non inuenit in ferro, non potest in illud introduci, cur
112 non poterit esse alia forma substantialis, media inter formam ignis & ferri, quæ differat à ferro, eò quòd exigat propè summum calorem, quem non exigit ferrum, & vlteriùs conueniret cum ferro in exigentiâ eius qualitatis, quam non exigit forma ignis? Ecce ergo, illa forma non exigeret dispositiones contrarias ferro, sed diuersas & compossibiles in eadem materiâ; ergo & ipsæ formæ substantiales compossibiles essent in eâ materiâ. Idem est in aquâ feruenti, cuius calor non destruit substantiam aquæ; cur ergo non posset simul cum eâ formâ aquæ esse alia forma substantialis exigens eum calorem aquæ, quem non exigit forma aquæ, qui tamen non ideò sufficeret ad expellendam formam aquæ, vt de facto eam non expellit?

Dicunt aliqui, materiam non posse esse in du- 113
plici specie. Sed de hoc est difficultas, cur, sicut potest esse in duplici specie accidentali v.g. albæ & calidæ, vel quantæ, non etiam posset esse in duplici specie substantiali inadæquatâ, iuxta præcedentem doctrinam. certè hic supponitur, non probatur ea repugnantia.

Nihilominùs non est recedendum à communi sententiâ, negante posse materiam naturaliter duas formas substantiales simul recipere. Huius autem ratio non est desumenda ex contrarietate dispositionum, quia hæc euidenter suprà impugnata est, sed ex incapacitate materiæ, ratione suæ virtutis limitatæ, quæ non potest duas formas substantiales, quæ maximam dicunt perfectionem, simul sustinere. Potest autem plures acci- 114
dentales, quia hæ non requirunt tantam virtutem, vt sustententur, quantam substantiales, quare ad has ex illis non potest argumentum deduci.

Sed contrà vrgebis: Multæ formæ accidentales fortè sunt tam perfectæ, quàm aliquæ substantiales ex imperfectioribus, & tamen materia potest simul duas tales accidentales habere; ergo & poterit etiam simul duas substãtiales. Respondeo tamen, quidquid sit de Antecedenti, negando consequentiam, quia forma substantialis etsi fortè imperfectior quàm aliqua accidentalis, trahit tamen secum multas alias dispositiones & accidentia, ratione quorum petit in materiâ maiores
vires, quàm duæ formæ accidentales. Secundò 115
potest dici, non solùm ex perfectione maiori formæ substantialis, sed ex tali essentiâ propriâ illarum prouenire, vt simul duæ substantiales esse non possint, licet possint duæ accidentales etiam perfectiores.

Quòd si roges, vnde cognouerim, materiam habere talem limitationem; Respondeo Primò, ex communi consensu Philosophorum. Secundò, quia nulla est experientia, quæ suadeat materiam habere vel posse habere duas tales formas: vnde non debemus sine fundamento ei virtutem eas simul sustentandi concedere. Neque efficacior mihi iam huius sententiæ probatio occurrit: valeat quantum potest.

SECTIO VII.

Quo influxu indigeant contraria, aut duæ formæ substantiales incompossibiles naturaliter, vt diuinitus simul conseruentur.

QVÆSTIONEM hanc non mouissem (res enim est valdè clara, & Auctores de veritate illius concordant inter se) nisi casu incidissem in recentiorem quemdam, qui in materiâ de Charitate agens suppresso nomine cõtra P. Suarezium, occasione oppositionis peccati cum Charitate, conatur fusè probare, contraria non posse eodem influxu quoad substantiam simul conseruari, sed necessariò debere Deum fortiorem influxum adhibere; additque, excepto Suarezio & paucis aliis,

aliis, omnes ita sentire. Vnde infert, si semel concedatur peccatum & gratiam ex naturâ rei inter se pugnare, non posse nec diuinitus cohærere: quia non potest Deus peccatum fortiori influxu conseruare. Eius fundamenta inferiùs conuellam.

SVBSECTIO PRIMA.

Vera sententia.

CONCLVSIO ergo sit vniuersalis: Quandocumque in actione aliquâ miraculosâ Deus non supplet defectum alicuius causæ creatæ, non est opus influxu fortiori, &, vt dici solet, supernaturali quoad substantiam, sed solùm vt illum influxum conseruet & det quando causæ naturales exigebant, ne ille esset, sed potiùs carentia illius. In hac Conclusione conueniunt omnes Philosophi quotquot vidi (excepto hoc contra quem iam ago) tam in manuscriptis quàm in impressis: item & Theologi, qui agentes, an accidentia in Eucharistiâ conseruentur à Deo fortiori influxu quàm anteà, non aliam reddunt rationẽ, quàm quia Deus supplet concursum materiæ. Vnde P. Lessius, qui eum concursum materialem negat, eo ipso dicit eodem concursu quo anteà illa conseruari, esseque quoad modum præcisè supernaturalem. Vnde valdè miror, hos Auctores pauculis tantùm tribuisse nostram sententiam.

In hac Conclusione includitur alia particularis, scilicet, contraria, quando simul conseruantur, eodem influxu quoad substantiam à Deo conseruari, quo quando sola: nam per hoc, quòd simul Deus cum frigore conseruet calorem, nulla causa creata caloris perit, cuius Deus influxum teneatur supplere. Iam ergo simul vtramque Conclusionem, & vniuersalem & particularem, probo hac vnâ ratione euidenti. Et ne confundamur, oportet aduertere, nos hîc posse loqui vel de concursu in actu primo, vel de concursu actuali seu in actu secundo: deinde, vel in sententiâ, actum hunc secũdum distinguente ab ipso effectu, quam ego verissimam esse alibi ostendi; vel in sententiâ, eum identificante cum effectu ipso, vt eum identificat Auctor quem impugno. Hoc posito, priùs agam de concursu in actu primo: in quo admitto libentissimè huic Auctori, non sufficere eamdem virtutem in causâ ad conseruandum frigus præsente calore, quæ sufficeret in absentiâ; sicut non sufficiunt eædem vires ad trahendum pondus resistente altero, quæ sufficerent nullo resistente. Et si hoc solum voluisset hic Auctor, essemus contenti. Ratio huius est manifesta, quia præsente contrario duo facit causa; & effectum producere, quod anteà præstabat; & resistere contrario, quod anteà non præstabat, & ratione huius requirit nouas vires. vnde fit, vt causæ creatæ impediantur contrariis aduenientibus. Hæc autem ratio non probat de ipsâ actione: illâ enim manente, cùm sit, vt dicemus, adæquata & actualis conseruatio, debet etiam manere effectus; actio enim non resistit contrario, sed causa illius. vnde ratio facta probat tantùm præcisè, causam debere vel cessare ab actione, quia amplius non potest, vt faciunt causæ secundæ; vel si nolit cessare, debere resistere etiam contrario, quod facit Deus, non quidem dando fortiorem actionem, sed vtendo suâ potentiâ supernaturali, vt teneat antiquam, non annuendo exigentiæ eius contrarij, & in hoc sensu infringendo leges illius. Et hoc est totum mysterium huius conseruationis; & fortè Auctor, etsi videatur de actuali concursu locutus, solùm cogitabat de hoc in actu primo.

Si verò de concursu in actu secundo sermo sit, in sententiâ eum identificante realiter cum effectu, tam est certum posse manere effectum cum eodem concursu quo anteà, vt dubitare non liceat. Si enim effectus & concursus in actu secundo est, ergo, manente eodem concursu, manebit idem effectus; quia, quæ sunt eadem realiter, non possunt nec diuinitus separari. Vnde cùm hic Auctor concursum in actu secundo non distinguat, magnâ est consideratione dignum, eum fecisse argumenta statim ponenda, ad probandum concursus fortioris maiorem necessitatem: quæ omnia in actuali concursu præcisè habent vim. vbi planè implicat maior fortitudo, quia nihil est seipso fortius.

In sententiâ autem nostra, eum concursum distinguente, etiam clarissimè ostenditur intentum: nam effectus ille priùs sufficienter conseruabatur influxu A v. g. ergo & posteà. Probo euidenter: quia non est facta entitas illius grauior aut perfectior, vt indigeat iam fortiori concursu, sed in se omnino eadem manet; ergo si duret idem concursus, eam etiam conseruabit: sicut si duret eadem cognitio quæ anteà, repugnat, vt si anteà erat adæquata obiecto, iam non sit, nisi ipsum obiectum sit iam in se aliud. Posse autem eumdem concursum durare, patet: quia nulla causa, à quâ ille concursus procedebat, ablata est; nam calor anteà solùm conseruabatur à Deo & à materiâ primâ, vel, si vis cum his Auctoribus, etiam inadæquatè à se ipso: at per aduentum frigoris nulla ex his causis ablata est, vt ex se patet, ergo, &c.

Respondebis fortè Primò, iam esse aliqua contraria, quæ trahunt quasi deorsum calorem; Vnde non potest conseruari, nisi maiori conatu quàm anteà: vis enim, quæ nullo trahente sufficit vt manu teneam baculum, non sufficit, si quis vi eum mihi velit rapere. Sed contrà euidenter, quia frigus contrarium superueniens nihil aliud efficit, quàm petere, ne ibi sit calor: non enim ipsum erat causa conseruans calorem, nec ex aduentu illius aliqua causa periit; ergo si Deus, non obstante illâ petitione nolit cessare, sed retinere eamdem actionem, proculdubiò retinebit per illam ipsum effectum. Et hoc ipsum probo, retorquendo exemplum allatum: nam si quis eamdem compressionem manus retineat quam anteà, etiamsi totus mundus in contrariũ conetur, non ei extrahent ex manu pomum v. g. quia hoc durante eâ compressione exire non potest è manu; ergo si duret actio quâ conseruabatur priùs calor, quantumuis totus mundus resistat, durabit calor, quia hic adæquatè ponitur extra causas per eam actionem. Fateor, aduentum contrariorum efficere, vt Deus miraculosam habeat voluntatem circa conseruationem eius actionis, vt dixi suprà: verùm vt ipsa actio fortior sit, hoc non facit, sicut in exemplo posito vis trahentium facit, vt ego specialiter debeam velle tenere manum, nec aperire, etiamsi alij conen-

tur, quâ speciali voluntate non fuit opus anteà, quando nullus me trudebat. Nec vllus dicet, quando ego impellor à puero v. g. & nolo illi cedere, quòd tunc diuersa vbicatio aut per diuersam actionem à me producatur : maneo enim immotus, & per volitionem meam resistendi illi resisto, suppositâ meâ potentiâ resistitiuâ. Quòd si in me aliquid præuium requiritur, quia fortè voluntas mea debet aliquid ad extra operari, in Deo tamen id non habet locum : ipso enim nolente cessare à productione, etiamsi id petant contraria, non tamen cogetur cessare ; nec necessum est, vt priùs aliquid producat, multò minùs vt actionem ipsam in se immutet. Et, vt dixi in primâ parte responsionis, arguit hoc maiores vires in causâ, non verò in effectu ipso positiuo aut actione illius.

Respondebis Secundò, actionem eamdem in vnâ circumstantiâ esse sufficientem, in aliâ verò non pro eodem effectu. Sed contrà, quia hoc planè improbabiliter dicitur : cùm enim actio sit actualis productio, non potest esse indifferens, vt producat & non producat effectum. Sed eo ipso quòd existat, necessariò producit ; illæ autem circumstantiæ poterant quidem petere ne existat ea actio, at si ea semel existat, non potest exigere ne sit adæquata, vt per se patet, quia id habet ex naturâ suâ ; & effectus, vt dixi, non est in se factus nobilior aut diuersus. Videamus iam quid hi afferant, inde enim roborabitur ampliùs nostra sententia.

SVBSECTIO SECVNDA.

Oppositа argumenta soluta.

PRIMO ergo dicunt : Si calor non debeat tunc conseruari fortiori influxu, ergo non conseruatur supernaturaliter, sed naturalissimè, quod est contra suppositum. Si dicas, etiam conseruari supernaturaliter quoad modum, quatenus eius conseruatio est contra exigentiam frigoris, tunc insurgunt : Calor non curat quid petat frigus, vel quid non, aut è contrario ; alioquin cùm corpus frigidissimum & magnum applicatur exiguo igni, conseruatio illius frigoris erit supernaturalis, quia est contra exigentiam caloris introducendi. Secundò insurgunt : Quia inde sequeretur, vnum corpus non habere maiores vires agendi aut resistendi, quàm aliud, sed totum id in Dei voluntates reuocandum. si enim Deus æqualiter pergat conseruando contrarium, æqualiter omnia resistent vel agent.

Hoc argumentum nullum planè est. Et quidem patitur infinitas instantias : nam restitutio visus cæco in omnium sententiâ potest fieri eodem influxu, quo anteà cõseruabatur visus, & tamen est supernaturalis quoad modum. Item materia prima potest in aduersariorum sententiâ diuinitus conseruari eodem influxu sine formâ, & tamen miraculosè conseruaretur. Et homini potest Deus dare duo vbi per eamdem actionem quoad substantiam, quâ si tantùm haberet quodlibet ex illis ; & essentias sine passionibus, eodem modo potest conseruare. Ergo conseruatio miraculosa non petit actionem quoad substantiam supernaturalem. Replicæ autem superiùs factæ non vrgent : quia licet calor non curet quid frigus petat, Deus tamen, qui est auctor naturalis, curat quid petat frigus ; & quia hoc naturâ suâ expellit calorem, Deus eius exigentiæ se accommodans vt auctor naturalis, cessat à caloris conseruatione. Quod si non faciat, facit miraculum contra exigentiam frigoris. Quid hoc clarius esse potest? Adde, posse dici etiam facere contra exigentiam ipsius caloris : sicut si produceret animam in corpore nondum præparato, sine dubio id facere posset eadem actione quoad substantiam, esset tamen contra exigentiam ipsius animæ, quæ petit ex suâ essentiâ, non produci nisi præuiis dispositionibus. Ita calor non petit produci nisi destruendum sit frigus : quod si non fiat, fit contra exigentiam caloris.

Quod de corpore valdè frigido applicato leui igni affertur, minùs vrget : non enim calor producendus cras, petit ne hodie sit frigus, id enim solùm exigit calor iam productus in passo, & quidem priùs naturâ quàm expellatur frigus ; dixi enim alibi, priorem esse naturâ generationem corruptione.

Secundum absurdum illatum eadem facilitate reiicitur : nego enim, sequi ex hac sententiâ magis quàm ex oppositâ, vnum agens non esse potentius alio. Dico enim, illud esse potentius, quod congrediens cum alio habet vim producendi plures gradus in altero, quàm hoc in illo : positâ autem hac vi quæ est intrinseca, naturaliter sequitur destructio plurium graduum ex præcedentibus in passo debiliori, quia Deus ad fortiorem huius actionem tenetur destruere plura, modo paulò antè dicto.

Malè autem opinantur hi, conseruationem præcedentium graduum esse antecedentem ad actionem, & eam à solâ Dei voluntate pendere. Vtrumque enim falsum est : nam, vt dixi, prior naturâ est generatio corruptione. Deinde, ea corruptio fit iuxta debitum naturæ, licet immediatè efficienter adæquatè fiat à Deo suspendente actionem.

Dixi verò, eamdem esse difficultatem in aduersâ sententiâ. Nam siue forma egeat maiori influxu, siue non (cùm ipsi admittant, illum maiorem influxum posse à Deo diuinitus saltem præstari) tenentur semper dicere, ex Dei voluntate prouenire, quòd ea forma corrupta fuerit, quia noluit adhibere maiorem conatum prout poterat. Hoc ergo quod illi dicent de maiori conatu, dico ego de conseruatione antiqui. Sumus ergo planè, quoad hoc, in eadem naui, imò & tabulâ.

Adde, quòd ad præsentiam ignis fortioris non possit frigus conseruari cum antiquo influxu (vt ipsi dicunt) reuocandum etiam esse planè in exigentiam caloris petentis vehementer absentiam frigoris. Sicut ergo id reducunt in naturam caloris, petentis ne sufficiat antiquus concursus ; ita ego id reduco in naturam, petentem non quidem ne antiquus concursus sufficiat, quia hoc (vt dixi suprà) repugnat, sed petentem ne maneat antiquus, & sic tandem, vt pereat ipsum frigus. Vides nos iterùm in eadem tabulâ de exigentiâ ex parte caloris agentis aut intrantis, de quo iam non curo.

Hinc soluuntur ceteræ obiectiones, quas Auctor ponit, similes secundæ, quòd scilicet tam facilè possit frigus produci in passo habente calorem,

lorem, quàm in non habente, si in eodem vtraque actione fit. Respondetur, negando sequelam, quia calor passi resistit formaliter, quod siue frigus eadem siue diuersâ actione producendum sit, eodem modo ab omnibus debet defendi.

Tertia: Quòd si cacabus vacuus valdè calidus ab igne repleatur repentè aquâ frigidissimâ, deberet retinere calorem cum frigore, quia est ibi causa conseruans vtrumque accidens. Verùm hæc obiectio est iam in præcedentibus soluta, estque vtrique parti communis: independenter enim ab hac quæstione de influxu eodem vel maiori, videndum est, quod sit agens fortius in eo casu, an aqua, an ignis. Si aqua, producet frigus, & tunc ob repugnantiam cessabit causa à conseruatione caloris: si verò ignis sit potentior, conseruabit calorem, & sic impediet frigoris productionem. Nec ad hoc video quid iuuet cacabus aut olla.

Dices: Sed quod esset inconmodum, si simul esset calor & frigus, vt propterea debeat Deus vnum in præsentiâ alterius destruere? Verùm retorqueo argumentum: Si nullum est inconueniens, dicat mihi, cur vnum non potest cum antiquo influxu conseruari præsente altero?

Respondebis: Quia id habet ex naturâ suâ. Idem ego dico: quia ex naturâ suâ petit re alterum sit, ideò Deus naturali exigentiæ satisfaciens id expellit. Similiter, quod inconueniens esset, si Deus per duas actiones naturales, quas successiuè habere possum, daret mihi simul vbicationem hîc & in spatio vicino? & quod est, cur acquisitâ vnâ, debeo alteram amittere? Certè nisi in limitatam virtutem subiecti & exigentiam tantùm vnius vbicationis non poteris id refundere. Hoc autem ipsum rectè applicatur puncto præsenti.

Tandem obiicies: Ergo non difficiliùs conseruantur frigus & calor vt octo in eodem subiecto, quàm albedo & dulcedo, quia illa duo conseruantur actione quoad substantiam naturali sicut hæc. Verùm ista obiectio iam est soluta. nam licet quoad substantiam non sit diuersitas in actione, est tamen quoad modum, iuxta paulò antè dicta. Cetera, quæ occasione huius difficultatis de oppositione gratiæ & peccati tanguntur, alibi discutientur Deo dante.

DISPVTATIO QVARTA.

De vnione Materiæ & Formæ.

SECTIO I.

An vnio distinguatur ab vtroque extremo.

SVBSECTIO PRIMA.

Vnio distinguitur ab vtroque extremo.

1 VNIO dicitur nexus ille, quo ex duabus rebus, v. g. ex materiâ & formâ, resultat vnum compositum, homo, leo, &c. & de hac inquirimus in præsenti, vtrùm sit entitas distincta ab vtroque extremo, scilicet ab animâ & corpore. Sed priùs aduerte, quæstionem hanc solùm esse inter ea extrema, quæ separari possunt mutuò saltem de potentiâ absolutâ: nam quando aliqua forma ita est connexa cum materiâ, vel cum alio subiecto, vt nec de potentiâ absolutâ possit esse sine illo, indubitatum videtur vniri cum illo per se ipsam sine nexu intermedio.

Gregorius cum Nominalibus reliquis apud Hurtadum Disputatione 5. §. 6. & plures Thomistæ negant distinctionem vnionis à materiâ & formâ, dicuntque, formam esse vnitam materiæ, nihil aliud esse quàm formam prout in mate-
2 riâ. Contraria tamen sententia est tenenda cum P. Suarezio suprà sectione 6. Vasquez Tomo 1. in 3. Partem, disput. 19. num. 23. & disput. 13. cap. 3. & Hurtado suprà §. 5. & recentioribus communiter, quæ hac euidenti ratione suadetur. Quando duæ res inuicem possunt separari saltem de potentiâ absolutâ, euidens est, eas esse distinctas, quia nihil potest à se ipso separari: at possunt esse realiter materia & forma substantialis in rerum naturâ, & tamen non inter se vnitæ; ergo hoc quod est esse vnitas, aliquid est realiter ab illis distinctum. Maior & consequentia sunt euidentes. Minor probatur, quia de facto modò existit in rerum naturâ materia prima D. Petri, & 3
eius anima, & tamen de facto non sunt vnitæ, alioquin constituerent hominem; ergo hoc quod est illas esse vnitas, potest separari ab illis. Idem est de materiâ & formis materialibus, quas diximus Disputatione 111. Sectione 4. posse saltem de potentiâ absolutâ conseruari sine vnione ad materiam, nihil autem nec diuinitus potest separari ab eo, à quo non distinguitur. Respondebis Primò, hoc quod est materiam esse vnitam formæ, non distingui ab vtraque simul sumptâ. Sed contrà, quia si per *simul sumptâ* intelligas simul existentes, falsum est, non distingui vnionem ab vtraque etiam simul sumptâ: nam, vt dictum est, modò simul existunt in rerum naturâ & materia D. Petri & eius anima sine vllâ vnione, ergo. Si verò per *simul sumptâ* intelligas idem
4 ac vnitas, de hoc est argumentum; fateor enim, vnionem non distingui ab vtraque parte vt vnitâ; verùm vtramque esse vnitam, distinguitur ab vtriusque entitate, siquidem potest ab illâ separari. Respondebis Secundò, vnionem materiæ & formæ non distingui à materiâ prout in formâ, & à formâ prout in materiâ. Sed contrà, quia *vt prout in materiâ* aliquid est distinctum ab ipsâ materiâ & formâ secundùm se, nam vtraque potest esse in rerum naturâ, & vna non prout in aliâ, ergo & vnio, quæ consistit in illo modo essendi, *prout in materia*, erit distincta ab ipsâ materiâ & formâ. Quia verò hîc iam incipimus probare distinctionem modorum contra Nominales, & nonnullos parcos Philosophos recentes, velim

5 vt hoc aduertas (ne necessum sit in similibus quæstionibus id repetere) tales Auctores argumenti facti vi oppressos, ne cogantur admittere nouam entitatem, quam nos contendimus probare. recurrere ad nouas phrases, v.g. in argumento facto: Vnio est aliquid separabile ab vtroque extremo, ergo est aliquid distinctum. Respondent, id consistere in eo, quòd vtrumque extremum sit simul. Vrgentur: Esse simul, est aliquid ab vtroque separabile, quid ergo illud est? Respondent, Forma prout in materia. Rogo rursus, Quid hoc? Respondent, formam informare materiam; & sic toties nouis terminis & vocibus respondent, quousque iterùm redeant ad priores terminos, & sic semper in circulo versantur: quid autem velint dicere, ego sanè numquam potui percipere, dubito an facilè ab aliquo
6 percipi possit. Ergo astutè contra tales hoc modo oportet argumentari, vt omnia illa nomina, vel phrases, quibus deludunt, simul accipias (ne relinquas illis locum ab vno ad aliud perpetuò saltandi) & de illis simul ita acceptis, roges, an omnia illa significent ex parte obiecti entitatem aliquam realem, an non. Si significant, habes intentum, quia illa est modus quem tu intendis. Si dicant, nihil ex parte obiecti reale per ea nomina & phrases significari, ergo debent fateri, se finxisse, vel quæsiuisse in Calepino aut Nizolio ea omnia ferè synonyma & phrases illas ad significandum nihil, & eludendam veritatem Philosophicam, quæ non consistit in multiplicitate
7 verborum. Quod adeò verum puto, vt si ab aduersariis vel hæc sola ratio sedato animo & ad veritatem recipiendam parato considereretur, ex hoc solo capite suæ opinionis falsitatem aduerterent. Id aliqualiter clariùs infrà constabit agendo de Actione, de Vbi, Dilatione, &c.

Secundò argui potest, ad probandam eam distinctionem vnionis: Quia in generatione hominis datur propria & rigorosa actio generatiua, ergo aliquid per illam producitur: non materia, neque forma rationalis, quia hæ producuntur per creationem, & sæpè iam supponuntur productæ, vt contingit in resurrectione mortuorum; ergo debet produci vnio vtriusque partis, ergo
8 hæc est distincta ab vtraque parte. Arbitror, hoc argumentum non esse distinctum à præcedenti, quia in tantum dicimus in generatione hominis dari veram actionem distinctam ab actione materiæ & formæ, in quantum datur ibi aliquid de nouo realiter distinctum à partibus, scilicet eas esse vnitas inter se, quod potest separari realiter ab illis. Nam si semel negetur id esse quid distinctum, sine nouo absurdo negabitur actio distincta à productione materiæ & formæ, & eodem modo respondebunt aduersarij, eam generationem terminari ad formam prout in materia, &c. sicut suprà dicebant, dum vrgerentur quid esset eas esse vnitas. Solùm ergo erit vnicum, sed satis efficax pro hac sententia fundamentum ex separabilitate desumptum.

9 Aduerte, argumento à nobis facto probari, distinctionem vnionis à partibus esse realem; quia, quæ realiter separantur, realiter distinguuntur. Quod aduerto, ne quis censeat, per solam distinctionem virtualem posse intelligi hanc separationem vnionis à partibus, tum quia in creatis non datur distinctio virtualis in ordine ad duo prædicata contradictoria, vt ostendi Disputatione v. Logicæ, Sectione 2. tum quia, etsi daretur ea distinctio virtualis in ordine ad aliqua prædicata contradictoria, qualia sunt cognosci & non cognosci, videri & non videri; nullus tamen dixit eam dari in ordine ad existendum & non existendum in rerum naturâ, secundùm diuersas formalitates, quia neque in diuinis quoad hoc talis distinctio concedi potest, etiamsi ibi sit in ordine ad alia prædicata. Ratio verò est, quia vnum pos- 10
se ab alio separari realiter, est euidens indicium distinctionis realis.

Aduerte Secundò, etsi hæc distinctio, vt ostensum est, in re sit realis, nec minor quàm inter Petrum & Paulum, non tamen dici absolutè realem, sed modalem, quia vnio est modus partium, pendens essentialiter in esse & conseruari ab ipsis partibus, vt statim dicemus, illa autem distinctio vocatur modalis ab vno extremo, qui est modus.

Hinc infero Primò, ob eamdem rationem distinguendam esse vnionem humanitatis Christi cum Verbo diuino ab vtroque extremo: quia vtrumque posset esse simul, & tamen vnum non esse alteri vnitum, vt contingeret, casu quo Deus non assumpsisset eam humanitatem. Imò fortè 11
hîc res est clarior quàm in humanis, quia non potest recurri ibi ad præsentiam localem, hanc enim Deus necessariò habet cum omni humanitate, & tamen illi non vnitur; neque ad dispositiones physicas, tum quia nullæ sunt à quibus pendeat Verbi vnio, tum quia nullæ sunt ex quibus ea vnio necessariò inferatur.

Infero Secundò, vnionem non solùm distinctam esse à materiâ & animâ rationali, sed etiam ab actione quâ vtraque producitur: quia potest manere materia & forma cum eâ actione, & tamen non vnita, ergo.

SVBSECTIO SECVNDA.

Vnio distinguitur à præsentiâ locali & dispositionibus.

NON defuêre alij, nimiùm auidi omnes negandi modos, qui, pressi argumentis suprà factis, dixêre vnionem quidem distingui ab vtroque extremo, eam tamen cõsistere in dispositionibus, & approximatione formæ ad materiam; neque esse necessarium vllum alium modum vnionis superadditum. Ego in his Auctoribus non possum satis mirari, quod cùm omnes modos distinctos negent, quando in vno loco premuntur argumento suprà facto, tunc recurrant ad materiam aliam, quasi in eâ modum distinctum admitterent. Sic iam hîc oppressi dicunt, vnionem 12
esse quidem distinctam ab vtroque: id autem declarantes, dicunt vlteriùs, id distinctum esse intimam præsentiam localem: quando verò ad præsentiam localem venitur, dicunt etiam illam nihil esse distinctum: quando rursus inquirunt quid sit distinctum, quod addit duplex præsentia localis, casu quo corpus duobus in locis ponatur, dicunt esse duplicem actionem Dei; nec, nisi res per duplicem actionem producatur, putant repugnare eam poni in duobus locis: rogari verò tandem quid sit actio illa duplex Dei, dicunt nihil esse à Deo & effectu distinctum. Videas ergo

vel

vel hinc euidenter huius sententiæ falsitatem, quæ in vno casu affirmat quod posteà negat, & semper ab vnis in alias latebras confugit, nihil tandem fixum, cui inniti possimus, assignans.

13 Sit ergo Prima impugnatio huius sententiæ: Illa præsentia localis, in quâ dicis consistere vnionem, nihil est in tuâ sententiâ distinctum, ergo malè hîc explicas illud distinctum per eam præsentiam. Secundò: Quia præsentia localis mutatur, quoties homo mouetur, etiamsi anima maneat intra corpus, de quo fusiùs infrà: quis autem dicet, vnionem substantialem tunc mutari? Quoad alias verò dispositiones idem probo euidenter, quia mors hominis est corruptio substantialis, vt ipsi fatentur, ergo aliquid substantiale perit: atqui in hac sententiâ, quam impugno, nihil substantiale perit, ergo non est corruptio substantialis. Probo euidenter consequentiam, quia actio & corruptio dicuntur substantiales à termino substantiali producto aut destructo, ergo si nullus terminus substantialis perit, aut producitur, non potest actio substantialis esse. Probo autem Minorem euidenter; quia homo dicit animam, materiam, & vnionem, & nihil ampliùs:
14 atqui anima & materia, quæ solæ sunt substantiæ, non corrumpuntur, dispositiones autem, quę sunt vnio, & solæ corrumpuntur, non sunt substantia; ergo nihil substantiale corrumpitur.

Respondebis fortè Primò, vnionem etiam esse substantiam, quia non in solis dispositionibus consistit, sed in illis & in materiâ & formâ. Sed contrà, quia hæc responsio non est ad rem: nam vnio, quâ parte est idem cum materiâ & formâ, etiamsi sit substantia, non tamen vllo modo corrumpitur, ergo vt aliquid substantiale corrumpatur, parum iuuat, materiam & formam esse inadæquatas vniones.

Respondebis Secundò, in eo casu corrumpi hominem qui est substantia, corrumpitur enim totum compositum. Sed contrà euidenter, quia homo in tuâ sententiâ duo dicit, vnum quod est substantia, scilicet partes materiam & formam; aliud verò, quod est accidens, scilicet dispositio-
15 nes: homo secundùm illud primum non perit, sed solùm secundùm dispositiones, quæ non sunt substantia; ergo non perit aliquid substantiale, sed solùm accidentale.

Respondebis Tertiò: Non solùm pereunt dispositiones, sed etiam ipse homo, seu ipsum totum. Sed contrà, quia licet dicatur etiam homo periisse, re tamen verâ hominem periisse non est aliud quàm vnum aliquid, quod essentialiter includebat homo, periisse, & inde denominari ipsum hominem periisse: debent enim hi Auctores, & quotquot nolunt terminis rem confundere, distinguere in similibus casibus terminum, qui propriè & formaliter periit, & terminum denominatiuum. Denominatiuus terminus est ipsum totum, formalis verò est pars illa, aut illud
16 aliquid essentiale requisitum, quod propriè perit, & ex quo dicitur etiam totum ipsum periisse. sic dum dicitur periisse album, non dicitur periisse totum quod album dicebat, sed aliquid, albedo scilicet, aut vnio. Iam ergo hinc sic argumentor: Terminus formalis, qui solus in hoc casu periit, est vnio seu dispositiones quæ sunt accidentales, ergo solùm fuit destructio accidentalis. Probo euidenter, quia actio denominatur à termino formali, aliàs productio gratiæ in animâ, quia habet pro termino totali gratum in quo includitur substantia rationalis, deberet esse actio substantialis, quod à nemine conceditur.

Secundò sic argumentor: Ex hac sententiâ sequitur euidenter, hominem non esse totum substantiale & per se, eò quòd in suo conceptu essentiali includit formaliter accidentia. Respondent hi, totum dici substantiale à partibus, non ab vnione. Sed hæc solutio Primò euidenter reiicitur, quia tam essentiale est toti vnio, quàm partes, 17
nec est in hoc excogitabilis differentia, imò totum denominatur generatum non à partibus, sed ab vnione; ergo etiam debet dici accidentale ab ipsâ vnione. Ratio est, quia totum vt totum constituitur per vnionem, vnde eodem modo, quo est vnio, denominatur totum. Sic licet lapides sint substantia, & illi soli sint partes in aceruo ipsorum, non tamen dicitur totum illud substantiale, & per se, sed per accidens; quia vnio est per accidens. sic exercitus est etiam vnum per accidens, (licet partes sint aliquid substantiale) quia vnio est aliquid accidentale.

Dices, vnum lapidem non dicere ordinem per se ad alium, sicut dicit materia ad formam, & hæc ad materiam, vt ad se mutuò perficientia. Sed 18
contrà euidenter, quia quidquid sit de capacitate ad se perficiendum, certè actu non se perficiunt, nisi accidentaliter mediis accidentibus; ergo actu non constituunt nisi totum per accidens. Imò est repugnantia in terminis, dum dicis, habere capacitatem ad vnionem per se, & perfectionem per se, nam hæc capacitas est ad perfectionem actualem; ergo cùm perfectio actualis sint ipsa accidentia sola, non potest esse capacitas ad vnionem per se, sed ad vnionem per accidens, & eodem modo ad informationem etiam per accidens. Secundò solutionem impugno: quia rogo, Vnde infers, calorem non esse partem hominis, quandoquidem tàm sine eo non potest per te esse homo, quàm sine animâ? vel da mihi vnam definitionem partis, quæ conueniat materiæ & formæ, non verò calori. Cùm enim calor sit entitas ab- 19
soluta, est etiam pars; nos enim vnionem ideò non dicimus partem, quia est essentialiter actualis nexus: at hoc non habet calor, neque aliæ dispositiones secundùm se, ergo tam erunt partes, quàm ipsa materia; & consequenter, etiamsi à solis partibus denominatio substantialis desumatur, non erit homo dicendus ens substantiale, quia includit accidentia, sed accidentale, sicut album non est totum substantiale, etiamsi includat vnam partem substantialem.

Vrgetur hoc argumentum ex communi Phi- 20
losophorũ consensu: omnes enim dicunt, dispositiones esse extra essentiam rei, vnde semper est receptum principium inter omnes, solùm naturaliter eas requiri; diuinitus verò posse esse totum substantiale sine dispositionibus, & has posse esse sine toto; ergo illæ non sunt vllo modo aliquid constituens essentiam compositi.

Verùm ne isti dicant, se non curare quid alij Philosophi docuerint, sic à ratione argumentor, ostendendo benè id à Philosophis doctum: Quia potest Deus diuinitus B. Petri corpus v. g. disponere omnibus accidentibus necessariis ad vitam, nec tamen ideò anima erit vnita ei corpori, sed poterit ipsa manere in cælo.

Respondebis, in hoc casu non dari approximationem quam tu requiris. Sed contrà, quia per te hæc approximatio nihil est; ergo iam ex hac parte non poteris explicare, quare tunc non sit realiter homo in rerũ naturâ: recurrere autem ad negationem corporis interiecti, vt constituatur homo, est planè ridiculum, quia homo non est ea negatio neque partialiter.

21 Secundò idem vrgeo: Quia etiam potest exsistere simul cum eis dispositionibus & penetratione anima, nec tamen ideò erit homo necessariò; ergo adhuc ab omnibus illis simul sumptis vnio distinguitur. Consequentia est euidens. Antecedens probatur, quia de facto anima Christi Domini fuit penetrata in natiuitate cum materiâ primâ B. Virginis, dispositâ ad recipiendam animam rationalem, & tamen non fuit vnita substantialiter cum corpore B. Virginis (& idem est, casu quo diuinitus duo homines penetrarentur, quod fieri posse sine eo quòd animæ vniantur eidem materiæ, est manifestum) ergo animam esse
22 vnitam corpori, non est idem quod esse penetratam cum corpore iam dispositò; ergo aliquid aliud, prout contendo. vtraque consequentia est euidens. Antecedens quoad penetrationem animæ Christi Domini, est de Fide; quoad alia verò res est philosophicè certa, nam ea penetratio non facit vnum per se.

Respondebis, tunc non vniri eam animam cum illâ materiâ, quia pro hac vnione petit tamquam conditionem, ne ea materia sit alteri vnita. Sed contrà euidenter: quia si vnio formaliter consistit in eâ penetratione simul cum aliis dispositionibus, ergo tunc vel vtraque anima erit vnita, vel neutra. Probo euidenter: quia tam est materia dispositа ad vnam formam, quàm ad aliam; tam etiam vna est intra materiam, quàm alia; tam vna non habet negationem præsentiæ alterius, quàm altera; ergo vel neutra, vel vtraque vnie-
23 tur. Neque potest hîc recurri ad Deum vt ad determinantem: nam non est in voluntate Dei, determinare vt hæc sit albedo aut nigredo, vnio vel non vnio, non enim potest Deus essentias rerum formaliter immutare. Erit quidem in potestate Dei producere hoc vel illud, ceterùm facere vt illud iam productum sit homo, aut non sit homo, non est in potestate Dei. Neque item potest recurri ad hoc, quod priùs tempore fuerit ea materia vnita cum vnâ formâ: nam hoc non obstante potuit Deus in materiâ, vbi fuit in instanti A. hæc numero forma, ponere in instanti B. aliam numero distinctam; tunc autem vniretur, etiamsi præcessisset ibi priùs altera forma; ergo & non vniretur per te, nisi per solas dispositiones & penetrationem; ergo etiam iam vnietur, non ob-
24 stante quòd priùs tempore fuerit vnita ibi altera forma. Ratio à priori est, quia saltem diuinitus potest vna materia informari duabus animabus, vel aliis formis substantialibus; ergo non est de essentiâ vnionis vnius animæ, ne altera ibi sit vnita.

Secundò fortè respondebis, hanc numero animam dicere ordinem ad hæc numero accidentia, ideoque non posse informare subiectum nisi habeat ibi sua: in eo autem casu accidentia illa solùm fuisse propria vnius animæ, ideò solam illam vnitam fuisse. Sed contrà euidenter, quia accidentia materialia absoluta non indiuiduantur, vt dixi alibi, in ordine ad hoc numero subiectum, sed ex se sunt indifferentia, vt producantur in hoc vel in illo. Contra Secundò, Quia licet id concederemus, certè in ordine ad formam non indiuiduantur accidentia, neque anima rationalis in ordine ad hanc numero materiam. Ratio est manifesta: quia eadem numero mea anima iam informat hanc numero materiam, diuersam numero ab eâ quam in infantiâ; & mea anima fuit indifferens vt ego alibi educarer, & aliis cibis enutrirer: tunc autem aliam diuersam numero informaret mea anima materiam, quod à nemine negari potest. Item & hic numero calor, qui est in materiâ cibi, permanet in eâ materiâ sub animâ rationali, & idem cibus potuit à bruto comedi, vel ab aliis agentibus in se conuerti; ergo accidentia licet respiciant hanc numero materiam, & ab eâ pendeant, non tamen pendent ab hac numero animâ rationali. Iam ergo inde euidenter 26 concludo, ergo hæc numero anima rationalis ex se est apta informare hanc numero vel illam materiam distinctam, sub his vel illis dispositionibus solo numero distinctis; ergo potest hæc anima vniri per has vel illas dispositiones numero diuersas, & consequenter non potest ex numericâ diuersitate reddi ratio, cur in eo casu ambæ illæ animæ non vniantur. Tertiò, impugno eam sententiam in ipsâ prima dispositione, v.g. in calore aut in albedine quæ vnitur cum subiecto, & non per aliam dispositionem, nec per solam penetrationem cum subiecto, aliàs quando duo corpora penetrantur, deberent omnia accidentia 27 vnius vniri cum alterâ materiâ, & accidentia Eucharistica deberent esse vnita cum corpore Christi non minùs quàm propria, quod tamen videtur esse contra Fidem; manerent enim ea accidentia non per se, sed in subiecto; & Christus verè esset ab illis calidus, albus, &c. Confirmatur. Quando mouetur materia prima, mutatur præsentiâ localis, & tamen non mutatur vnio albedinis, aut caloris cum illâ; ergo hæc vnio non poterat in eâ solâ præsentiâ locali consistere, aliunde autem, vt dixi, non præcedunt aliæ dispositiones, in quibus possit ea vnio consistere, quia istæ sunt primæ; ergo. Constet ergo, vnionem formæ absolutæ cum subiecto non posse in eis dispositionibus aut penetratione consistere, sed debere esse modum per se, cuius effectus formalis sit, connectere ea duo extrema.

SVBSECTIO TERTIA.

Etiam admissis connotatis, vnio debet distingui ab vtroque extremo.

HANC difficultatem moueo, vt P. Suarezium 28 ab inconsequentiâ quadam, malè ei à quibusdam obiectâ, vendicem. Disputatione XII. Logicæ, à num. 31. quamdam retulimus opinionem P. Suarezij de connotatis. Ait enim, denominationem *similis* adæquatè esse intrinsecam fundamento, & sine intrinsecâ vllâ ipsius mutatione in esse entitatis iam perire, eò quòd terminus, qui erat purum connotatum, pereat; è contrario verò aduenière eodem termino insurgere. quam sententiam nos ibi fusè reiecimus.

Quidam ergo recentiores in præsenti putant, hos Auctores, quos Connotantes nominant, minùs

nùs consequenter discurrere, dum vnionem ab extremis distinguunt: admissis enim (inquiunt) iis connotatis, nullatenus necessaria est vnio distincta. Vt autem acriùs hunc consequentiæ defectum notarent, non nominarunt P. Suarezium, qui primus & connotata & vnionem distinctam illustrauit, sed recentiores alios qui P. Suarezium in vtroque puncto sequuntur. Sed iam eorum argumentum videamus. Si enim (aiunt) admittunt hi Connotantes denominationem intrinsecam nouam sine entitate nouâ intrinsecâ, cur non etiam admittent in materiâ & formâ denominationem intrinsecam *vniti*, sine entitate intrinsecâ vnionis superadditâ? Quod argumentum tam clarum putant, vt nec verbum possit ei à Connotantibus responderi. Ego quidem longè sum ab his connotatis, quæ non parum horreo, vt dixi suprà, & impugnata à me sunt ea Disputat. XII. Logicæ, à num. 34. valdè tamen miror hîc eorum Auctores de inconsequentiâ notatos. Putarem non benè à censore comprehensam illorum sententiam, & in quo à nobis differant. Omnes ergo Connotantes semper hoc meritò statuunt, non posse in rerum naturâ nouam dari denominationem realem sine nouâ entitate reali, neque posse intelligi aliquam denominationem realem separabilem ab aliquo, nisi sit aliqua entitas realis ab eo separabilis: in quo illi & nos Non-connotantes conuenimus. Differunt verò illi à nobis, quòd ipsi docent, adueniente entitate aliquâ quæ sit purus terminus, & non pars denominationis, posse resultare de nouo eam denominationem: vnde illi vocant denominationem adæquatè intrinsecam, quam nos partim intrinsecam & extrinsecam partim dicimus. Hæc est tota inter eos & nos differentia: quæ quàm sit per accidens ad difficultatem præsentem de distinctione vnionis, quis non videat? Nos enim probamus vnionis distinctionem ex eo, quòd nulla est entitas, neque intrinseca neque extrinseca, à quâ denominatio vniti prouenire possit, si modum distinctum vnionis excludamus; vnde illum ponendum, clarè inferimus. Iam autem, quomodo, etiamsi omnia connotata admittantur, poterit vnionis distinctio negari, quandoquidem neque intrinsecum neque extrinsecum vllum est connotatum, à quo ea denominatio, qualiscumque sit, prouenire possit.

Sed videamus quid adhuc vrgeant aduersarij. Primò ergo replicant: Quia Connotantes in Deo admittunt nouam denominationem *volentis liberi*, etiam sine vllo connotato extrinseco; ergo eodem modo possent hîc admittere nouam denominationem vniti sine vllo connotato. Meliùs iam & clariùs objicietur his ipsis inconsequentia in hac replicâ. Ipsi enim admittunt passim in Deo tales denominationes extrinsecas, v. g. potentis producere possibilia, item & ea cognoscentis, &c. quæ in esse entitatis potuerunt manere, etiamsi creaturæ non essent possibiles, & positâ possibilitate, quæ de facto nihil prorsus est, sine mutatione Dei potuerunt resultare: ergo si ex eo, quòd in Deo Suarez & Connotantes nouas denominationes intrinsecas admittant sine nouâ entitate intrinsecâ & extrinsecâ, eos ita acriter redarguunt inconsequentiæ, quia posteà vnionem distinguunt; quomodo se ipsos ob eamdem culpam non arguunt? Aduerte, Connotantes admittere, denominationem intrinsecam Deo posse conuenire sine vllâ entitate nouâ intrinsecâ aut extrinsecâ, quia difficultas actuum liberorum Dei, quæ maxima est, eos ad hoc cogit, sicut & coëgit multos alios, & ipsos qui hæc Connotantibus obiiciunt. In quo omnes sumus pares. At, vt sine vllo nouo connotato etiam in creatis nouam admittamus denominationem realem, nec exemplum de Deo, nec ratio vlla nos aut Connotantes aut alium coget aut cogere potest. Malè ergo inde obiicitur inconsequentia Suarezio vel his Connotantibus, qui mouentur principio illo vniuersali, *Quæ possunt vel diuinitus separari, debent esse distincta.* Vnde cùm in vnione nullum sit connotatum reale, à quo non possit separari denominatio *vniti* (vt nos suprà ostendimus) meritò illi in creatis eam vnionem distinctam requirunt, quidquid sit in Diuinis, quoad actus liberos.

Sed Secundò objiciunt contra eam solutionem: Quia formâ & materiâ intimè approximatis, & vltimò dispositis, non potest nec diuinitus non dari denominatio vnionis; ergo ea denominatio non prouenit ab entitate distinctâ, à formâ & materiâ approximatis & dispositis. Sed hoc Antecedens falsissimum est; quia diuinitus ea omnia possunt existere in rerum naturâ, & tamen forma potest non esse vnita materiæ, quod ipse arguens sæpè supponit: vnde non scio, an hoc Antecedens ponat ex proprio sensu. Si enim hoc esset, manifestè sibi & veritati contradiceret, qui ideò distinctionem Vnionis probat, quia hæc potest separari ab omnibus dispositionibus simul sumptis. Quòd si illud Antecedēs ponat ex mente recentiorum contra quos agit, numquam illi hoc dixerunt: imò ideò docent, vnionem distingui ab illis omnibus, quia ea omnia possunt manere sine vnione. Quòd si arguens assumit Antecedens falsum, quod fortè ab aliis diuersis Auctoribus docetur, quid inde contra horum inconsequentiam? Adde, si Antecedens esset verum, ipsum arguentem iugulari; quia tunc nullum haberet argumentum ad probandum vnionem esse distinctam. Fundatur enim, & benè, vt paulò antè dixi, in separabilitate vnionis ab his dispositionibus & approximatione, &c. Si autem iam negat hanc separabilitatem, quomodo inferet distinctam vnionem?

Tertiò objiciunt: In sententiâ Thomisticâ, distinguente relationem à fundamento & termino, etiam potest diuinitus Deus impedire, ne ex vtraque albedine resultet relatio similitudinis, sicut potest impediri vnio formæ & materiæ, positis dispositionibus & existentiâ materiæ & formæ, &c. ergo sicut, hoc non obstante, Suarez & Connotantes negant Thomistis, resultare nouam entitatem relationis, posito fundamento & termino; ita debent negare resultare nouam entitatem vnionis in prædicto casu.

Etiam in hac obiectione non sunt sibi constantes: ipsi enim cum Suarezio, dum in disputatione de Relatione agunt cōtra Thomistas, vnicè innituntur huic principio, quod positâ vtraque albedine est formalissima similitudo, neque à Deo impediri potest, ne illæ sint formaliter similes. vnde ipsi concludunt, Ergo similitudo non est distincta. Iam autem in puncto præsenti vellent arguentes, vt Suarez admitteret Thomistis, posse diuinitus formalem similitudinem ab vtroque

que extremo simul sumpto separari, & quòd tamen illis negaretur distinctio relationis: quod perinde est, ac petere, vt argumentum quo Thomistas impugnamus, dicamus esse falsum, & si-
38 mul tamen eos reiiciamus. In quo puncto æquè ipsi arguentes irretiuntur: quia si illi admittunt Thomistis, formalem similitudinem posse diuinitus separari ab vtroque extremo, quomodo negabunt eam esse entitatem superadditam? Neque ad hoc punctum video quid conducat vocare eam denominationem *similis* partim extrinsecam, cum verâ & ipsorum arguentium sententiâ; vel dicere purè intrinsecam, posito termino cum his recentioribus Connotantibus, quos hi arguentes impugnant, sed sine vllo fundamento, vt ex dictis constat.

SVBSECTIO QVARTA.

Obiectiones contra vnionem distinctam soluuntur.

39 OBIICIES Primò: Non solùm materia & forma vniuntur inter se, sed etiam cum ipsâ vnione; & tamen cum illâ non vniuntur per vnionem distinctam, alioquin daretur processus in infinitum; ergo etiam poterunt materia & forma vniri inter se sine vnione distinctâ. Nego consequentiam, quia vnio non potest esse in rerum naturâ, nisi vniatur cum materiâ & cum formâ. vnde hoc, quòd est actu vniri, non est quid distinctum ab illâ; materia verò & forma rectè possunt esse in rerum naturâ, vt ostensum est, etiamsi actu non vniantur; ergo eas vniri inter se, aliquid est distinctum ab vtraque, quia ab vtraque est separabile.

40 Obiicies Secundò: Forma vnitur materiæ mediâ vnione, ergo non immediatè, contra id quod suprà diximus. Respondeo, vnionem esse ipsam rationem formalem, quâ materia & forma vniuntur inter se, sicut actio est ratio formalis, quâ causa producit effectum. vnde, sicut hæc non efficit, ne causa immediatè producat effectum; ita nec vnio tollit materiam & formam inter se immediatè vniri: tolleret autem, si vnio non esset ratio formalis vniendi, sed extremum vnitum, cui solùm vniretur materia, & medio illo vniretur formæ. Et si licet aliquo exemplo materiali declarare, illud accipe. Non concipias vnionem tamquam calcem aut bitumen aliquod, quod medians inter duo extrema illis adhærens, ea inter se vnit; hoc enim modo semper concipies solam vnionem immediatè extremis
41 vniri, extrema verò inter se mediatè: sed vnionem tibi efforma ad modum ferrei vnci, qui supra duos lapides immediatè se tangentes infixus, & ipse vtrique immediatè adhæret, & vtrumque inter se immediatè affixum tenet. Quod idem suo modo de actione respectu effectus dictum puta (ne sæpè idem repetere cogamur:) censent enim aliqui, si detur actio distincta, effectum non oriturum immediatè à causâ, sed mediante actione. Imò & hinc etiam alij argumentantur, nobis non futurum immediatè liberum amorem Dei, & consequenter nec formaliter meritorium, sed totam libertatem & meritum in solâ physicâ actione consistere, quod val-
42 dè durum reputant. Sed hi falluntur, non secùs ac qui propter vnionem mediam putant extrema non immediatè vniri. Actio ergo non est quæ producit effectum, nec est quasi aliquid quod producitur à causâ vt inde ipsa actio efficiat effectum, tunc enim solùm mediatè oriretur effectus à causâ, sed æquè immediatè & eodem signo naturæ effectus, & actio oriuntur à causâ: actio verò dicitur prior non *in quo*, sed *à quo*, quia est quo causa producit, sicut vnio id quo extrema vniuntur. At hoc sicut immediatam productionem non impedit, ita nec immediatam libertatem, meritum, &c. quæ hîc sufficiat tetigisse.

Obiicies Tertiò: Vnio materiæ & formæ erit 43
accidens, si distinguatur; ergo non potest distingui, quia nihil accidentale pertinet ad constitutionem hominis v. g. Consequentia est certa. Antecedens verè probatur, quia vnio, si distinguatur, debet inhærere materiæ & formæ, ergo & esse accidens. Respondeo, vnionem dependere quidem vt à subiecto à materiâ & formâ (de quo infrà) verùm non illi inhærere propriè, quia inhæsio est propria illius rei, quæ est extra conceptum primum & substantialem; Vnio autem non est extra conceptum hominis, sed potiùs intra illum, vnde neque inhæret, neque est accidens, etiamsi distinguatur: sicut forma materialis substantialis, licet dependeat à materiâ, non tamen propterea inhæret eo modo quo id tribuitur accidenti.

SECTIO II.

Vtrùm vnio sit simplex, an composita.

NON quærimus, vtrùm sit simplex integrali- 44
ter nécne; certum enim est, diuersam partem vnionis esse, in manu v. g. ab eâ quæ est in capite; est ergo difficultas solùm de partibus essentialibus, id est, vtrùm diuersa sit vnio in materiâ ab vnione formæ, ideoque in manu v. g. sit vnio tenens se ex parte materiæ manus, & alia tenens se ex parte formæ; an verò vnica in vtraque parte essentiali.

SVBSECTIO PRIMA.

Sententia eam adstruens duplicem.

HVRTADVS Disputatione 5. Physicæ, sectione 7. cum multis recentioribus duas adstruit in composito vniones partiales, vnam tenentem se ex parte materiæ, aliam ex parte formæ. Licet autem omnes isti in sententiâ conue- 45
niant, non tamen in fundamento illius. Quidam enim eam probant: quia de essentiâ vnionis vt sic est, respicere aliquid vt subiectum, & aliquid vt purè terminum; ergo vnio materiæ & formæ debet respicere aliquid vt subiectum & aliquid purè vt terminum: sed hoc non potest esse nisi vnio sit duplex, quia si sit vnica, vtramque partem respiciet vt subiectum, & nullam vt purè terminum: ergo debet poni vnica ex parte materiæ, quæ respiciat materiam solùm vt subiectum, & formam solum vt terminum; alia verò ex parte formæ, quæ respiciat formam vt subiectum, materiam verò vt terminum. Probatur primum Antecedens, scilicet, de conceptu vnio- 46
nis esse respicere aliquid vt purè terminum, & aliquid

aliquid vt subiectum ; quia vnio humanitatis Christi ad Verbum est vera vnio, & respicit humanitatem vt subiectum, Verbum autem vt purè terminum, ergo id est de conceptu vnionis vt sic.

Omnino displicet modus hic arguendi, est enim ab vno particulari ad vniuersale ; sicut si quis probaret, de conceptu animalis esse rationalitatem, quia homo est rationalis. Respondeo igitur, de conceptu vnionis vt sic solùm esse, connectere extrema inter se ; quòd autem id fiat, vel respiciendo vtrumque extremum vt subiectum, vel vnum vt subiectum & aliud vt terminum, non esse de conceptu vnionis vt sic, sed de con-
47 ceptu specifico huius vel illius vnionis. Quod & ipsi aduersarij fateri tenentur : quia, licet quælibet vnio partialis respiciat aliquid vt terminum, & aliquid vt subiectum, vnio tamen totalis vt totalis formaliter vtrumque extremum respicit vt subiectum, & vtrumque vt terminũ ; ergo non est de conceptu vnionis vt sic prout abstrahit à totali & partiali, respicere aliquid vt purè subiectum, & aliquid vt purè terminum.

Sed age, concedamus his Auctoribus, id esse de conceptu vnionis vt sic, adhuc non inferunt, vnionem compositi debere esse compositam : posset enim quis respondere, eam esse simplicem, & subiectari tantummodò in vno extremo, & respi-
48 cere aliud vt purè terminum, sicut P. Suarez & multi alij docuère, sicut in Christo non datur nisi vnica vnio tenens se ex parte humanitatis, in quâ est vt in subiecto, & respicit Verbum diuinum purè vt terminum.

Sed vrgent hi Auctores hanc secundam solutionem : Quia impossibile est manerè aliquid intrinsecè vnitum per vnionem, quæ non recipiatur in ipso, quantumuis sit terminus intrinsecus illius ; quia terminus intrinsecus nihil aliud est, quàm terminus existens in eodum loco, cum re cuius est terminus, quod non sufficit ad vnionem. Ad exemplum vnionis humanitatis cum Verbo, respondent, ibi etiam esse duas vniones, aliam ex parte humanitatis quam omnes cognoscunt ; aliam ex parte Verbi, ab ipso indistinctam, quæ non sortiebatur ab æterno rationem vnionis ex
49 defectu connotati, scilicet ex defectu vnionis tenentis se ex parte humanitatis. Respondeo, inprimis falsum esse, terminum intrinsecum præcisè esse illum, qui est in eodem loco cum re, cuius est terminus : nam cognitio intuitiua Dei respicit essentialiter creaturas existentes in eodem loco cum ipsâ cognitione, & tamen nullus dixit, creaturas esse terminum intrinsecum cognitionis Dei ; ergo terminus intrinsecus aliquid addit supra existentiam in eodem loco. Deinde, falsum esse, terminum intrinsecum non posse denominari ex respectu, qui non subiectetur in ipso, vt patet in Verbo diuino, quod intrinsecè manet
50 vnitum ex vnione non existente in ipso vt in subiecto : nam ponere ex parte Verbi aliam vnionem, omnino est improbabile, vt rectè P. Suarez Tom. 1. in 3. Partem disput. 8. sect. 8. de quo fusiùs Theologi. Breuiter tamen sic reiicitur, quia denominatio seu essentia vnionis illius est intrinseca Verbo adæquatè ; ergo vel fuit ab æterno cum ipso Verbo, etiam in ratione vnionis, quia etiam vt sic non distinguitur à Verbo : vel si
46 in tempore incepit, ergo realiter distinguitur à Verbo, quia entitas seu formalitas, quæ separatur realiter & aduenit ac discedit manente subiecto, realiter ab illo distinguitur. Quòd si hi confugiant ad latebras Connotatorum, illuminandi sunt ex his quæ contra hæc connotata Disputatione XII. Logicæ à numero 31. fusè dixi.

Sed si semel gratis concedamus eam vnionem 51
indistinctam à Verbo, cur ergo etiam non concedetur alia vnio indistincta ab ipsâ formâ, quæ ex defectu connotati, scilicet vnionis tenentis se ex parte materiæ, non sortiatur rationem vnionis, quando anima est separata ? Sicut etiam ipsi dicunt, similitudinem esse indistinctam à fundamento, non tamen sortiri rationem similitudinis, nisi posito fundamento. Vnde non video, quâ consequentiâ hi Auctores admittentes connotata, ponant duplicem vnionem, propter argumentum suprà factum.

Secundò arguunt : Quia modus vnitur duplici vnione cum re cuius est modus ; ergo & aliæ formæ vnientur cum subiectis duplici vnione. Probatur Antecedens ; quia modus per suam es- 52
sentiam est vnio inadæquata, item & subiectum cui vnitur modus, est etiam vnio inadæquata ; ergo modus cum subiecto vnitur duplici vnione. Respondeo Primò, negando Antecedens, quia tota ratio vnionis modi cum subiecto, tenet se ex parte ipsius modi, qui de suâ essentiâ est affixus subiecto, non verò ex parte subiecti, quod omnino independens est ab illo modo. Secundò, quidquid sit, an subiectum sit partialis vnio néne, in præsenti solùm disputamus, vtrùm danda sit duplex vnio ab vtroque extremo distincta ; hoc au- 53
tem tantum abest vt inferatur ex vnione modi cum subiecto, vt potiùs videatur inferri, nec vnicam vnionem distinctam esse ponendam, quia nihil intercedit inter modum & subiectum, quod sit vnio. Imò hinc arguunt Nominales, ad negandam omnem vnionem distinctam, vt suprà vidimus, vbi etiam ei argumento ex hac parte respondimus.

Tertiò potest argui : Quia eadem forma non potest esse in duobus subiectis disparatis inter se, qualia sunt materia & forma ; ergo debet in quolibet poni propria vnio. Sed contrà Primò, quia materia & forma ad receptionem vnionis, siue vnica sit siue duplex, non se habent disparatè, imò potiùs pendent essentialiter vna ab aliâ ; ergo rectè poterunt per vnicam formam vniri. Contrà Secundò, quia hoc summùm probatur, vnionem, si sit simplex, solùm subiectandam in vno extremo, iuxta dicta suprà.

Sed vrgebis hanc secundam solutionem, Quia 54
vtrumque extremum debet perfici per vnionem, ergo vnio debet esse in vtroque. Facilè negarent, qui ponunt vnionem in vnico extremo, vtrumque debere perfici per illam ; quia id non est necessum, vt resultet vnum per se, vt patet in Christo, sed de hoc infrà. Hæc recentiores nonnulli.

SVBSECTIO SECVNDA.

Alia eius duplicis vnionis fundamenta diruta.

ALII verò probant eam sententiam : Quia homo essentialiter constat duplici vnione, ergo & reliqua composita. Antecedens probatur, quia vnica vnio non potest subiectari in animâ spirituali, & in corpore materiali, ergo debet esse duplex.

55 duplex. Falsum Antecedens: rectè enim potest idem accidens vel modus substantialis materialis pendere, vt à subiecto, à re materiali & à spirituali, de quo fusiùs Disputatione 1. de Animâ, à numero 98. Deinde mala consequentia Primò; quia potest quis respondere, solùm subiectari vnionem in materiâ, nec necessum esse, aliam ponere in formâ, iuxta proximè dicta. Secundò, quia licet in homine ea duplex vnio poneretur propter rationem dictam, non tamen ponenda esset in aliis cõpositis omnino materialibus; quia in illis deficit necessitas multiplicandi vnionem quæ reperitur in homine. Et sicut in Christo non ponitur nisi vnica vnio, tenens se præcisè ex parte humanitatis, quia est ibi aliqua specialis ratio ne subiectetur in Verbo; & inde non licet inferre, in aliis compositis, in quibus deficit ea ratio, ponendam esse vnicam præcisè, tenentem se
56 solùm ex parte vnius extremi: ita neque è contrario, quia in homine propter animi spiritualitatem duplex ponatur, licebit inferre, in aliis entibus, in quibus deficit spiritualitas, ponendam etiam esse duplicem.

Secundò arguunt efficaciùs: Quia in sententiâ distinguente relationem à fundamento & termino, non sufficit vnica relatio, vt vtrumque referatur inuicem, sed debet poni duplex; ergo similiter in vnione. Respondeo Primò, requiri duplicem relationem, quia extrema relata per similitudinem sunt in diuersis locis, vnde vnica relatio non potest esse in illis; secùs in materiâ & formâ, quæ vt vniantur debent esse penetratæ.

57 Sed replicabis: Relationes esse in diuersis locis, oritur ex eo quòd sint distinctæ: si enim non essent distinctæ, non possent esse in diuersis locis; ergo non das bonam rationem, ideò scilicet esse distinctas, quia sunt in diuersis locis. Sed qualis est hæc impugnatio? Nos non videmus relationes neque vniones in se: si enim hoc esset, nullam hîc haberemus quæstionem. Quærimus ergo de fundamentis à posteriori, vnde colligamus an sint duæ an vna. Quoad hoc autem quòd melius indicium, quàm videre relationem esse in distinctis locis, vt inde inferatur; ergo non potest esse vna indiuisibilis? Vel si in relationibus habes aliquem scrupulum, argue ex subiectis relationum: Petrus enim est in Indiis, ego hîc, & hoc antecedenter ad relationẽ; quomodo ergo poterimus ambo habere vnicam numero relationem? In vnione autem, quia eius subiecta sunt in eodem loco, rectissimè infero, ex hoc capite non repugnare eam esse vnicam, licet ex distinctione, vt à ratione à priori, proueniat capacitas
58 existendi in duobus locis. Numquid non licet à posteriori arguere, *homo discurrit, lapis non, ergo homo est rationalis, lapis vero non*, etiamsi rationalitas sit causa & ratio à priori discursus, & non è contrario?

Secundò potest responderi, vtrumque extremum relatum per similitudinem debere habere relationem distinctam: quia cùm extrema sint eiusdem omnino rationis inter se, vt sunt duæ albedines, non potest esse vlla ratio, cur in vno potiùs quàm in alio ponatur relatio; vnde vel in vtroque vel in nullo poni debet: at verò cùm materia & forma sint diuersæ in specie, posset excogitari aliqua ratio, vt vnio solùm poneretur in vno extremo, & non in alio, casu quo eadem in duobus non posset.

Sed vrgebis adhuc: Quia relatio indistantiæ, 59
vel relatio similitudinis inter rem & modum est duplex, & tamen extrema sunt penetrata; ergo vnio materiæ & formæ etiam erit duplex, licet hæ sint penetratæ. Respondent aliqui, concesso Antecedenti quoad vtramque partem, & negatâ consequentiâ; quia etiamsi relatiua sint penetrata, referuntur tamen inter se eadem relatione, ac si essent separata, seu more separatorum, vt hi dicunt, & consequenter duplici relatione; materia autem & forma ita referuntur per vnionem, vt nisi penetratæ sint, referri nequeant.

Arbitror, concesso Antecedente, negari benè non posse consequentiam: quia sicut tu dicis, res essentialiter penetratas referri duplici relatione, quia referuntur eodem modo ac si essent separatæ; idem etiam dicendum est, hæc extrema vniri 60
eodem modo ac si non essent penetrata, & sicut vniuntur partes integrantes quæ sunt in diuersis locis; ergo sicut hæ vniuntur duplici vnione, ita & illa. Nec valet dicere, materiam & formam non posse separatas vniri vt actum & potentiam: nam etiam non possunt referri res & modus relatione similitudinis, nisi coniunctæ sint, & tamen per te, hoc non obstante, referuntur more separatorum; ergo etiam materia & forma possent vniri more non penetratorum. Quòd autem conceptus relationis vt sic, non petat extrema esse simul in eodem loco, parum obest: nam etiam conceptus vnionis vt sic non petit materiam & formam esse penetratas, nam vnio partium integralium est vera vnio, & non requirit partes penetratas.

Sed dices: Ergo actio & effectus non durabunt nisi vnicâ durationc, quia non potest actio durare sine effectu. Respondeo, hanc obiectionem esse 61
contra te, qui solùm ponis vnicam vnionem, eò quòd superfluæ sunt duæ; & aliunde in actione & effectu ponis duas durationes, cùm sufficiat vna. Videas quam teneas consequentiam. Ego obiectioni è num. 59. respondeo, quidquid sit de durationc (de quâ infrà) non ponendas esse duas relationes distinctas inter extrema essentialiter inter se penetrata, vnde negatur etiam in materiâ & formâ duas esse ponendas vniones, vt replica suprà facta contendebat. Cùm nonnulli recentiores hanc solutionem aliis meliorem iudicarent, nec haberent vnde eam solidè impugnarent, dixêre, satis magnam esse necessitatem ponendi relationes aut vniones duas, ne paradoxè diuagemur à communi sententiâ, vnius entitatis vitandi causâ: neque curandum esse, multiplicare entitates sine necessitate, dum aliunde non ostendatur absurdum multiplicitatis. Ego 62
vellem, vt hi sibi essent constantes. Quid enim illos mouit, vt contra communem sententiam potentias ab animâ non distinguerent, nisi quia non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate? Neque enim vllum aliud habuêre argumentum. Si ergo, ne multiplicent entitates sine necessitate, deserunt ipsi communem sententiam; mirari non poterunt, à nobis defendi communiorem de vnicâ vnione, propter idem argumentum. Quid ipsos ita vrget, vt contra euidentissimum argumentum (de quo suo loco) durationem distingui negent? quia dicunt, non esse multiplicandas entitates sine necessitate. Quomodo

ergo

ergo iam hîc sui obliti, illud principium ita contemnunt, quo nihil ipsis familiarius in innumeris
63 materiis? Adde, falsò dicere, nos discedere à communi sentẽtiâ, vt defendamus illud principium: nam communior est sententia, non distinguens duas vniones; est enim P. Suarezij, Vasquez, & ferè omnium in Societate. quomodo ego ergo vagor paradoxè? Quòd si loquantur de meâ opinione, vnicam relationem similitudinis ponente inter res essentialiter penetratas, casu quo relatio distinguatur; certè hoc à nullo ex proposito, nisi à duobus vel tribus recentioribus, disquisitum est. Deinde, si hoc est paradoxum, quid erit, nec vnicam relationem admittere distinctam? quod ipsi faciunt, moti argumento de non multiplicandis entitatibus sine necessitate, in quo eos non reprehendo, sed noto inconsequentiam ad punctum præsens.

64 Tertiò arguunt: Quia materia refertur ad formam per vnionem, & forma ad materiam; sed hoc nequit fieri vnicâ vnione, ergo debet esse duplex. Iterùm hîc consequentiam deserunt: aiunt enim, repugnare per vnicam rem duo extrema inuicem referri, & tamen ipsi vnicam indiuisibilem vnionem ponunt in cõtinuo, per quam vtraque pars vnita inuicem referatur. Iam ergo ruit ibi fundamentum ipsorum, neque video ad hoc quid dici possit.

Adhuc vrgeo: Per actionem refertur agens ad effectum, & hic rursus ad agens; ergo vnica res potest inuicem duo extrema referre. Huic vltimæ instantiæ respondent Primò, non esse de conceptu actionis, referre duo extrema, quia creatio in eorum sententiâ non distinguitur à re creatâ, tunc autẽ non potest esse ille respectus creantis ad terminum, & termini ad creantem. Sed
65 contrà, quia etiam non est de conceptu vnionis vt sic, referre duo extrema inuicem, vt ipsi docent; & constat in vnione hypostaticâ, per quam Verbum non refertur ad humanitatem. Quòd si hæc mutua relatio est de conceptu specifico talis vnionis, ita de conceptu specifico actionis mediæ distinctæ à causâ & effectu est, referre ea duo mutuò inter se; ergo sicut ibi vnica actio potest ea duo referre, ita etiam hîc poterit vnica vnio idem præstare, nec potest esse clarior instantia. Cui adhuc Secundò respondent, actionem non referre intrinsecè causam ad effectum, ideò posse
66 esse vnam pro vtroque. Sed contrà, quia ipsi fatentur, rem vnam posse in duobus subiectis recipi; & in hoc quòd sit intrinseca duobus, non inueniunt difficultatem, si aliunde posset duo referre inuicem, iam autem ostendi hoc vltimum fieri posse exemplo actionis. Quòd verò actio non sit vtrique intrinseca, non eos iuuat; quia in hoc non habebant hi difficultatem, & fatentur, eamdem formam duobus subiectis posse esse intrinsecam; cur ergo impugnant meum exemplum, petendo repugnantiam ex eo capite, vnde priùs docuerant nullam posse deduci? Certè vel in hoc apparet solutionis debilitas. Adde, aliquem fortasse posse dicere, per actionem & passionem saltem passum referri intrinsecè ad terminum, & hunc ad passum, quia res educta eo
67 ipso est intrinseca passo. Sed ego hanc impugnationem insinuo, quia scio valituram apud aliquem, me tamen non vrget: sufficiant præcedentes. Respondeo ergo absolutè argumento è numero 64. vnam eamdemque rem posse esse mutuum respectum duorũ inter se; quia licet extrema se respicientia debeant esse distincta, respectus tamen duarum rerum non necessariò est duplex, eadem enim actione multæ causæ concurrunt ad effectum, & per illam omnes illæ causæ illum respiciunt.

Vltimò arguunt: Quia vnio est materializatio & informatio; sed hi conceptus distinguuntur realiter, ergo vnio debet esse duplex realiter. Nego Minorem, quia materializatio nihil aliud est, quàm receptio, seu vnio prout se tenet ex parte materiæ, & informatio eadem receptio, prout se tenet ex parte formæ: atqui non est necessum, 68
distingui vnionem ex eo quòd sit in materiâ à se ipsâ, eò quòd sit in formâ; ergo nec quia sit materializatio & informatio. Fateor, ratione distinguuntur hi duo conceptus per ordinem ad duo subiecta, sicut animal à rationali per ordinem ad diuersas operationes. At realiter cur?

SVBSECTIO TERTIA.

Vnio est simplex.

SECVNDA ergo sententia, docens, vnionem esse omnino simplicem, est omnino vera. Pro eâ stat P. Suarez Disput. 3. Metaphysicæ, sect. 9. num. 13. P. Vasquez 1. Tomo in 3. Partem disputatione 9. num. 23. & recentiores communiter. Probatur à nonnullis, quia vnio essentialiter est vinculum duorum extremorum, ergo non potest dari vnio adeò partialis, quæ non vniat duo extrema; ergo superfluæ sunt duæ vniones. Hoc ar- 69
gumento ego non vtar, quia vnio continuatiua est verè vnio, & tamen non sufficit vnica (vt infrà dicemus:) licet enim de conceptu communi vnionis sit, esse vinculum duorum extremorum, non tamen ideò est de conceptu vnionis vt sit esse vinculum perfectum. Possent ergo aduersarij duas requirere vniones, non quia quælibet non vniret duo extrema, sed quia quælibet non vniret perfectè & adæquatè, vt patet in continuatiuæ vnionis exemplo.

Est ergo probanda nostra sententia argumento communi, Quia nulla est prorsus necessitas ponendi duas vniones, vt patet è manifestâ solutione argumentorum, quæ pro duabus fieri possunt, ergo tantùm vnica ponenda est; nec enim sunt multiplicandæ entitates sine necessitate.

Sed dices, tunc solùm multiplicari entitates, 70
quando quælibet est sufficiens ad præstandum idem quod vtraque, non autem multiplicari, quando quæliber solùm est inadæquata: perinde enim est duas ponere entitates partiales, ac vnam æquiualentẽ duabus, vt patet in causis. Licet enim repugnent naturaliter duæ causæ totales, vel vna totalis, & alia partialis, non tamẽ repugnant magis duæ partiales, quàm vna totalis; ideoq; communis sententia docet, si duo ignes æquè applicentur passo, producendum ignem ab vtroque vt à causâ partiali; ergo non est superfluum duas vniones partiales ponere, foret fortè, duas ponere totales, vel vnam totalem & partialem aliam. Respondeo, non solùm esse superfluas 71
duas vniones vel causas totales, sed etiam duas partiales, quando vnica totalis sufficit; & non est aliqua ratio in contrarium cogens, quod & suprà

Disputatione 11. à num. 136. ostendi in simili. Quòd verò duo ignes applicati concurrant partialiter sine superfluitate, ideò est, quia est aliqua ratio cogens ad concedendum vtrique concursum, scilicet æquale vtriusque ius, æqualis approximatio, & non dispar perfectionis gradus, ideò vel negandus vtrique concursus, vel permittendus vtrique. Ob similem rationem dicimus, etiam in vnione continuatiuâ ponendas esse duas partiales, & non vnam totalem indiuisibilem, quia non est maior ratio cur ponatur in vnâ parte, quàm in aliâ; in vtraque autem nequit vnica 72 existere, quia subiecta sunt in duobus locis; ergo ponenda est duplex: at verò in vnione materiæ & formæ non datur vlla ratio cogens ad ponendas duas partiales (vt iam vidimus) solùm ergo ponenda est vnica totalis. Imò adde, in exemplo de ignibus nullam esse multiplicationem, quia entitates ignis, siue concurrant siue non, sunt semper in se duæ; actio autem, etiamsi vterque ignis concurrat, vnica est; ergo eò quòd actio à duabus causis procedat, nihil multiplicatur. Et hoc exemplo confirmatur potiùs, quàm impugnatur nostra sententia, vnicam ponens vnionem, receptam tamen in materiâ & formâ; sicut in exemplo ignium vnica ponitur actio, procedens tamen à duplici causâ, eò quòd non sit maior ratio de vnâ quàm de alterâ.

73 Ex dictis inferes, in ordine ad potentiam absolutam nullam esse repugnantiam in eo quòd materia & forma vniantur duplici vnione; superfluitas enim non obest in ordine ad potentiam absolutam. Et hoc concedo libenter P. Hurtado contra aliquos recentiores: aduerto tamen, tunc eas duas vniones futuras supernaturales materiæ & formæ, quæ non habent naturalem capacitatem ad res superfluas. Nec potest argui, Illę vniones sunt possibiles supernaturaliter, ergo & naturaliter: constat enim ex dictis, in rebus superfluis hanc consequentiam nullam esse. Imò &, licet vnio aliqua duplex naturaliter esset possibilis (quod valdè probabile puto) tamen nos, qui non videmus an sit duplex an vnica, semper debemus vnicam ponere, ne gratis multiplicemus entitates sine fundamento, quod suppono nullum esse quoad nos, etiam si fortè in re esset duplex vnio.

SECTIO III.

Vnio distinguitur à causalitate, quâ forma producitur.

74 QVÆRIMVS, an dentur duo modi distincti, vnus, quo forma equi v.g. producatur ab agente, & ab ipsâ materiâ; alter, quo materia & forma inuicem inter se vniantur. Dixi de *formâ equi*, quia in animo rationali, qui conseruatur independenter ab vnione ad materiâ, nulla est difficultas; ibi enim manifestè constat, eam actionem esse ab vnione distinctam, vnio enim pendet essentialiter à materiâ, actio verò non; ergo sunt realiter distinctæ, quæstio ergo est de solâ formâ materiali.

Negant nonnulli recentiores eas distingui, quibus P. Suarez Disp. 13. Metaphysicæ sect. 9. n. 11. clarè fauet, etiamsi posteà in fine Sectionis obscuriùs locutus eis aduersari videatur.

Mouentur Primò, quia pereunte vnione formæ equinæ v. g. cum materiâ, perit actio quâ forma conseruabatur, forma enim equina non conseruatur sine vnione ad materiam; ergo ea vnio non distinguebatur à causalitate. Hoc argumentum facilè soluitur, inde enim solùm infertur, causalitatem illam pendere ab vnione, non verò probatur esse idem, sicut pereuntibus dispositionibus perit forma, quæ non propterea idem est cum dispositionibus. 75

Secundò possunt moueri, quia materiam causare formam, idem est (quod per se clarum videtur) ac illam recipere: vlteriùs, materiam recipere formam, est idem ac illam sibi vnire; ergo vnio, receptio, & causalitas idem sunt. Sed neque hoc vrget: aliud enim est, formam à materiâ causari seu produci; aliud verò, vtramque inuicem vniri, hoc enim potest ab illo, & è contrario separari. Si enim forma equi diuinitus crearetur, eodem modo posset vniri materiæ ac nunc, esset tamen in eo casu vnio sine causalitate. Posse verò eam causalitatem materialem esse sine vnione, dicam Disputatione VIII. num. 13. ergo non sunt idem causalitas, receptio, & vnio. Admitto ergò argumento, receptionem & vnionem esse idem, nego verò, receptionem esse idem cum causalitate. 76

Tertiò: Quia inhærentia accidentis non distinguitur ab eius vnione cum subiecto, ergo idem erit de dependentiâ formæ substantialis. Sed negatur Antecedens: accidens enim producitur per causalitatem distinctam, cuius ipsum est purus terminus productus, vnitur verò per vnionem, quam ipsum simul cum subiecto causat materialiter, vt dicam Sectione 4. 77

Quartò tandem possunt moueri, quia non est vlla necessitas distinguendi eam vnionem à causalitate in formam, ergo. Sed huic respondebitur, dum nostra sententia confirmabitur.

Contrariam sententiam, vt communiorem & probabiliorem, defendunt recentiores. Eam tradit Hurtado Disput. 5. sect. 2. & 3. eamdem & ego sequor; video tamen, non solidè ab omnibus probari. Quidam ergo sic arguunt, Primò, quia 78 ratio dependentiæ seu productionis formæ ex materiâ non est ratio vniendi formam cum materiâ, ergo distinguuntur ea duo. Patet Antecedens in vnione animæ rationalis cum corpore, vbi est ratio vniendi, & non est dependentia à materiâ. Hoc argumentum nullum prorsus est, quia eo solùm probatur, vnionem vt sic non esse causalitatem, hoc enim benè infertur ab vno singulari; verùm nullatenus inde sequitur, nullam vnionem esse causalitatem, non aliter ac si quis argueret, animalitatem & rationalitatem in homine esse realiter distinctas, quia tota ratio animalitatis reperitur in equo, vbi nulla est rationalitas. Facilè ergo concedent aduersarij, in ho- 79 mine vnionem non esse causalitatem. Item generationem seu causalitatem vnionis humanæ, non esse ipsam vnionem, sed viam ad illam, quod arguens in argumenti confirmatione ostendere conatur. Dicent tamen, quid inde ad alias vniones & causalitates specie & genere diuersas, vt in omnibus speciebus constat, vbi non licet ab vnâ ad aliam arguere, iuxta dicta?

Secundò iidem arguunt: Quia si vnio esset generatio formæ, sequeretur, vnionem termina-

ri

riad se ipsam, quia generatio terminatur ad vnionem formæ cum materiâ. Quòd si respondeas, generationem ad solam formâ equi v.g. terminari; vrgent, Generatio non terminatur ad formam secundùm se, sed prout vnitam, ergo ad vnionẽ. Cuius eam à priori rationẽ reddunt, quia vnionis essentia est esse vinculum duorum productum per actionem à se distinctam, ergo ipsa non est actio, quia actionis non datur actio. Confirma-
80 tur: vnio est de conceptu compositi, actio autem non, vt patet ex D. Thomâ, nolente personas diuinas per originem constitui, quia hæc est instar actionis. Hæc replica & confirmationes omnino displicent; quia aduersarij negabunt generationem terminari ad formam prout vnitam, sed solùm terminari ad formam, & simul formaliter eam vnire. Quod verò dicitur, de essentiâ vnionis esse, vt producatur per actionem distinctam, petitur manifestè principium, & supponitur quod ab aduersariis negatur. Confirmatio vltima est euidenter contra arguentes: si enim actio est extra cõceptum rei, quomodo ipsi identificant creationem cum Angeli & animæ rationalis substantiâ? Vel quid iam dicent D. Thomæ?

Vbi aduerte, actionemideò à nobis poni distinctam ab essentiâ, non quia actio ex suo conceptu sit accidens, cui repugnet identificari cum substantiâ, sed, probatâ priùs aliquarum actionum distinctione, propter argu-
81 mentum commune de separabilitate. Inde vlteriùs inferimus, actionem eam, quæ distinguitur à re, non esse de conceptu, & substantiâ illius. Quando autem non admittitur talis actio distincta (vt ab his arguentibus in Angelis, materiâ primâ, & animo rationali non admittitur) tunc proculdubiò ratio actionis illis idemtificata, debet realiter esse idem cum substantiâ. Idem dicent aduersarij in casu præsenti, scilicet actionem, quâ equus producitur, quia non distinguitur realiter ab ipsâ vnione formæ cum materiâ, quæ vnio est de conceptu equi; ideò ipsam etiam actionem esse de conceptu equi, non quatenus
82 actionem, sed quatenus vnionem. Neque hoc potest vllo modo probabiliter impugnari, nisi ostendendo, esse necessarium vt ea vnio habeat actionem distinctam quâ producatur, quod præterito argumento non probatur, etiamsi alio disparato possit. Ad D. Thomam respondebunt Theologi 1. Parte, vbi eum explicui pro meâ sententiâ. Iam aduerto, ex eo contrarium in præsenti deduci contra argumentantem: docet enim Angelicus Doctor, realiter & virtualiter personas componi originibus, compositioni autem virtuali in diuinis respondet realis in creatis; ergo ex hac parte benè potest realiter in creaturâ idemtificari actio cum substantiâ. Ratione autem nostrâ eas componit conceptu personalitatis, quia magis sumus assueti personalitatem concipere vt substantiam, quàm ipsam actionem: hæc enim aliquando est substantia in creaturis, aliquando non; personalitas verò semper est substantia. Ex hoc autem modo concipiendi nihil circa distinctionem realem.

83 Probanda ergo est hæc nostra sententia: quia ipsi aduersarij fatentur, ignem in primo instanti generationis quo producitur, & in secundo quo conseruatur (& idem est de omnibus aliis rebus materialibus) esse eumdem numero (nisi fortè aliquantulum in secundo instanti creuerit vel diminutus fuerit, quod ad præsens non attinet) ergo vnio illius non erat actio quâ productus fuit. Patet euidenter cõsequentia, quia actio mutata est; in primo enim instanti productus est à causâ efficienti secundâ, in secundo verò iam à solo Deo conseruatur: ergo iam sunt actiones distinctæ, non autem vniones; quia cùm vnio sit essentialis igni, si ea mutatur, mutabitur etiam ignis, saltem inadæquatè. Hoc argumentum 84
dixi non esse omnino efficax, quia si vellent aduersarij negare, eumdem esse essentialiter ignem in primo & in secundo instanti, facilè id possent, nec nos haberemus vnde eos redargueremus: & propter hanc à me datam solutionem, postea reiecerunt nonnulli hoc argumentum. Fatetur tamen tandem, habere vim, quia non solùm sequitur numero distingui, sed etiam specie: nam actiones quæ à diuersis causis procedunt, sunt specie diuersæ, de quo Disputatione IX. à nu. 65. ergo cùm in primo instanti ignis producatur ab alio igne, in secundo verò à solo Deo conseruetur, necessum est actiones esse specie diuersas, & consequenter vniones cum illis idemtificatas, & tandem ignem in secundo instanti diuersum esse specie à seipso in primo. Fateor, hoc sequitur: sed si aduersarij velint hoc etiam admittere, tam difficulter redarguerentur asserent es hanc distinctionem specificam ex parte vnionis, quàm ponentes solam numericam; quia ex sensu & experientiis non magis nobis de vnâ quàm de aliâ constat. Habet ergo argumentum vim vtroque 85
modo, quatenus & ipsimet aduersarij semper supponunt, etiam numero idem esse compositum in vtroque instanti.

Posset & alius etiam argumentari: Causalitas formæ equinæ potest diuinitus manere sine vnione, si conseruetur ea forma extra subiectum; & ea vnio sine causalitate, si forma creetur, & vniatur materiæ; ergo & vnio & causalitas distinguuntur, quandoquidem inuicem possunt separari. Sed non vrget: dicent enim illi, eo casu non mansuram hanc specie causalitatem, sed aliam diuersam; à se autem non doceri, omnem causalitatem materiæ in formam esse idem cum vnione, sed præcisè hanc quæ de facto datur: per hanc autem nec diuinitus posse causari formam, nisi vniatur materiæ; nec vniri, nisi causetur, etiamsi possit per aliam specie diuersam.

Posset vlteriùs suaderi nostra sententia illis ra- 86
tionibus, quibus Sectione IV. ostendam vnionem debere etiam à formâ causari materialiter; inde enim constat, eam vnionem non posse esse generationem formæ: aliàs dum forma eam causaret, causaret etiam seipsam; causaret enim actionem sui, quod repugnat, vt aliunde suppono. Sed neque hoc argumentum conuincit: quia (vt ex eâ Sectione 4. constabit) non est efficax vlla ratio, sed solùm probabilis, ad dicendum, vnionem debere etiam in materiâ recipi. Vnica ergo est huius sententiæ probatio num. 63 facta.

Aduerte, idem esse dicendum de vnione accidentium realium, scilicet eam esse distinctam à productione ipsorum accidentium: nam idem calidum est in primo instanti quod in secundo, non tamen est eadem productio caloris; quia in primo producitur à Deo, & ab alio calore, in secundo autem instanti non conseruatur iam à ca-

lore producente, sed vel à solo Deo, vel à Deo & manu, &c.

SECTIO IV.

De Vnionis subiecto.

87 QVIA per vnionem videtur vtraque pars perfici intrinsecè, non meliùs poterit decidi quomodo vtraque pars circa vnionem se gerat, quàm præmittendo quid requiratur vt vna res ab aliâ perficiatur.

SVBSECTIO PRIMA.

Subiectum informationis non petit causalitatem in formam, aut vnionem.

DOCVI olim, non opus esse sustentatione, vt vna res aliam informet vel perficiat. Id ostendi exemplo animi rationalis, qui corpus verè informat & perficit, à quo tamen non sustentatur. Addidi etiam exemplum à subsistentiâ Verbi petitum, hæc enim etiam perficit humanitatem sine dependentiâ ab ipsâ: quam doctrinam nonnulli reiiciunt, opinantes, nullam rem posse perfici, nisi ab eâ quam materialiter causat. Mouentur Primò, quia perfectio non est sine motu, motus autem non est sine causalitate. Secundò, quia aliunde non potest explicari, cur Verbum non perficiatur per vnionem humanitatis, quandoquidem verè denominatur intrinsecè ab illâ vnitum, &c.

88 Res hæc debet exactè declarari, & quidem Primò doctrina horum manifestè reijcitur, quia materia prima non solùm perficitur per vnionem cum animo rationali, quam causat materialiter, sed multò magis & principaliùs per ipsum animum, quem nullo modo causat; ergo, si perfectio in genere causæ formalis non prouenit nisi à motu formaliter, id est à re causata materialiter, non poterit materia perfici ab animo rationali quem non causat, sed à solâ vnione quam producit materialiter.

Dices: Perficitur ab animo mediante vnione quam causat, etiamsi non causet ipsum animum. Sed contrà, quia dicis, humanitatem Christi Domini non perfici propriè per subsistentiam Verbi, sed solùm per vnionem receptam in humanitate, quia subsistentia non causatur ab humanitate, licet causetur vnio ad eam; vnde ego
89 sic euidenter arguo: Ergo etiamsi causetur vnio ad animum rationalem, quia tamen hic non causatur, non magis perficietur materia per animum, quàm non perficiatur humanitas Christi per subsistentiam Verbi, quia neuter in se causatur, vtriusque autem vnio causatur. Neque poteris respondere, discrimen esse, eò quòd animus etiam in se recipiat vnionem quam non recipit Verbum; hoc enim nō esset ad rem, quia hæc differentia bona est ad explicandum, quomodo animus in se perficiatur per vnionem, non verò Verbum: in ordine autem ad perficiendam materiam parum vel nihil conducit vnio in animo recepta, quia non perficitur materia per vnionem in animo receptam, sed per receptam in se, in quâ sunt æquales & humanitas respectu Verbi, & materia respectu animi rationalis; non ergo duo hæc tua principia cohærent.

Secundò eam responsionem impugno ratione 90
à priori: quia licet vnio sit via in genere vniendi, & ideò per illam animus reddatur vnitus, & consequenter communicans effectus formales qui ab vnione per se pendent; in genere tamen motus, seu causalitatis, vnio non est via respectu animi, quia per illam animus nullo modo causatur; ergo perfectio, quæ communicatur à formâ per dependentiam sui, non potest ab animâ communicari mediâ vnione, quia per eam vnionem anima neque est neque fit dependens materialiter à materia. Confirmatur: in genere causandi materialiter, iuxta horum principia, omnino æqualiter se habet corpus & anima rationalis, quælibet enim causat suam partialem vnionem; ergo in genere causandi non est differentia, & tamen corpus est subiectum receptionis respectu animæ, & non è contrario animus respectu corporis; ergo ratio subiecti aliunde est explicanda quàm ex causalitate in eo, ergo speciali & proprio conceptu subiecti, quod tu addideris præter causalitatem vnionis. Dicam ergo, consistere rationem subiecti, etiamsi vnio non causetur neque à materiâ, neque ab animâ, sed per se in vtroque crearetur.

Tertiò absolutè ostendo, in doctrinâ, quam 91
impugno, esse repugnantiam: admittitur enim, saltem diuinitus posse manere vnionem materiæ & formæ, sine vllâ causalitate materiæ in illam (conseruatâ scilicet vnione diuinitus per creationem) quo casu additur, actu & eodem modo ac nunc perficiendam materiam. vnde sic argumentor: Actu perfici, non dicit actualem causalitatem materialem; ergo posse perfici, non dicit posse habere eam causalitatem. Consequentia est euidens, quia si actu esse album v. g. non dicit actu nigredinem, benè infertur, Ergo posse esse album, non dicit formaliter posse habere nigredinem.

Dices fortè, hanc formam argumentandi non valere; nam homo potest esse sine discursu, & tamen non sequitur, Ergo posse esse hominem, non dicit posse habere discursum; ergo similiter, licet possit esse actualis perfectio sine actuali motu, non sequitur posse esse sine potentiâ ad motum. Sed contrà, quia essentia ipsius hominis 92
constituitur in potentiâ ad discurrendum, ideò non mirum, si homo non possit esse sine hac potentiâ, licet possit esse sine discursu. At in præsenti actualis perfectio materiæ non consistit in capacitate motus, sed in ipsâ receptione formæ; per hanc enim perficitur actu, non verò per capacitatem motus, quæ hîc & nunc ad actum non reducitur; vnde benè infero, Actu perfici, adæquatè prouenit à receptione, ergo posse actu perfici, prouenit adæquatè ab hoc quod est posse recipere, & non erit necessum recurrere ad motum.

Dices fortè Secundò, formam huius consequentiæ posse etiam ostendi malam in libertate, vbi actus amoris liber non dicit actum contrarium, aut omissionem illius; potentia verò libera ad eum amorem, dicit potentiam etiam ad omissionem. Respondeo, ibi etiam esse longè aliam 93
rationem, tum quia in meâ sententiâ libertas actus est denominatio extrinseca ab ipsâ potentiâ ad vtrumque. Non potest autem esse actus liber sine formâ, quâ in ratione liberi constituitur: tum quia in omnium sententiâ, potentia libera essen-

tialiter

tialiter est potentia ad duo oppositа diuisiuè; hoc autem non habet locum in aliis rebus seu effectibus formalibus. Si enim potest esse pulcher sine diuitiis, benè infertur, ergo vt possit esse pulcher, non est per se necessum, vt possit esse diues. Ergo vel debes dicere, posse aliquam rem esse subiectum perfectibile etiam per formam, quam nec in se nec in vnione possit causare, quod ego contendo: vel debes negare, posse actu esse subiectum etiam diuinitus, & actu perfici, nisi actu causet, quod etiam est contra te. Hæc circa inconsequentiam.

94 Absolutè autem rem manifestè ostendo Primò hac ratione prudenti & fundamentali totius huius materiæ; quia distinctionem vnionis ab extremis, item & causalitatem extremorum in vnionem, non ideò ponimus, quia aliter nequeat concipi anima rationalis informans corpus, & hoc ab illâ informatum; hoc enim benè concipitur à negantibus vnionem distinctam; sed eam ideò ponimus, quia in rerum naturâ possunt forma & materia manere, non tamen actu vnitæ, aut communicantes sibi effectum formalem, aut se complentes. Vnde inferimus, debere dari entitatem quamdam mediam, quæ sit vnio essentialiter connectens vtrumque extremum, ita vt nec diuinitus, nisi connectens, manere queat; quia separabilitas signum euidens est distinctionis realis.

95 Hæc est tota summa nostri discursus circa distinctionem vnionis. Iam autem ex hoc discursu quomodo infertur, vnionem vel formam mediâ vnione non posse perficere materiam, nisi ea vnio producatur materialiter ab ipsâ materiâ? Distinctio vnionis id non probat, vt per se constat: conceptus perficientis id non petit, quia (vt dixi) solùm propter argumentum separabilitatis distinguitur vnio; & si illud cessaret, rectè intelligeretur informatio sine vllâ causalitate aut vnione mediâ; ergo gratis omnino à te id requiritur, & tibi formas principia vniuersalia, quæ nullum habent in re solidum fundamentum. vnde non
96 video vllam repugnantiam in eo quòd diuinitus dari possit vna forma, quæ non causetur à subiecto, sit tamen inseparabilis ab illo, & consequenter per se sine vnione distinctâ connectatur; sicut vnio tenens se ex parte materiæ, per te non causatur ab animâ, à quâ tamen essentialiter pendet? In eo autem casu nihil materialiter causaretur ab eo subiecto; non vnio distincta, quia non datur; non forma, quia (vt supponimus) licet non possit à subiecto separari, non tamen ab eo dependet materialiter. ergo potest esse ratio subiecti & formæ sine causalitate materiali, cum solâ receptione & informatione.

97 Dices, Non possum aliter intelligere, cur Verbum non sit subiectum vnionis, nisi hoc dicam. Sed contrà, quia si cetera quæ requiruntur ad rationem subiecti proprij, non sunt indigna Verbo, & ea ei tribuis, certè causalitas, seu productio vnionis non deberet ei negari; quia hic conceptus formalis, vt talis, & secundùm quod præcisè dicit productionem, non est conceptus imperfectus, sed potiùs perfectus, debetque Verbo non propter causalitatem, sed propter complementum, aut repugnantiam aliunde petitam, ad nouam in se perfectionem habendam, vel ob aliam rationem, negari ratio subiecti. Deinde, ei negas rationem formæ respectu humanitatis, quod non potest reduci in eo quòd nihil materialiter causet, nam forma, vt talis, non debet aliud in se materialiter recipere, aliàs daretur processus in infinitum formarum vnius supra aliam. Et patet per te, quia ipsa vnio non recipit in se aliam formam, & tamen ipsa denominat & perficit materiam, & est vera forma illius, ergo subsistentia Verbi non excluditur à ratione formæ per hoc quòd nihil in se recipiat. Vide ergo vn- 98
de eam benè reijcias, & inde etiam eam ego tecum reijciam à ratione subiecti. Quid autem id sit, dicetur in materiâ de Incarnatione.

Confirmo totam doctrinam: quia (vt alibi insinuaui) nos nullam habemus efficacem rationem ad dicendum, subiectum aliquod causare materialiter formam; in se enim eam causalitatem non videmus: experientia autem de dependentiâ formæ à subiecto, non probat eam causalitatem, quia rectè potest pendere vnum ab alio, vel vt à termino, vel vt à subiecto adhæsionis, etiamsi ab eo non causetur materialiter (vt tu ipse dicis in vnione tenente se ex parte materiæ, quæ non minùs pendet ab animâ à quâ non causatur, quàm à materiâ à quâ causatur) & ob hanc 99
rationem infrà Disput IX. à num. 51. contra nonnullos ostendam, creationem posse distingui à termino, & illi adhærere, etiamsi ab eo non causetur. Si ergo nulla experientia vel efficax ratio persuadet hanc causalitatem materialem, vnde infers, eam etiam diuinitus necessariam esse, vt vna res informet aliam? Certè id non nisi purè gratis & contra communem sensum à te dicitur: omnes enim supponunt, subiectum vt sic, aliud esse causationis, aliud receptionis; illud requirere causationem, hoc verò non. Confirmo rursus, ipsa causatio materialis est extra conceptum compositi, & ei accidentalis (vt & hi benè docent) quia actio & passio non sunt de substantiâ rei productæ, de quo infrà. At ratio informationis & receptionis actualis est essentialis & intrinseca toti, ergo receptio seu informatio in suo conceptu non constituitur per eam causalitatem, ergo si per possibile vel impossibile, sine eâ 100
vel ordine ad eam daretur receptio, saluaretur tota ratio informationis. Malè ergo informationem & receptionem per hanc causalitatem explicas, sicuti si Angeli substantiam explicares per actionem quâ producitur. Vnde concludo, subiectum sustentans, prout tale, esse disparatum ad rationem subiecti receptionis, & omnino extra conceptum illius.

SVBSECTIO SECVNDA.

Quid sit subiectum in communi & in particulari.

IAM ergo oportet explicare, quid sit subiectum in communi. Fateor hoc esse difficile; omnibus tamen Auctoribus eadem est difficultas. debent enim omnes admittere, rationem communem subiecti abstrahentis à subiecto informationis purè, & à subiecto etiam sustentationis, vt ex instantiâ corporis respectu animæ rationalis constat. Ego putarem, subiectum sustentationis, prout tale præcisè, & prout contradistinctum à subiecto receptionis, magis pertinere ad 101

genus causæ, & meliùs posse simul cum causâ efficienti sub vnâ generică definitione includi, quàm simul cum subiecto receptionis: hoc enim vt tale, est pars componens & perfectibilis, nihilque producens propriè. Illud verò nihil componit, sed purè producit, etiamsi eius productio exigat naturaliter subsequi vnionem rei productæ, cum ipso quo differt à causâ efficienti, quæ talem vnionem non exigit, & conuenit aliquomodò cum subiecto informationis, quatenus eo ipso quòd petit subsequi vnionem, petit etiam esse subiectum informationis; quod non sufficit, vt vnicâ definitione comprehendatur: causa enim & effectus, radix & res radicata formaliter, vt tales, non videntur posse vnâ definitione explicari. Ergo distinguendo priùs vtrumque subiectum, sic quodlibet seorsim definio, fortè posteà poterimus pro vtroque communem aliquam definitionem formare. *Subiectum sustentationis est, quod aliquid causat cum naturali exigentiâ, vt illud idem in se mediâ vnione recipiat, & ab eâ physicè perficiatur.* Quæ definitio per se satis est clara. Subiectum verò informationis, quod iam reducitur ad rationem compartis, potest sic definiri: *est illud quod in se incompletum est, & vnitur alteri à quo perficitur.* 102

Tò *in se incompletum* est genus ad subiectum & ad formam: ambo enim sunt in se incompleta, & per hanc excluditur purus terminus, qui non necessariò est incompletus. vnde ostenditur, subsistentiam Verbi nec formam esse, nec subiectum, quia in se completissima est.

Per τὸ *vnitur per se alteri*, excluditur subiectum præcisè causans, quod vt tale non vnitur, licet habeat vnionis exigentiam. Hinc autem videtur posse ab vtroque subiecto abstrahi cõmunis ratio, si τὸ *vnio* ponatur vel formaliter, vel radicaliter. sed hæc magis est disiunctiua definitio, cuius vna pars in vno alia in altero reperitur, quàm vna quæ tota in vtroque reperiatur. Dicas ergo, si vnicam vis habere, hoc modo, *subiectum est quod in se incompletum est, petitque vnionem cum altero à quo perficitur*, hæc conuenit vtrique, quia sustentationis subiectum eam vnionem petit mediâ causalitate, informationis verò per se immediatè. Vtraque autem est vera exigentia. 103

Maior est difficultas in distinguendâ formâ à subiecto: sed hæc nobis cum aliis communis est, quia, cur corpus sit subiectum animæ, & non è contrario, non potest per aduersariorum causalitatem explicari, quia (vt suprà ostendi) quælibet causat suam vnionem: anima verò rationalis neque causat neque causatur à corpore; quoad præsentem ergo difficultatem iam sumus in hoc æquales. Suprà Disput. 2. à num. 17. dixi, cur aliquid vocetur *subiectum*, aliquid *forma*, id huc applica. Dixi autem, subiectum differre à formâ in eo, quòd ad eam præsupponitur; ergo vt hæ definitiones subiecti bonæ sint, addatur hoc illis, & breuiùs sic definiatur, *subiectum est quid incompletum & præunum ad eam rem cuius vnionem petit vt ab eâ perficiatur.* Iam enim hoc modo etiam forma distinguitur. 104

Hinc concludo, non benè inferri à nonnullis, ex eo quòd res incapax motus non possit perfici, debere è contrario eam quæ perficitur, esse causam materialem; sufficiet enim si recipiat etiam sine causalitate: tunc enim eo ipso mutatur seu mouetur; quod ostendi suprà ex communi sensu Theologorum & Philosophorum in animâ rationali, quia per illam & per vnionem mouetur materia, & tamen solam vnionem causat. Item si actus liberi Dei essent quædam formalitas modaliter à Deo (vt dixit Caietanus) distincta, & ea in tempore inciperet, etiamsi non causaretur materialiter à Deo, sed solùm in ipso reciperetur, in omnium sententiâ Deus mutaretur. Concludo ergo, motum non exigere ex conceptu suo eam causalitatem prout hucusque ostensum est; nisi fiat quæstio de nomine circa significatum huius vocis. 105

SVBSECTIO TERTIA.

Quid sit terminus intrinsecus.

VT pleniùs, quid sit subiectum, intelligatur, oportet hîc aliquid de termino intrinseco explicare, & eius differentiam à subiecto declarare. Res hæc valdè difficilis est. Dicunt nonnulli, terminum intrinsecum esse, qui ex conceptu suo ita attingit aliud, vt petat illud sibi intimè penetratum. Sed contrà Primò, quia Deus respicit hoc modo creaturas omnes: petit enim essentialiter esse intimè illis præsens, quas tamen non respicit vt terminum intrinsecum. Secundò, non omnis terminus debet esse intimè præsens hoc modo, vt patet in vnione continuatiuâ, tenente se ex parte vnius extremi, quæ respicit aliud extremum, vt terminum intrinsecum, & tamen non sunt penetratæ, sed contiguæ. Contiguitas autem immediata, etiam in multorum sententiâ, requiritur inter causam & effectum; aiunt enim, nec operando in medio, posse causam in distans operari. Quæ sententia, licet aliunde sit falsa, non tamen ideò quia sequeretur ex eâ, causam esse intrinsecam effectui: ergo esse terminum intrinsecum, non consistit adæquatè in eâ exigentiâ intimæ contiguitatis. Vnde meritò illi reiiciuntur, qui dicunt, ideò Verbum esse terminum intrinsecũ vnionis hypostaticæ, quia si per impossibile Verbum non esset vbique, ex vi tamen vnionis deberet fieri intimè præsens humanitati: reiiciuntur, inquam, quia hi solam petunt præsentiam localem, quomodocumque id explicent, quod manifestè iam reiectum est. 106 107

Secundò alij apud P. Hurtadum hac Disputat. v. num. 86. aiunt, terminum intrinsecum esse illum, qui cum re quam terminat init compositionem intrinsecam. Hæc reiicitur à nonnullis, quia actio respicit vt terminum intrinsecum, rem productam, cum quâ tamen nullam facit compositionem. Sed hæc impugnatio nulla est; quia licet actio non faciat substantialem compositionem cum termino producto, facit tamen accidentalem per se, non minùs quàm ex albedine & subiecto; illa enim denominatio producti, quandoquidem est intrinseca, debet esse per vnionem, non quidem distinctam ab ipsâ actione, sed per ipsam; quia est modus intrinsecus termini, ideoque vnitur per se illi. Et hoc ab omnibus dicendum est independenter ab hac quæstione de conceptu termini intrinseci, & ipsemet arguens fatetur, omnem terminum intrinsecum talem habere vnionem. Secundò idem impugnat, quia illa declaratio relinquit tam obscuram quæstionem, 108

ac

ac si nihil fuisset dictum: quia æquè difficilis conceptu est intrinseca compositio, ac terminus intrinsecus. Hæc etiam impugnatio nulla est, quia (vt statim constabit) quid sit intrinsecè componere, magis est notum quàm intrinsecè terminare. Melius ergo impugnantur, quia hæc etiam 109 conuenit formæ & subiecto, ergo non est propria definitio termini intrinseci. Patet Antecedens, quia etiam forma & subiectum ita vniuntur, vt faciant compositionem intrinsecam, item forma & subiectum inuicem referuntur; vbi ergo est differentia puri termini intrinseci, à subiecto & formâ?

Reiectis aliis sententiis, nonnullus ita definit: *Terminus est id, ad quod refertur aliqua res, quæ illi non est extrinseca, & quæ ab illo non pendet in genere causæ materialis, nec alius intrinsecæ.* Addit, non esse mirandum, per negationem terminum explicari, multa enim hoc modo definiuntur communiter. Ego benè admitto, multa per negationem definiri; verùm ipsammet rem positiuam, quæ definitur, explicare per negationem negationis ipsius, hoc non vidi vmquam 110 benè fieri: perinde ac si quis interrogaret, *quid est lux?* responderetque alius, *quod non est tenebræ.* Ratio huius est manifesta, quia carentiæ nobis non sunt notæ, nisi ex terminis positiuis quos negant. vnde si vel terminus positiuus est ignotus, vel est idem de quo agitur, non potest per negationem illius aliquid explicari. Iam verò id fieri in præsenti, patet, quia difficultas tota est ratione illius particulæ *intrinseci*, quia ratione illius redditur difficilis intellectu *terminus intrinsecus*: illa autem declaratur per negationem *extrinseci*, extrinsecum autem est negatio intrinseci. Vides ergo, nihil hîc explicari? Confirmo: tanta difficultas est in explicando termino extrinseco, quanta in termino intrinseco, vt consideranti patebit; quia sunt priuatiuè opposita, & explicato vno, aliud eo ipso intelligitur; ergo non 111 benè vnus per alium explicatur. Vnde in humanitate Christi tota difficultas est in explicando, cur Verbum non se habeat extrinsecè, cui difficultati non præbet facem hæc definitio. Secundò, si *non extrinsecus* est aliquid per se clarum, tunc faciliùs hoc modo dicere potuisset: *Terminus intrinsecus est, qui vnitur, & non extrinsecè cum alio, neque in genere causæ materialis aut formalis.* nam per verbum *vnitur*, magis quàm per *respicitur*, explicatur intima connexio vtriusque. Ego in hac quæstione, sicut etiam in aliis, suppono, nos debere deuenire ad aliquos terminos vel conceptus ex se, si non euidenter, saltem probabiliter notos, quos non possumus ampliùs explicare, aliàs in infinitum pergeremus ex vno ad aliud. Hoc posito, dico, quid sit vnio seu nexus duarum rerum inter se. Concipimus id ex materialibus & crassis exemplis, quibus videmus vnam rem vni- 112 ri, coniungi, conglutinari cum aliâ. Hinc dicimus. *Vnio est nexus duo inter se connectens*, qui conceptus non potest à nobis ampliùs explicari, nisi summùm excludendo imperfectionem connexionis materialis quam videmus, quæ non fit immediatè, sed per corpus glutinosum interpositum: physica autem fit immediatè per rem aliam, quæ immediatè est in ipsis rebus vnitis, vel in aliquâ illarum, vt suprà dixi.

Ex his dico, terminum intrinsecum esse illum *qui verè & per se vnitur alteri, & non in genere causæ materialis vel formalis.* Quoad exclusionem hanc vltimam conuenio cum Auctoribus è num. 109. & per eam ponitur differentia puri termini intrinseci à subiecto & formâ; quæ, licet sint intrinsecus terminus inter se, non tamen puri termini: & ex defectu huius particulæ dixi suprà, definitionem puri termini, secundo loco positam, non esse bonam, nec adæquatam. Primam partem definitionis, *quæ verè vnitur per* 113 *se*, pono tamquam rationem genericam ad purè terminum, & ad subiectum & formam; & in hoc conuenio cum secundâ definitione suprà positâ; puto autem ex se esse eos terminos probabiliter notos. Alij verò termini qui sunt loco differentiæ, noscuntur, si sciatur quid sit subiectum, quid forma: tunc enim scietur quid sit, non vniri per modum subiecti & formæ, & consequenter scietur, quid sit terminus purè intrinsecus. Quid autem sit subiectum, suprà dixi Subsectione 2. quid sit forma, dicam infrà: vtrumque autem à me explicatur, & non per negationem termini puri, ne faciam vitiosum circulum.

Hinc deduco, Verbum diuinum esse terminum 114 intrinsecum, quia verè & propriè vnitur humanitati (vt Fides docet) non verò esse subiectum aut formam, quia non est in se incompletum, quod requiritur ad rationem subiecti, iuxta dicta suprà, & ad rationem formæ, iuxta infrà dicenda. Vnde concluditur, necessariò esse purè terminum intrinsecum. Hæc in re ita à sensibus alienâ mihi occurrunt: si clariùs aliquis eam explicuerit, illi libenter acquiescam.

SVBSECTIO QVARTA.

Vnio recipitur in vtroque extremo.

ADVERTE, eos qui non distinguunt productionem formæ ab vnione, teneri non ponere vnionem vt in subiecto sustentationis in formâ. Ratio est, quia productio nequit habere pro subiecto sustentante ipsum terminum productum: sequeretur enim, idem causare se ipsum, nam causaret productionem sui, quod formalissimè est se ipsum causare; hoc autem omnino repugnat, de quo infrà P. Suarez Disp. XIII. Metaphysicæ, sect. 9. circa 2. difficultatem de 115 subiecto vnionis, asserit eam recipi in solâ formâ: tota enim agentis efficientia eò præcisè tendit, vt educat formam ex materiâ, & consequenter vt ponat vnionem formæ in ipsâ formâ. Non video huius consequentiæ vim: licet enim tota vis agentis tendat ad eductionem formæ, non ideò vnio debet poni in solâ formâ; sicut neque eductio ipsa formæ ponitur in formâ, etiamsi ea eductio solùm tendat ad formam extra causas ponendam. Secundò, agens intendit facere hominem, leonem, &c. ad hoc autem non potiùs requiritur vnio in formâ, quàm in materiâ.

P. Vasquez eam etiam ponit in solâ formâ, ideò tamen, quia hæc determinatur ad materiam. Sed contrà: quia etiam materia determinatur ad formam, est ergo par ratio.

Ideò alij eam ponunt in solâ materiâ, quia si 116 vtraque pars esset subiectum vnionis, vtraque deberet supponi producta ante vnionem; atqui forma materialis non potest intelligi producta

antequam vniatur, ergo non potest esse subiectum vnionis. Probatur Minor, quia causalitas materialis includit formaliter vnionem, per quod differt à causalitate efficienti, quæ eam non includit, ergo non potest intelligi causalitas materialis sine vnione; sed forma non potest esse ante suam causalitatem, ergo neque ante vnionem, ergo nec subiectum vnionis.

Non vrget hæc ratio, quia (vt paulò antè dixi) causalitas materialis formaliter non includit vnionem, sed illam exigit pro eo instanti reali in quo est, quo sufficienter differt à causalitate effi-
117 cienti nullatenus eam vnionem exigente: vnde rectè potest in aliquo priori intelligi forma producta materialiter à materiâ, etiamsi in illo priori non intelligatur vnita illi, sed solùm intelligatur petens eam vnionem. Imò valdè probabile censeo cum P. Hurtado Disput. 5. §. 27. posse de potentiâ absolutâ manere formam productam materialiter à materiâ, non tamen illi vnitam, etiam pro toto instanti reali; neque enim vlla est ratio cogens ad asserendum, inter causalitatem materialem & vnionem reperiri connexionem ita essentialem, vt à Deo separari non possint: sufficit enim, si detur connexio naturalis, per quam sufficienter differt à causalitate effectiuâ, quæ nullatenus eam vnionem nec naturaliter exigit.

118 Igitur dicendum censeo, Vnionem subiectari in vtroque extremo, vt in subiecto receptionis & sustentationis. Hæc est communior. Probatur quoad primam partem de receptione, quia non est vlla ratio, cur specialiùs eam ponamus in vno quàm in altero: vtrumque enim æqualiter vnitur alteri, & vtrumque incompletum est substantialiter, egetque perfectione ab vnione communicandâ, ergo hæc est in vtroque, vt in subiecto receptionis. Quoad secundum verò de sustentatione, eodem etiam argumento, quia non est vlla ratio, cur debeat magis ab vno extremo quàm ab altero causari; vtrumque enim videtur æquè potens, applicatum, &c. & vnio æquè ab vtroque pendens, ergo æquè ab vtroque causabitur. Confirmatur tota Conclusio: quia licet
119 (vt hucusque ostendi) possit intelligi, quâ ratione res aliqua intrinsecè vniatur per vnionem, cuius tantùm sit terminus intrinsecus (vt patet in Verbo diuino humanitati vnito) negari tamen nequit, quin difficulter percipiatur & explicetur, in quo sita sit essentia purè termini intrinseci; facilè autem intelligatur, quâ ratione possit extremum vniri per formam in se receptam. Non est ergo, cur in præsenti ponamus vnionem in vno extremo vt in subiecto, & in alio vt termino; sed æquius erit, eam ponere in vtroque vt in subiecto receptionis, quæ erat prima pars nostræ sententiæ. Quòd verò vtraque pars debeat esse subiectum etiam sustentationis, constat à simili de omnibus aliis formis, quas ponimus dependentes materialiter à suis subiectis, exceptâ rationali, quia creatur; & exceptâ etiam ipsâ actione creatiuâ, respectu sui termini, propter specialem dif-
120 ficultatem: quia scilicet actio non potest causari vllo modo nec materialiter à suo termino (de quo fusiùs infrà) vbi autem cessant rationes difficultatis, semper dicimus, subiectum informationis esse etiam subiectum sustentationis. Idem ergo erit de vnione respectu formæ & materiæ, sicut etiam de subsistentiâ dicam suo loco, propter eamdem rationem in vtroque extremo recipi & causari materialiter. Neque video vbi in hoc modo discurrendi inuenerint aliqui recentiores inconsequentiam quam obiicere possent. Hinc intelliges, quid sit in vnione informatio & materialização; illa enim eadem vnio vt comparata cum materiâ, & quatenus per eam materia vnitur formæ, dicitur materializatio; quatenus verò eadem vnio tenet se ex parte formæ eam vniens materiæ, dicitur informatio: qui duo conceptus non rea- 121
liter (vt P. Hurtadus vult) sed ratione distinguuntur, quatenus possum concipere vnionem recipi in materiâ, non concipiendo eam recipi in formâ, & è contrario.

Sed Primò obiicies: Si vnio causaretur materialiter à materiâ & à formâ, darentur duæ causæ totales illius, quod naturaliter repugnat. Nego sequelam: quia non potest vnio sine vtraque re conseruari, inde vtraque efficit vnam causam totalem, quælibet autem partialem.

Secundò: Res materialis non potest subiectari in re spirituali, ergo neque vnio humana in animâ rationali. Sed hoc suprà reiectum est, & fusiùs reiicietur Disputatione 1. de Animâ, à n. 99.

SVBSECTIO QVINTA.

An vnio possit creari.

QVÆRITVR, vtrùm vnio possit de potentiâ 122
absolutâ creari, id est, ita vniri materiam & formam inter se, & ipsa vniri cum vtraque, vt tamen non causetur ab illis materialiter, sicut anima rationalis, licet sit vnita materiæ, non tamen ab illâ causatur. Respondeo, probabile esse, id non repugnare. licet enim vnio se ipsâ partibus vniatur, ideoque non possit esse nec de potentiâ absolutâ non vnita illis, non tamen causatur se ipsâ ab illis, sed per causalitatem distinctam; Deus autem potest supplere defectum causæ in ordine ad terminum productum ab eâ causâ, si pro actionem distinctam ab ipso termino producatur, & infrà fusiùs probabitur, ergo poterit Deus se solo sine concursu materiæ & formæ vnionem conseruare, quo casu compositum verè crearetur in ratione compositi, quia vt sic reduplicat supra vnionem, quam supponimus creatam. Imò etiam omnes partes illius possent 123
creari: si enim potest creari vnio, à fortiori poterit & ipsa forma substantialis; nihil ergo esset tunc in illo composito quod non crearetur.

Hic se defatigant aliqui, inquirentes, cur materia prima dicatur etiam naturaliter creata, quandoquidem ipsa includit vnionem partium, quæ non creatur, sed generatur, non minùs quàm vnio humana. Ego ab hac difficultate facilè me expedio, quia puncta materiæ sunt verè & propriè materia; illa autem puncta non includunt vnionem, ac propterea verè ratione illorum dicitur creari materia, quod non contingit in partibus essentialibus: quia quælibet seorsim sumpta, nec est nec dicitur homo, sed illæ prout vnitæ; vt sic autem non creantur naturaliter, sed generantur, etiamsi diuinitus, vt dictum est, possit etiam vnio creari.

Hic tamen aduerte contra ponentes mate- 124
riam essentialiter diuisibilem sine vllis punctis mate-

materiæ, difficulter, imò vix posse argumento responderi; ipsi enim nulla alia puncta in continuo admittunt, nisi vniones, ex parte verò ipsius materiæ nulla puncta, nullas lineas, nihil indiuisibile. Vnde sic argumentor euidenter: Non solùm non datur actu punctum materiæ carens vnione, sed neque prout distinctum ab vnione, nihil est indiuisibile, imò neque concipi potest in quantitate iuxta horum principia; ergo non minùs est essentialis materiæ vnio aliqua, quàm est essentialis homini. Probo euidenter & ad hominem consequentiã, quia ideò de essentiâ hominis est vnio, quia sine vnione non potest concipi homo; sed sine vnione non potest concipi materia, ergo etiam de essentiâ materiæ est vnio.

125 Dices, Etiam homo non potest existere sine aliquibus modis, qui tamen non sunt de essentiâ hominis. Sed contrà, quia non solùm materia non potest in tuâ sententiâ existere sine vnione, sed neque concipi; aliàs iam conciperentur & darentur indiuisibilia materiæ, quæ tamen per vnionem constituerent rem diuisibilem seu partem, quod per hos omnino repugnat, qui docent, excepto vnionibus nihil indiuisibile concipi posse in materiâ; at homo, & aliæ substantiæ, licet existere nequeant sine aliquibus modis, possunt tamen saltem concipi sine illis, imò priùs naturâ ad illos concipiuntur; vnde benè infertur, eos non esse de hominis essentiâ. Confirmo argumento etiam his valdè familiari, & pero, an si per possibile vel impossibile à materiâ separaretur omnis vnio, maneret materia vel
126 non. Si non, ergo vnio est de essentiâ materiæ: si verò maneret materia, necessariò deberet esse indiuisibilis, quia sine vnione non posset esse diuisibilis. ergo etiam nunc positâ vnione sunt vera puncta indiuisibilia materiæ, licet vnita & constituentia totum diuisibile, quod à te negatur. Probo euidenter consequentiam: quia vnio non tollit indiuisibilitatem punctorum inter se, sed ea inuicem connectit, vt per se patet. Et hoc argumentum notandum est pro his quæ, agentes de Continuo, Deo dante dicemus. Ipso autem exemplo de modis confirmo rursus hanc doctrinam: quia enim vbicatio non est de essentiâ hominis (si enim per impossibile illa non daretur, maneret homo & idem qui nunc, sed non maneret vbicatus, quia in isto effectu iam includitur vt pars ipsa vbicatio) ergo si dicis vnionem non esse de essentiâ materiæ, teneris fateri, eâ ablatâ per impossibile, mansura sola indiuisibilia, quæ insuper essent verè materia; & tunc infero, iam nunc etiam esse indiuisibilia, sed vnita: vel si negas tunc mansuram materiam, necessum est dicas, de eius essentiâ esse vnionem; quia vt benè 127
etiam contra Connotantes argumentaris, ablato per possibile vel impossibile solo illo quod est extra essentiam rei, non potest dici, per locum intrinsecum rem illam perire. ergo si vnio partium non est de essentiâ materiæ primæ, eâ vnione solâ per impossibile ablatâ, deberet manere materia; vel si hæc non maneret, ergo vnio erat aliquid essentialiter componens materiam, sicut vnio humana hominem, quod contendo.

Subodoratus est hanc difficultatem in suâ sententiâ nonnullus, ideò confugit ad sententiam de solis pũctis finitis, vt obiectioni suprà nu. 125. propositæ responderet, additque, in suâ etiam sententiâ non habere vim, quia materia id habet eò quòd ex suo conceptu est semper diuisibilis. Admitto hoc illi, sed inde vrgeo argumentum: quia si de conceptu materiæ est diuisibilitas, & de conceptu diuisibilitatis est vnio de primo ad vltimum, de conceptu materiæ erit vnio, sicut de conceptu hominis est vnio essentialis; ergo materia non creabitur naturaliter, non secùs ac non creatur homo. neque video vllam vel apparentem euasionem.

DISPVTATIO QVINTA.

De Toto composito.

SECTIO I.

Totum non differt à partibus & vnione.

1 TRIPLVM potest habere sẽsum hæc difficultas. Primus est, vtrùm cõpositum addat aliquid supra materiam & formam simul sumptas, quo sensu agitatur à Conimbricensibus hìc cap. 2. quæst. 1. art. 1. vbi docent, probabile esse, addere aliquid aliud. Verùm in hoc sensu explicata est à nobis hæc difficultas Disput. IV. Sect. 1. vbi ostendimus, compositum addere supra partes vnionem distinctam ab illis; imò in rigore hoc non est disputare, vtrùm totum distinguatur à partibus & vnione, sed solùm vtrùm distinguatur à partibus solis.

Porrò vnionem esse de essentiâ hominis (idem est in aliis compositis) & non esse conditionem extrinsecam vt sit homo, probatur argumento à nobis sæpè facto contra Connotantes: quia solâ ablatâ vnione inter animam & corpus, omnibus licet aliis per possibile vel impossibile manentibus, non manet homo; ergo sine vnione non manet tota essentia hominis, ergo vnio est aliquid de eius essentiâ. In hoc non oportet magis hærere.

Secundò quæri potest, vtrùm compositum 2
distinguatur ab omnibus suis partibus, & vnione illarum. Et in hoc sensu videtur explicatis terminis euidentissima pars negatiua: nam vel illud, quod potest dici addere compositum supra omnes partes & vnionem, est aliquid ipsius compositi, vel non. si non est aliquid compositi, ergo compositum non illud dicit, ideoque nec addit illud supra omnes partes: si verò illud est aliquid compositi, ergo iam est pars compositi, ergò intratin partium compositi numerum, ergo supra omnes partes & vnionem nihil potest addere compositum.

Obiicies Primò: Totum generatur & corrumpitur,

rumpitur, non verò partes illius, vt patet in homine; ergo totum aliquid distinctum est à partibus. Hoc argumentum probat distinctionem vnionis à partibus: nam ex corruptione vel generatione vnionis corrumpitur vel generatur homo, in aliis compositis etiam tunc generatur vel destruitur forma substantialis; hinc autem nullâ ratione probatur, totum distingui à partibus & vnione.

3 Obiicies Secundò: Causa debet distingui ab effectu; sed partes sunt causa compositi, ergo hoc debet distingui à partibus. Hoc argumentum probat, non solùm compositum addere aliquid supra partes, sed partes etiam adæquatè distingui à composito, sicut causa debet adæquatè distingui ab effectu. Respondeo ergo, partes non esse propriè causas compositi, sed solùm secundùm quid & impropriè, quatenus per cõmunicationem hîc mediâ vnione illud constituunt: ad quod non requiritur vt distinguantur à toto composito, imò potiùs debent esse idem cum illo; requiritur autem, vt partes inter se distinguantur adæquatè, à toto verò quælibet inadæquatè. Hinc inferes, vnionem non esse propriè causalitatem in compositum, quia sicut partes non sunt propriè causæ, ita nec vnio erit propriè causalitas, sed solùm Metaphoricè.

Rogabis, an saltem ratione nostrâ distinguatur totum ab omnibus partibus & vnione. Respondeo, solùm distingui penes conceptum magis vel minùs explicitum, sicut homo distinguitur ab animali rationali, non autem obiectiuè, neque vt vna formalitas ab aliâ, etiamsi in aliis rebus creatis admitteremus eiusmodi formalitates obiectiuas distinctas: neque penes diuersa connotata, quia eadem quæ respicit homo, respiciunt materia & anima inter se vnitæ.

4 Tertius tandem sensus quæstionis est, vtrùm compositum v.g. homo, addat aliquid vltra materiam, formam & vnionem; an verò hæ sint tota hominis essentia. P. Vasquez Tomo 1. in 3. Partem disp. 19. num. 26. censet, ex formâ substantiali deriuari in materiam quoddam esse substantiale, à formâ, materiâ & vnione distinctum; in formis autem accidentalibus non admittit aliquid accidentale deriuatum à formâ in subiectum, quia albedo, inquit, nullâ aliâ ratione facit album, nisi se ipsam communicando subiecto. Hæc secunda pars videtur certa. Primam probat, quia corpus hominis v. g. non solùm recipit animam, sed etiam viuit & est principium sentiendi; ergo quia recipit ab animâ aliquod esse substantiale. Sed retorqueo argumentum contra P. Vasquez: illud esse substantiale, quod à formâ

5 deriuatur in materiam, est distinctum ab ipsâ materiâ, ergo materia in tantum poterit viuere & esse principium operationum sentiendi, in quantum est vnita illi esse substantiali, tamquam cum formâ; ergo vt recipiat ab animâ rationali denominationẽ viuentis, &c. sufficiet illam vniri cum animâ tamquam cum formâ, sicut sufficit vniri cum ipso esse substantiali deriuato ab ipsâ formâ: & sicut illud esse substantiale per modum formæ, etiamsi ex illo non deriuetur aliud esse (alioquin daretur processus in infinitum) communicat suum effectum formalem materiæ per vnionem sui cum illâ; ita similiter illud communicabit ipsa forma substantialis immediatè per se sine aliâ deriuatione, quia magis viuens est ipsa anima, quàm illud esse deriuatum; & tam anima vnitur materiæ, quàm illud esse, ergo tam anima communicabit immediatè vitam, quàm illud esse medium.

Secundò arguit: Anima, cùm sit spiritualis, per se ipsam non potest tribuere materiæ esse corporis animalis, &c. ergo debet ab illâ deriuari aliud esse substantiale distinctum, quo materia compleatur in ratione corporis animalis, &c. Hoc argumento deberet probare P. Vasquez, animam esse extra rationem hominis, quod est contra ipsum. Patet sequela, quia ipse docet per animam 6
rationalem non posse materiam compleri in ratione animalis, ergo completur in ratione talis per aliquid distinctum ab animâ, & in quo ipsa non includatur; ergo animal, signando hominem, non dicit animam rationalem, ergo neque eam dicit homo. Patet hæc vltima consequentia, quia *hoc animal*, signando hominem, rectè prædicatur de homine, & è contrario: vnde nihil potest reale esse essentiale homini, quod non sit huic animali. Si enim aliquid esset diuersum, sicut non benè prædicatur, *homo est anima*, eò quòd homo dicit aliquid aliud; ita nec, *homo est animal*. Neque hîc potest habere locum doctrina nostra de significato in recto, quia homo animam dicit in recto, ergo si hanc non includit etiam *animal*, non poterit rectum *hominis* & *animalis* esse idem inter se absolutè, & consequenter nec identificari, neque de homine animal prædicari, aut è contrario. Deinde, ab animâ in homine non potest deriuari esse materiale, quia ipsa est spiritualis; ergo debet deriuari esse spirituale, de quo redit difficultas P. Vasquez, quâ scilicet ratione possit complere materiam in ratione animalis, &c. Denique respondeo, viuens etiam corporeum, animal, &c. solùm includere materiam, vnionem, & formam, siue forma sit spiritualis, vt humana, siue materialis, vt reliquæ; & ratione huius ponitur in Prædicamento Substantiæ corporeæ, iuxta dicta Disputatione 111. vbi ostendimus contra Scotum, non esse in homine necessariam formam corporeitatis. 7

Tertiò arguit: Quia materia habet vitam corruptibilem; sed anima rationalis est incorruptibilis, ergo vita materiæ non est ipsa anima rationalis. Respondeo, corpus viuere corruptibiliter; quia licet vita quam habet, id est anima rationalis, sit in se incorruptibilis, vnio tamen ipsius corporis cum hac vitâ, est corruptibilis; vnde respectu corporis perinde se habet, ac si ipsa vita animæ esset corruptibilis.

Reiicienda ergo P. Vasquez opinio, tum quia (sicut ipse & meritò docet) forma accidentalis præcisè per vnionem sui cum subiecto sine alio esse deriuato ab ipsâ formâ, communicat suum effectum formalem accidentalem subiecto, ita substantialis forma præcisè per vnionem sui communicabit suum effectum formalem substantialem materiæ. Et ratio à priori est, quia effectus formalis formæ nihil aliud est, quàm forma vnita subiecto capaci; si forma fuerit accidentalis, effectus formalis erit accidentalis; si forma substantialis, erit substantialis & effectus. 8
Quod confirmo hac ratione: quia tam potens est forma substantialis in genere substantiali, quàm accidentalis in accidentali; ergo sicut hæc per solam

lam vnionem ſui conſtituit totum accidentale, ita illa per ſolam vnionem ſui, ſine alio eſſe diſtincto deriuato ab illâ, conſtituet totum ſubſtantiale. Denique diſpiicet ea ſententia P. Vaſquez, quia omnia illius argumenta probant æquè, vt vidimus, illud eſſe ſubſtantiale deriuatum à formâ, non poſſe ſuum effectum communicare materiæ ſine alio eſſe deriuato, & ſic in infinitum, ac ipſam formam non poſſe per ſui vnionem effectum ſubſtantialem formalem materiæ communicare: ergo ſicut non eſt admittendum aliud eſſe ſubſtantiale tertium, deriuatum ab illo ſecundo, quod ponit Vaſquez, ne detur fruſtrà proceſſus in infinitum, ita neque illud ſecundum à formâ deriuatum admitti debet.

SECTIO II.

An accidentia materialia ſubiectentur in toto compoſito.

9 ACCIDENTIA ſpiritualia hominis in ſolâ ſubiectantur formâ rationali, quia nihil ſpirituale poteſt in materiali ſubiectari, ideoque præſens quæſtio ſolùm eſt de accidentibus materialibus, quæ ſunt in duplici genere; aliud enim eſt quantitas (ſi diſtinguatur) coæua materiæ, & incorruptibilis ſicut illa; alia ſunt accidentia communia corruptibilia, vt calor, frigus, &c. & de vtriſque poteſt eſſe quæſtio præſens.

SVBSECTIO PRIMA.

Sententia affirmans, quantitatem & alia accidentia communia recipi in formâ ſubſtantiali, reijcitur.

THOMISTAE communiter apud P. Suarezium Diſput. 14. ſect. 3. num. 6. quos ſequitur Vaſquez Tomo 2. in 3. Partem, diſp. 129. num. 30. Rubius de Generatione cap. 4. tract. 3. quæſt. 7. num. 17. docent, quantitatem recipi in toto compoſito. Eorum fundamenta probant etiam idem de accidentibus communibus, de quibus etiam idem ſentiunt.

Primum ſit ex Ariſtotele, aſſerente, in corrupto nullum ſenſibile ex præcedentibus manere, ergo ſentit, illa ſubiectari in toto compoſito, alioquin non perirent præcisè ex defectu formæ. Quidam explicat Ariſtotelem de ſenſibili ſubſtantiali, id eſt, de ipsâ formâ ſubſtantiali quæ corrupta eſt.
10 Hæc explicatio eſt extra mentem Ariſtotelis, tum quia dicit, nullum ex ſenſibilibus præcedentibus manere, ergo non loquitur de ſenſibili ſubſtantiali, ſeu de formâ, quia hæc tantùm erat vna; Ariſtoteles autem ſupponit fuiſſe multa ſenſibilia, ergo per ſenſibile ſolùm intellexit accidentia, quæ ſunt plura in eodem compoſito. Deinde dum dixit Ariſtoteles, compoſitum ſubſtantiale fuiſſe corruptum, dixit iam ibi non manere formam ſubſtantialem: ergo quando poſteà addit, in eo compoſito corrupto nullum ſenſibile manere, non ſolùm ſignificat non manere formam ſubſtantialem, quia hoc iam erat dictum, ſed nec manere accidentalem. Reſpondeo ergo, etiamſi Ariſtoteles ſenſerit, accidentia corrupti non manere in genito; non tamen inde inferri, illum ſenſiſſe illa ſubiectari in toto compoſito: nam etiamſi in illo non ſubiectarentur, poſſent ab illo pendere in alio genere cauſæ, & ex eius defectu corrumpi. Adde, de quantitate ipſum non locutum, quia quantitas non eſt propriè accidens ſenſibile.

Secundò arguunt ratione: Quia in corruptione fit reſolutio vſque ad materiam primam, ergo accidentia ſubiectantur in toto compoſito. Falſum Antecedens, quia in cadauere v. g. manet color, calor, & alia plura accidentia, quæ fuerant in homine viuo. Nec poteſt dici, illa non eſſe eadem numero, ſed ſolùm ſpecie cum præcedentibus, tum quia nulla eſt cauſa à quâ ea accidentia diſtincta producantur de nouo, tum quia ea pereunt paulatim poſt introductionem formæ cadaueris; ergo quia non ſunt diſpoſitiones ad illam, ergo nec de nouo producuntur ad ingreſſum illius, ſunt ergo eadem numero quæ anteà fuerant. Deinde mala conſequentia, quia etiamſi perirent ea accidentia ad defectum formæ, non ſequeretur ſubiectari in formâ, ſed ab illâ pendere in alio genere cauſæ, vel finalis vel efficientis, vel vt à conditione. 11

Tertiò: Quia materia eſt pura potentia, ergo ipſa ſola non poteſt recipere accidentia. Antecedentis falſitatem Diſput. 11. oſtendimus; conſequentiæ verò malitia vel inde contra ipſos oſtenditur, quia materia prima ſola recipit formam ſubſtantialem: nam hæc, cùm ſit pars illius compoſiti, non poteſt in toto illo ſubiectari, & tamen hoc non impedit, materiam primam eſſe puram potentiam; ergo nec impedit, ne accidentia ſubiectentur in materiâ. 12

Quartò: Quia prius eſt eſſe ſubſtantiale quàm accidentale, ergo materia priùs recipit formam ſubſtantialem quàm accidentalem, ergo accidentalis forma ſubiectatur in materiâ & in formâ ſubſtantiali. Reſpondeo, eſſe ſubſtantiale, non ſemper eſſe prius executione quàm accidentale, imò potiùs è contrario; natura enim exorditur ab imperfectioribus, & progreditur ad perfectiora: vnde, priùs quàm in ligno introducatur forma ſubſtantialis ignis, introducitur calor & alia accidentia, quæ ſunt diſpoſitiones ad ignem. Imò hinc retorqueo argumentum contra ipſos, quia priùs ſunt diſpoſitiones accidentales ad aliquam formam, quàm ſit ipſa forma, ergo illæ non ſubiectantur in formâ, ergo nec in toto compoſito. Secundò reſpondeo, etiamſi prius eſſet non ſolùm in intentione, ſed & in executione, eſſe ſubſtantiale quàm accidentale, & conſequenter priùs materia reciperet formam ſubſtantialem quàm accidentalem, adhuc non ſequitur, hanc debere recipi in ſubſtantiali formâ, ſicut in multorum ſententiâ priùs materia recipit animam rationalem, quàm potentias materiales, & tamen hæ ſolùm in materiâ ſubiectantur. 13

SVBSECTIO SECVNDA.

Ea accidentia in ſolâ materiâ recipiuntur.

TENENDVM igitur eſt cum communi, quantitatem & accidentia communia recipi in ſolâ materiâ primâ. Auctores qui hanc ſententiam tenent, vide apud Suarezium Diſp. 4. ſect. 3. num. 10.

num. 10. & Hurtadum Disputat. 6. num. 8. quibus ipsi subscribunt. Et quidem quantitatem non recipi in formâ, probatur à nonnullis, quia materia debet ante operationem ita esse extensa, vt ab agente extrinseco operante in illam, non possit ad punctum reduci, ne possit vna pars cum aliâ penetrari, quæ impenetrabilitas oritur à quantitate; ergo quantitas prior est quàm introductio
14 formæ substantialis in materiâ. Hæc ratio leuis est: quia eo ipso quòd in instanti reali materia habeat quantitatem, non potest ad punctum reduci, nec vna pars cum aliâ penetrari, ergo ex hoc capite non requiritur, quantitatem priùs naturâ esse in materiâ quàm formam substantialem, sed sufficiet simul esse cum illâ.

Alij eam quantitatem prærequirunt, vt mutuò possint agens & patiens sese physicè tangere, prout requiritur ad operandum. Sed contrà, quia contactus requisitus inter agens & patiens, solùm est indistantia localis, ad quam nullo modo requiritur quantitas, vt patet in Deo & in Angelis, qui sine quantitate sunt indistantes localiter à passo.

Alij hanc probant argumento sibi valdè familiari, sed non minùs inefficaci, scilicet: Quantitas non potest in homine recipi nisi in solâ materiâ, ergo idem etiam continget in aliis compositis. Consequentiam bonam iudicant, quia si materia in homine habeat virtutem adæquatam ad quantitatem sustentandam, & hæc est contenta cum solâ materiâ, cur etiam non erit vbique, siue hæc siue alia succedat forma? Antecedens verò probatur, quia quantitas non potest animam rationalem facere extensam, ergo nec potest illi communicare suum effectum formalem, ergo
15 nec in eâ recipi. Patet hæc vltima consequentia, quia natura dat formas subiectis, vt illis communicent suum effectum formalem, ergo si subiectum sit incapax effectus formalis, erit incapax formæ. Hoc argumentum & ratione & instantiâ ad hominem manifestâ reiicitur. Instantiâ quidem, quia ipsi ponunt sensationes materiales recipi in materiâ, quam tamen non reddunt sentientem. Respondent, communicari materiæ totum effectum formalem sensationis materialis, quia hic effectus nihil est aliud nisi habere imaginem obiecti. Sed quis hinc non statim videat, quàm euidenter ipsi reiiciantur? quia anima, etiamsi non reddatur quanta, reddetur in se habens quantitatem, & consequenter accipiet effectum formalem non minùs quàm materia, quæ à sensatione vel imagine obiecti, nullum per te alium habet effectum formalem, nisi quòd redditur habens imaginem. Confirmo & explico doctrinam: si hi velint nullam formam posse vniri naturaliter subiecto, nisi tribuat illi in concreto effectum formalem, quem forma videtur in abstracto significare, v. g. si sit albedo, reddat album; si nigredo, nigrum; si calor, calidum: & hinc inferunt, quantitatem debere reddere *quantum*. Si in hoc sensu loquantur, improbabiliter loquuntur, quia actio non reddit subiectum, in quo recipitur, agens aut actum.

16 Dices: Reddit illud *patiens*. Sed contrà, ipsa non solùm est passio, sed etiam actio; ergo si tuum argumentum aliquid valeret, deberes etiam illud reddere vel actum vel agens, quia ipse habet in abstracto denominationem actionis, cuius concretum est vel actum vel agens, sicut concretum quantitatis est quantum per te. Vrgeo, insistendo illi exemplo de sensatione: non solùm materia accipit qualitatem seu imaginem obiecti, sed totam sensationem, quia sensatio dicit per te & qualitatem & actionem; vtrumque autem in solâ materiâ accipitur, & tamen non reddit illam sentientem, ergo. Quòd si hi solùm velint, semper omnem formam debere communicare effectum aliquem formalem subiecto, id eis admitto, & dico, quantitatem posse reddere animam habentem quantitatem, seu quantificatam, & hoc sufficere vt in eâ possit recipi.

Hæc circa Antecedentis veritatem. Circa con- 17
sequentiam verò ex homine ad alia entia, fateor me eam olim reputasse bonam; sed in hoc obiicies mihi inconsequentiam, eò quòd, sicut dixi casu quo relationes essent distinctæ, vnicam tantùm dandam inter res essentialiter penetratas, quæ in vtroque extremo subiectaretur, etiamsi inter alia extrema distantia inter se, duplex deberet poni relatio, propter specialem difficultatem; ita etiam deberem dicere, quantitatem in homine recipi in solâ materiâ, in aliis verò compositis etiam in formâ, quia diuersa est ratio in vno ac in alio. Respondeo tamen, nec vestigium inconsequentiæ hîc apparere: quia in eo casu non ponerem ego vnam eamdemque relationem iam in vno iam in duobus subiectis receptam, prout hîc deberet dici de eadem etiam numero quantitate. Neque quidquam refert, quòd vnio quantitatis etiam futura esset in homine diuersa ab vnione quæ in aliis; quia hîc non agimus de subiecto vnionis ad quantitatem, sed de ipsâ quantitate, pro quâ videtur otiosum, iam vnum iam duo subiecta quærere. Vnde videtur benè inferri, 18
quòd si in homine sufficit materia vt sit subiectum quantitatis, etiam sufficiet in aliis eadem materia pro eadem quantitate: at vbi est necessitas ponendi duas distinctas relationes, eas admittere, vnicâ verò, diuersam tamen ab illis duabus, vbi vnica videtur sufficere (vt in extremis essentialiter penetratis suprà dixi) nõ videò quam habeat inconsequentiam, vel quomodo ex his quæ de subiecto quantitatis dixi impugnari possim.

Dixi, me olim iudicasse bonam eam consequentiam: iam enim mihi occurrit, fortè posse ab aliquo negari, dicique, sicut causæ efficientes, vnus ignis v. g. quando solus est, adæquatè producit alium, quando verò est coniunctus cum alio agente, partitur suum concursum; ita similiter materiam in homine, quia sola est apta ad sustentandam quantitatem, solam influere; verùm quando adest forma substantialis, quæ etiam est potens, tunc partiri cum illâ suum concursum. Nec facilè hæc responsio redargui potest, ergo argumentum illud ex Antecedenti falso constat, & consequentiâ nullâ.

SVBSECTIO TERTIA.

Vera Conclusionis probatio.

IGITVR probandum est, quantitatem recipi in 19
solâ materiâ eadem ratione, quâ de aliis accidentibus communibus; ea autem sit, quia, vt dixi numero 13. quantitas & alia accidentia, quæ erant in corrupto, manent in genito; ergo non sub-

subiectantur in formâ corruptâ. Patet consequentia, quia accidentia non possunt migrare ab vno subiecto in aliud. Respondet quidam, accidentia posse migrare è subiecto inadæquato ad subiectum inadæquatum, sicut potest idem effectus, v. g. ignis, nunc pendere ab vnâ causâ efficiente, v. g. ab igne, in primâ generatione, & posteà ab aliâ causâ, scilicet à solo Deo; neq; enim maior est dependentia à causâ materiali, quàm ab efficienti. Sed contrà, quia si hæc ratio quidquam probat, probat etiam, posse accidens migrare à subiecto totali in aliud totale distinctum, quia non est ratio, cur possit mutare subiectum inadæquatum, non verò adæquatum; sicut effectus non solùm potest mutare causas partiales, 20 sed etiam totales. loquor de causis creatis. Dicendum ergo est cum communi, omnes formas materiales, etiam substantiales, etsi non magis dependeant à subiecto quàm à causâ efficienti, tamen magis alligatas esse tali subiecto numero, quàm tali numero causæ efficienti. Vnde, etsi hæc numero forma ignis possit nunc pendere ab hac causâ efficienti, & posteà ab aliâ, non tamen potest nunc subiectari in hac materiâ, nunc in aliâ, etiam partiali; quod ab arguente suprà notatum non est. Confirmo hoc: magis alligata est forma materialis huic numero subiecto quàm animus rationalis; sed animus rationalis non potest subiectum totale in aliud totale mutare, quia ex vno corpore integro nequit in aliud integrum saltare, & solùm potest ab vnâ parte corporis in aliam aggeneratam intrare; ergo forma materialis, quæ magis est alligata subiecto, non poterit 21 non solùm totale, sed nec partiale mutare. Video hoc argumento non posse absolutè efficaciter aduersarios vrgeri, qui si velint dicere, accidens saltare de subiecto in subiectum partiale, imò & totale, nec experientiâ nec ratione à priori solidâ & euidenti conuincentur. Possunt tamen vrgeri, quia omnino gratis dicunt, posse à subiecto inadæquato, non verò ab adæquato. Imò ipsi propterea dicunt, omnia accidentia corrumpi, quia perit partiale subiectum, benè ergo contra illos arguitur, Non pereunt accidentia, sed remanent; ergo manet adæquatum subiectum, ergo hoc est sola materia prima.

Secundò probo eamdem sententiam, quia plura accidentia sunt dispositiones ad formam subsequentem, & consequenter intelliguntur priùs naturâ quàm formâ; ergo illæ non subiectantur in ipsâ formâ, quæ pro illo priori non intelligitur existens, intelliguntur autem pro illo priori ea accidentia cum omnibus suis causis, quia intelliguntur existentia.

22 Primò respondent Thomistæ, adstruendo mutuam dependentiam à priori inter formam & dispositiones; vnde dicunt, formam esse priorem dispositionibus, quatenus est causa materialis illarum, & has esse priores formâ quatenus disponunt ad illam, quæ prioritas mutua cùm sit in diuerso genere, non repugnat. Libro 11. ex professo impugnabimus hanc mutuam dependentiam à priori, nunc solùm addo, eam in præsenti non habere locum: nam si daretur, esset in eodem genere causæ materialis, nam in eo dispositiones sunt priores forma, & hæc prior dispositionibus; ipsi autem aduersarij negant mutuam prioritatem in eodem genere.

Secundò respondent, eas dispositiones nõ durare in instanti quo introducitur forma substantialis, sed tunc produci de nouo alias eiusdem speciei, præcedentes autem reliquisse figillatam materiam ad hanc formam. Sed contrà Primò, 23 quia si in instanti generationis non existunt dispositiones præcedentes, quâ ratione possunt tunc figillare materiam ad hanc numero formam? nam materia figillatur à dispositionibus vt à formis, forma autem non potest Physicè informare vel figillare, si non existit Physicè; nam anteà extitisse, est pura denominatio extrinseca, quæ de præsenti nihil prodest Physicè. quomodo autem materia prima, quæ caret memoriâ rerum præteritarum, recordabitur se fuisse figillatam ad hanc formam, vt ideò non patiatur aliam introduci? Contrà Secundò, quia nullum est agens, à quo corrumpantur illæ dispositiones, imò potiùs omnia agentia naturalia maiori vi eas conantur producere, quando introducitur forma ad quam disponunt: ridiculum autem est, dicere, ignem ita laborare disponendo lignum pro formâ ignis, & producendum calorem, siccitatem, aliaque accidentia, quæ tamen nihil deseruiunt ad formam ignis, sed peritura sunt inutiliter ante formæ productionem.

SVBSECTIO QVARTA.

Obiectiones solutæ.

OBIICIES: Formâ materialis dicitur quanta 24 & extensa, ergo recipit in se immediatè quantitatem. Nego consequentiam, quia denominatur quanta à quantitate recepta in materiâ cui vnitur forma; sicut etiam homo dicitur intelligere, non quia intellectio recipiatur in toto homine, sed quia recipitur in vnâ parte, scilicet in animo rationali.

Propter hoc argumentum, nonnulli recentiores opinati nobiscum, quantitatem, ceteraque accidentia non posse materialiter à formâ causari; dicunt tamen, ea recipi in formâ vt in subiecto inhæsionis (voluerunt fortè dicere, receptionis) sicut anima rationalis in corpore, à quo tamen non pendet. Id autem Primò probant, quia ita forma substantialis informat materiam, vt nequeat assignari locus vbi materia sit, in quo etiam non sit forma; ergo non possunt esse accidentia in materiâ, nisi sint vbi est forma, ergo nisi informent formam. Sed hoc argumentum non 25 est Philosopho dignum: longè enim aliud est, esse in eodem loco: & longè aliud, informare & vniri. nos enim sumus in eodem loco cum Deo, & Angeli nobiscum penetrantur, nec tamen intercedit vlla formæ aut subiecti vnio: & ad hominem ipsi vrgentur, quia idem argumentum fieri potest de animo rationali, qui totum corpus informet, & est in loco vbi sunt hæc materialia accidentia, & tamen ipsi docent expressè, ea non vniri aut recipi in animo. Idem etiam secundò ad hominem vrgetur: ponit enim duas vniones, vnam in solâ formâ, alteram in solâ materiâ, quæ ambæ proculdubiò sunt in eodem loco cum vtroque extremo, nec tamen ambæ in quolibet recipiuntur. Malè ergo ex coëxistentiâ in eodem loco accidentium cum formâ substantiali, eorum mutuam intulit vnionem.

Secundò obiicies, proprium esse substantiæ, subesse accidentibus; ergo forma substantialis debet ea omnia recipere in se. Sed contrà, Animus rationalis tam perfectè est substantia, quàm aliæ formæ, & tamen non recipit per se ea acci-
26 dentia. Respondeo ergo, vel substantiam non consistere in eo quòd substet, sed quòd sit radix prima; vel si in eo consistit, non id respectu omnium accidentium intelligendum est, quia forma non recipit durationem & vbicationem materiæ, in tuâ etiam sententiâ, licet alia accidentia communia recipiat.

Tertiò: Quia forma indiget eis accidentibus vt perficiatur, ergo debet illis immediatè vniri. Hoc Antecedens non probatur, sed supponitur ab his, ideò eis negatur etiam eadem facilitate. Rogo enim, vnde hanc formæ nuditatem vel exigentiam viderint, vel quâ experientiâ eam deprehenderint, vt tam audacter eam affirment?

Simile est huic quartum argumentum, scilicet frustrà ignem v. g. laboraturum vt suas passiones producat: si eis non perficiur, eas non recipit in se. Confirmatur: hæc accidentia non se habent disparatè cum formâ, & cùm sint in eodem subiecto, debent inter se vniri, non autem ita vt quantitas mediet inter materiam & formam (hoc enim tolleret vnionem immediatam;) ergo
27 debent accidentia immediatè vniri formæ. Contra hoc argumentũ & eius confirmationem etiam instatur in animo rationali, qui petit in materiâ eas dispositiones, sollicitusque de illis est, nec se habet disparatè ad illas, & tamen per te illis non vnitur. Videas ergo, quid sit hìc dicendum, & hoc tibi applica. Dico ergo, eas dispositiones & passiones exigi, tamquam perficientes & ornantes subiectum, & ab eis formam pendere vt à conditionibus partim antecedentibus, & subsequentibus partim, tenentibus tamen se ex parte subiecti præcisè; quo respondetur confirmationi, potestque quasi ex humanis exemplum aptum afferri. Vt enim excipiatur honestus aliquis hospes, domus mundatur ornaturque, nec tamen tapetia, imagines, panniq; pretiosi vniuntur aut recipiuntur in hospite, sed hic in domo illis ornatâ: ita forma non recipit ea accidentia, intrat tamen in materiam illis ornatam.

28 Vltimò: Quia nullum omninò potest accidens recipi in materiâ, quod non recipiatur etiam in quantitate, ergo & quod non recipiatur in forma ipsâ substantiali. Iste error peior est prioribus. Numquid duratio materiæ recipitur in quantitate, etiam in sententia ipsius? numquid productio seu creatio materiæ recipitur in quantitate? Vel quæ potest esse saltem apparens ratio, quâ probetur, omnia quæ materia recipit, recipienda in quantitate magis quàm in aliis accidentibus existentibus in materiâ? De quo vide Subsectionem sequentem, vbi nec accidentia communia in quantitate subiectanda ostendam.

Hæc isti pro se. Quibus si obiicias, accidentia transire de subiecto in subiectum, iuxta ipsorum doctrinam, calor enim qui informabat primò formam ligni, postea informat formam ignis; respondent, non esse vllum inconueniens, si accidentia mutent subiectum informationis, à quo non causantur nec dependent; subiectum verò sustentationis non mutare, quia hoc sola est materia.

Ego do huic sententiæ (licet eius argumenta 29
displiceant) non esse absurdum vllum aut repugnantiam in eo, quòd accidentia vniantur adhæliuè formæ ad quam disponunt, nec facilè id posse benè impugnari. Tamen, quia non videtur hoc necessarium, & debeat secunda vnio distincta poni quâ vnirentur, quo pacto multiplicantur entitates sine necessitate, ab hac sententiâ sum alienus. Tandem quia iuxta ea quæ dixi suprà, agens, in quo consistit ratio subiecti, si ea accidentia præsupponantur ad formam ignis, non est modus explicandi, cur ipsa non sint subiectum formæ, forma verò ignis vt subiectum ea recipiat, nisi velis formam tantùm esse terminum intrinsecum illorum.

Aduerte, quando dixi, accidentia non recipi in formâ vt in subiecto, me locutum non de omnibus accidentibus, duratio enim & vbicatio materialis formæ non recipitur in materiâ, sed in formâ, de quo infrà. Item omnes potentiæ 30
sensitiuæ & appetitiuæ, earumque actus, recipiuntur in formâ. Maior difficultas est de aliis passionibus formæ substantialis, v. g. de leuitate ignis, de grauitate ferri, de virtute attractiuâ magnetis, &c. Probabilius censeo, huiusmodi passiones etiam subiectari in formâ substantiali cuius proprietates sunt, nec rationes suprà factæ de aliis accidentibus in præsenti difficultatem habent: quia eiusmodi passiones non præintelliguntur ad formam, sicut alia accidentia, quæ sunt dispositiones ad illam, & præsupponuntur in materiâ receptæ. Excipio tamen eas passiones, quæ sunt eiusdem speciei cum dispositionibus ad formam, v. g. de calore vt octo, qui est passio ignis; de frigiditate vt octo, quæ est passio aquæ, &c. Nam licet octauus gradus non præintelligatur ad formam ignis, quia tamen præintelligitur quartus, qui est eiusdem speciei cum octauo, & præterea omnes gradus intensionis debent esse in eodem subiecto, ideò octauus gradus, sicut & 31
quartus, in solâ recipitur materiâ; aliæ verò propriæ passiones formæ in solâ formâ, nisi quæ sunt materiales, & in homine propter animam requirunt aliud subiectum, de quibus suo loco.

SVBSECTIO QVINTA.

Vtrùm quantitas recipiat immediatè accidentia communia.

LOQVIMVR de accidentibus, quæ Subsectione 1. dixi in solâ materiâ recipi, de quibus quærimus, an immediatè in materiâ, an verò immediatè in quantitate, & eâ mediante in materiâ recipiantur. Pro quâ quæstione supponimus, quantitatem distingui à materiâ, alioquin nulla esset difficultas.

Communis sententia docet, illa recipi in quantitate. Ita P. Suarez Disputat. 14. Metaphysicæ, sectione 4. & recentiores communiter, secuti D. Thomam 3. Parte, quæst. 77. art. 2. Durandus in 1. distinct. 8. Parte 2. quæst. 41. In contrarium 32
stat P. Hurtado Disputat. 6. §. 55. vbi pro eâ refert plures ex antiquioribus. Sed illi supponunt, quantitatem non distingui à materiâ; ex quo necessariò

ceſſariò ſequitur, illa accidentia immediatè in materiâ recipienda.

Videamus, quæ ſint vtriuſque partis argumenta, vt tandem in re, quæ experientiâ aut ratione ab eâ deſumptâ decidi nequit, quid probabilius appareat, colligere poſſimus.

Pro negatiuâ parte Primò arguit Hurtadus: Quia effectus quantitatis ſolùm eſt extendere materiam, & eam reddere impenetrabilem vt poſſit recipere formas ſubſtantiales; ſed ad hoc non requiritur, vt ipſa recipiat immediatè accidentia materialia, ergo. Sed negant aduerſarij Antecedens. docent enim duo à quantitate præſtari, & materiam extendi, & recipi immediatè accidentia in ipſâ, propter rationem infrà ponendam; quæ an ſit ſolida, infrà etiam videbitur.

33 Secundò idem argumentatur: Quia diſpoſitiones materiales diſponunt materiam, non verò quantitatem ad receptionem formæ ſubſtantialis; ergo debent recipi in ipſâ materiâ, quia diſpoſitio debet eſſe in eodem ſubiecto, in quo recipitur forma ad quam eſt diſpoſitio: forma autem ſubſtantialis non recipitur in quantitate, ſed in materiâ. Reſpondetur facilè, materiam diſponi per receptionem mediatam earum diſpoſitionum, quæ ſubiectantur in quantitate immediatè vnitâ cum materiâ, & id ſufficere vt determinetur ad formam ſubſtantialem, neque eſſe neceſſarium vt immediatè in eodem ſubiecto forma & diſpoſitio recipiantur. Nam ſicut poteſt cauſa efficiens determinari ad effectum producendum per aliquid, quod non ſubiectetur in ipſâ vllo modo; ita etiam poterit cauſa materialis determinari & diſponi per formam ſolùm mediatè ſibi vnitam.

34 Tertiò alij, quia totum eſſe accidentis, eſt in ordine ad ſubſtantiam; ergo conuenientius eſt vt omnia accidentia immediatè recipiantur in ſubſtantiâ, quàm in alio accidenti, niſi aliqua vrgeat ratio, qualis non eſt in præſenti. Reſpondeo, accidens eſſe illud, quod eſt extra primum conceptum rei, hoc autem æquè perfectè ſaluatur, ſiue illa accidentia immediatè in ſubſtantiâ, ſiue immediatè in alio accidenti ſubiectentur. vnde tam perfectè ſaluatur ratio accidentis in vbicatione propriâ quantitatis, quàm in ipſâ quantitate, licet hæc immediatè in ſubſtantiâ, illa verò in accidenti ſubiectetur. ergo ex hoc capite non eſt negandum, accidentia materialia recipi in quantitate.

Pro oppoſitâ ſententiâ Primò arguunt: Quia ſicut ignis vtitur potentiâ diſtinctâ ad calefaciendum, ita materia debet vti ad recipiendum; ergo mediante quantitate. Benè reſpondet P. Hurtado, hoc argumento non magis probari de quantitate, quàm de albedine; probatur enim potentia diſtincta, ſed quòd ea ſit quantitas, vnde?

35 Ego etiam retorqueo argumentum. Ipſi fatentur, ignem in ſe producere calorem immediatè per naturalem ſaltem emanationem, licet ad extra mediatè; ergo cùm materia in ſe & intra ſe recipiat accidentia, id non faciet per aliam potentiam, ſed immediatè per ſe.

Secundum argumentum deſumitur ex myſterio Euchariſtiæ. Ne enim concedantur plura miracula, quotieſcumque ſpecies ſacramentales alterantur, videtur dicendum, ſolam quantitatem conſeruari ſine ſubiecto, & hoc miraculosè; reliqua verò accidentia naturaliter conſeruari, quia conſeruantur in proprio ſubiecto, ſcilicet in quantitate. Nam ſi omnia immediatè reciperentur in materiâ, omnia miraculosè conſeruarentur, & conſequenter eſſet miraculum nouum, quotieſcumque ſpecies ſacramentales reciperent vel calorem, vel lucem, vel frigus, quod videtur incredibile.

Huic argumento reſpondet etiam Hurtadus, 36
concedendo eam multitudinem miraculorum, additque, de miraculis philoſophandum eſſe conſequenter ad cuiuſcumque opinionem, & ſine formidine ea multiplicandi; nam Deus, qui efficit vnum reliquis admirabilius, poterit etiam & ea plura facere.

Hanc ſolutionem approbo, & vlteriùs confirmo: quia ſi propter vitanda miracula debemus in rebus phyſicis inuertere naturas rerum, quando nec ratio nec experientia cogit, etiam poſſemus propter eamdem rationem dicere, accidentia & quantitatem non pendere à materiâ, ne concedatur illud miraculum. Stando enim in ratione & experientiâ, ſicut non poteſt oſtendi poſitiuè, accidentia non recipi in materiâ, & ideò à te negatur, vt vitentur miracula, ita etiam non eſt poſitiua ratio oſtendens quantitatem pendere à materiâ: poterit ergo id negari, etiam eodem modo, ne hoc miraculum adſtruatur.

Vnde probabilius multò videtur, quantita- 37
tem non recipere in ſe immediatè accidentia communia: non enim apparet vlla ratio phyſica, quâ ſpecialiter probetur, quantitatem eſſe ſubiectum eorum accidentium, non verò vnum accidens ſubiectum alterius, quod tamen apertè falſum eſt. nam quòd quantitas præcedat ea omnia accidentia, non arguit eam eſſe ſubiectum illorum; nam etiam primus gradus intenſionis præcedit ſecundum, & tamen illum non recipit; item primæ qualitates præcedunt ſecundas, quas non recipiunt in ſe; ergo nec quantitas recipiet accidentia, etſi illa præcedat. Aliunde autem non eſt vlla excogitabilis ratio; ergo.

SECTIO III.

An poſſit dari corpus completum ſimplex.

NON quærimus, vtrùm poſſit eſſe corpus carens partibus integrantibus (huius enim difficultatis ſolutio pendet ex dicendis Diſputatione 1. de Animâ à num. 48. de conceptu rei materialis) ſed vtrùm poſſit dari corpus completum non compoſitum ex materiâ & formâ.

Recentiores aliqui id acriter negant, Primò, 38
quia tale corpus non poſſet eſſe vegetatiuum, vegetatio enim fit inter ſubiecta qualitatibus contrariis affecta; illud autem corpus non poſſet qualitatibus contrariis affici, quia non haberet ſubiectum capax formarum ſubſtantialium, quæ poſſent expelli per contrarias diſpoſitiones. Deinde neque illud eſſet ſenſitiuum, nam ſenſatio fit medio calore aliisque primis qualitatibus, quarum non eſſet capax illud corpus. Denique nec poſſet eſſe non viuens; nam eſſet actus completus ſubſiſtens, & eſſet perfectius animo rationali, quod eſt impoſſibile; ergo repugnat tale corpus ſimplex compoſitum.

Sed contrà Primò, quia illud corpus posset esse vegetatiuum, quatenus haberet virtutem ad vniendas sibi alias partes eiusdem corporis, sicut aqua sibi vnit alias aquæ guttas: quia verò illa actio vniendi nouam partem, non posset ab extrinseco agente prouenire in eo corpore, sicut potest in aquâ, ideò esset actio immanens & vitalis, differretque ab actione quâ aqua sibi alias vnit partes.

39 Hanc solutionem impugnant hi Primò, quia ea sola corpora augentur ab intrinseco, quæ corrumpuntur ab intrinseco, item corpora diuidua sunt corruptibilia, nam tandem vniretur ad aliquam minimam partem, in quâ non posset conseruari illud corpus; ergo cùm illud corpus esset completum & simplex, esset ex vnâ parte incapax corruptionis, aliunde verò capax, quia posset diuidi, si esset capax augmenti ab intrinseco: hæc autem manifestè repugnant, ergo. Respondeo, falsum esse, rem diuiduam esse corruptibilem: nam materia prima est diuidua, & non ideò est corruptibilis, quod miror ab obiiciente non fuisse notatum. Nec refert, quòd materia etiam habeat formam, quia tunc maiorem vim habet instantia. Si enim materia & forma possunt in qualibet minimâ parte conseruari, à fortiori poterit vnum corpus simplex esse, quod possit in quacumque paruitate conseruari, quod posset esse capax augmenti & diminutionis, non tamen ideò corruptioni substantiali obnoxium. Certè hoc tam clarum est, vt mirer potuisse concedi corpori composito ex materiâ & formâ capacitatem diuisionis sine corruptibilitate, & id negari corpori simplici.

40 Secundò dicet fortè aliquis, etiam illud corpus posse esse corruptibile; quod videtur ostèdi ex recentiorum impugnatione, idque sine vllâ inde secutâ contradictione; quia aliquæ formæ sunt quæ destruuntur non ex dispositionibus contrariis, sed ex diuisione, quia scilicet non possunt esse in tam paruâ materiâ, cur ergo non posset etiam esse aliud corpus simplex completum, quod ex diuisione destrueretur, eo ipso quòd dissolueretur vnio continuatiua?

Dices fortè, Illud corpus crearetur, & consequenter non posset destrui à creaturâ, quia nec ab eâ creatur. Sed contrà Primò, quia multa possunt destrui ab aliquibus agentibus, quæ ab ipsis non producuntur. Contrà Secundò, quia vnio continuatiua partium illius corporis non crearetur, sed generaretur, illa autem posset destrui ab agente naturali. Vnde etiam Deus teneretur tunc cessare à conseruatione creatiuâ illius corporis; sicut nunc, quando carnifex destruit vnionem continuatiuam capitis cum collo, indirectè obligat Deum vt cesset à conseruatione vnionis animi cum corpore.

41 Adhuc tamen hæc solutio non placet, eamque efficaciter impugno, Quia agens naturale non potest destruere vnionem continuatiuam, nisi separando partes quæ anteà erant vnitæ: at ibi non posset heri separatio, quia si separantur, ergo iam manent ambæ in rerum naturâ, ergo non destruerentur. Confirmo: vnio illa deberet destrui vel per formam contrariam, vel per defectum subiecti, vel per subtractionem concursus, nec alius modus, quo destruatur, potest excogitari: sed vnioni non est alia forma contraria, quàm separatio partium, quæ ibi non habet locum; ex defectu autem subiecti non posset id fieri, quia inde sequeretur vnionem destrui, quia destruitur subiectum, & non è contrario subiectum, quia destruitur vnio (prout volebat responsio suprà data;) nec ex subtractione concursus potest, quia vnio illa non conseruatur à creaturâ.

Hæ replicæ conuincunt intentum, scilicet non 42
videri posse esse corruptibile ab agente creato, id quod ab ipso immediatè non conseruatur, nisi per introductionem alicuius rei illi repugnantis, quod in substantiâ simplici non habet locum. Tamen adhuc posset sustineri, illud corpus esse corruptibile, non ab agente extrinseco, vel per separationem, sed quia, vt dixi suprà Disput. II. num. 14. & fusius Disput. IV. de Animâ à num. 212. potest esse aliqua res ex se durans per aliquod tempus, quæ sine contrario posteà pereat; tale ergo posset illud corpus esse, ergo ex hac parte posset esse vegetabile, etiamsi tibi concedam, vegetationem essentialiter requirere corruptibilitatem, quod adhuc falsum esse, in solutione primâ ostendi.

Tertiò respondeo, illud corpus esse posse sensitiuum sensationibus diuersæ speciei à nostris, & quæ à quatuor primis qualitatibus non penderent, & consequenter non esset corruptibile. Hanc solutionem ipsimet arguentes fatentur difficulter posse impugnari; dicunt tamen, inde sequi, tale corpus futurum perfectius & imper- 43
fectius animo rationali, quod repugnat; imperfectius, quia omne corpus est imperfectius spiritu; perfectius, quia esset actus subsistens completus non respiciens compositionem, quod essentialiter dicit maiorem perfectionem, quàm esse actum informantem. Hoc argumentum nullum prorsus est, quod sic ostendo euidenter: abstrahendo enim ab hac quæstione an sit possibile tale corpus in quâ tu negas, ego affirmo. Rogo, an conceptus actus completi simplicis, siue sit spiritualis siue non, sit tam perfectus, vt repugnet concipi aliunde hunc excessum compensari, nécne. Neque enim datur medium. Si affirmes, ergo malè dicis, omnem rem spiritualem esse perfectiorem omni materiali, nam animus noster est spiritualis; quia verò dicit ordinem ad compositionem, absolutè exceditur à corpore nó composito, & tunc non sequitur, quòd excedatur & non excedatur, sed præcisè sequitur *exceedi*.

Quòd si dicas, conceptum actus completi sim- 44
plicis non ita esse perfectum, vt aliunde non possit æquari, imò & superari; tunc ego dicam, animam, licet excedatur ab eo corpore in hoc conceptu simplicitatis, quia tamen aliunde habet in compensationem spiritualitatem & vim intellectiuam, ac volitiuam, esse absolutè nobiliorem.

Arguens autem, vt argumentum ipsius habeat vim, supponit id quod deberet probare, scilicet conceptum rei spiritualis esse supra omnes alios conceptus, nec aliunde esse æquabilem, etiamsi dicat ordinem ad compositionem; & præterea aliunde supponit, conceptum rei incompositæ esse supra omnes alios, etiamsi ea sit res materialis, in quo supponit ipse duo contradictoria, quæ de animo posteà vellet inferre: qui modus argumentandi nullus omnino est, sicut, si quis diceret, Res incorruptibilis, quæcumque illa sit, est perfectior

ctior omni corruptibili; & item, Res intellectiua eſt perfectior omni non intellectiuâ: & deinde inferret, cælum eſſe perfectius abſolutè homine, quia eſt incorruptibile; & hominem eſſe abſolutè perfectiorem, quia eſt cognoſcitiuus. Et puto, quòd ſi de facto non vidiſſet arguens cælum exiſtens, etiam negaret, propter hoc argumentum, eſſe poſſibile corpus materiale incorruptibile, nec cum minori fundamento, quàm iam negat corpus ſimplex poſſibile.

Abſolutè ergo reſpondeo, illud corpus futu-
45 rum imperfectius animo rationali, quia non eſſet cognoſcitiuum, qui conceptus magis eſt abſolutè expetibilis, quàm non dicere ordinem ad compartem. Quòd ſi iuxta noſtra principia, ſcilicet rem materialem poſſe eſſe cognoſcitiuam rei ſpiritualis, velles, illud corpus eſſe cognoſcitiuum, & volitiuum, fortè poſſet eſſe perfectius animo rationali; quia impenetrabilitas, in quâ conſiſtit ratio corporis, non eſt tam abiectus conceptus, vt licet ea conueniret illi corpori, non poſſet aliunde animum noſtrum adæquare, vel excedere.

Tandem aduerte, malè ab his recentioribus hîc dici, non poſſe eſſe ſubſtantiam ſpiritualem non intellectiuam: quia vt Diſputatione v. de Animâ à num. 17. oſtendam, non ſequitur eſſentialiter ex penetrabilitate virtus cognoſcitiua: vnde malè inferunt, omne corpus ſimplex, eò quòd eſſet perfectius ſpiritu, etiam debere eſſe cognoſcitiuum.

46 Denique addo, illud corpus poſſe eſſe non viuens, quia eſſe actum completum ſubſiſtẽtem, neque arguit maiorem perfectionem animo rationali, vt vidimus; neque vitam, vt patet in igne, qui eſt actus completus ſubſiſtens, & non eſt viuens. Vnde videas, quàm malè ab his probetur tale corpus neque viuens neque non viuens, neque ſenſibile neque non ſenſibile eſſe poſſe; oſtendimus enim, tali corpori vt ſic nihil ex his repugnare.

Alij Secundò probant eamdem repugnantiam: Quia nulla ſubſtantia materialis poteſt produci, quæ non ſit capax formæ accidentalis; ergo & quæ non ſit capax formæ ſubſtantialis. Si hoc argumentum aliquid probat, probat etiam, ipſam formam materialem eſſe receptiuam alterius formæ ſubſtantialis, cùm ſit receptiua formæ accidentalis. Probat etiam, Angelum eſſe capacem formæ ſubſtantialis, quia eſt capax formæ accidentalis. Reſpondeo ergo, omnem creaturam eo ipſo eſſe capacem mutationis accidentalis, tranſeat hoc nunc; non tamen ideò de conceptu creaturæ erit, eſſe capacem mutationis ſubſtantialis, vt patet in Angelo, & in ipſis formis ſubſtantialibus reſpectu aliarum formarum; vnde non valet conſequentia à capacitate accidentalis ad capacitatem ſubſtantialis formæ. Adde, per vnionem continuatiuam ſubſtantialem, poſſe tale corpus aliquam habere ſubſtantialem mutationem. 47

Tertiò alij: Quia illud corpus non conſtaret materiâ, ergo non eſſet materiale. Nego conſequentiam, quia oſtendam Diſput. 1. de Animâ à num. 97. materialitatem non conſiſtere formaliter in ordine ad materiam, ſed in ordine ad impenetrabilitatem, quam haberet illud corpus.

Denique poteſt argui ex Ariſtotele docente, omne corpus eſſe compoſitum. Reſpondeo, Ariſtotelem ſolùm fuiſſe locutum de corporibus quæ de facto dantur, de poſſibilibus autem per potentiam abſolutam nec verbum, quia nec talem potentiam agnoſcebat, qui Deum ex neceſſitate naturæ operantem fingebat.

Contraria ergo ſententia omnino tenenda eſt, quia non eſt negandum omnipotentiæ diuinæ, quod non inuoluit ſaltem apparentem contradictionem, qualis non reperitur in tali corpore ſimplici, vt ex ſolutione eorum quæ poſſunt afferri, oſtenſum eſt. Et confirmatur: quia ſicut in ordine ſpirituali datur ſubſtantia incompleta, qualis eſt animus rationalis, & etiam datur ſubſtantia completa ſimplex, qualis eſt Angelus; ita etiam in ordine rei materialis videtur poſſe dari & ſubſtantia incompleta ſimplex, qualis eſt materia, vel forma materialis, & etiam ſubſtantia completa ſimplex, quale eſſet corpus de quo loquimur; eſt ergo poſſibile de potentiâ abſolutâ. Imò & nonnulli contendunt, illud de facto dari, 48
eſſeque cælum empyreum, quia pulchritudo Vniuerſi videtur exigere, vt ſicut dantur ſubſtantiæ ſpirituales ſimplices & completæ, ita etiam dentur de facto ſubſtantiæ materiales ſimplices & completæ. Probabilis coniectura pro exiſtentiâ actuali talis corporis, poſſibilitas verò illius certa eſt ex antè dictis.

Aduerte, prædictum corpus ſi produceretur, producendum actione creatiuâ, quia eſſet independens à ſubiecto, ſicut ſuprà diximus de materiâ primâ; verum tamen eſt, vnionem integralem partium corporis illius generabilem fore, quia ſubiectaretur in ipſis partibus, ficut etiam in ſimili diximus de vnione continuatiuâ partium materiæ.

LIBER SECVNDVS PHYSICORVM.

EXPLICATA *essentiâ compositi naturalis in ordine ad se, oportet iam de illo in ordine ad operationem disputare.*

DISPVTATIO SEXTA.

De Naturâ & Arte.

SECTIO I.

De Naturâ.

1 VARIAS naturæ acceptiones tradunt PP. Conimbricenses lib. 2. quæst. 1. articulo 1. & Hurtadus Disputatione 7. sectione 1. Nos vnam vel alteram afferemus, quæ necessaria sit pro tractandis in hac Disputatione.

Primò igitur sumitur Natura pro Deo, quem nonnulli barbarè vocant *naturam naturantem*, id est producentem alias naturas, quas dicunt *naturas naturatas*. Secundò accipitur natura pro essentiâ & quidditate rei; quo pacto dicimus, in tribus personis diuinis vnam tantùm esse naturam. Tertiò accipitur pro totâ vniuersitate agentium creatorum, & etiam agentis increati, quatenus operatur conformiter ad rerum exigentias; vnde quidquid fit contra illas, dicitur esse supernaturale & miraculosum. Vtrùm autem possit in hoc sensu esse aliqua substantia supra naturam seu supernaturalis, tractaui in materiâ de Visione Dei, vbi eam reieci, & modum loquendi aliquorum, in re tamen nobiscum conuenientium, explosi. Quartò pro viuentium generatione, à nascendo; & hinc translata est natura ad significandum internum cuiusque rei principium, siue viuens sit siue non. quo sensu ita in præsenti definitur ab Aristotele: *Natura est principium & causa motus & quietis eius, in quo primò & per se, & non ex accidenti inest.*

2 *Principium* & *causa* ponuntur ad excludendam à ratione naturæ priuationem, quæ licet sit principium, non tamen est causa. Fateor, etiam eam aliunde excludi, quia cùm non sit de essentiâ compositi, non potest esse natura.

Motus intelligitur communiter motus physicus & corporeus. Verùm arbitror ab Aristotele prædictis verbis solùm significatum motum in communi, prout abstrahit à corporeo & spirituali, alioquin ipse expressisset de quo loqueretur, quare etiam Angeli in hac definitione continentur. Per *quietem* intelligitur permanentia in termino acquisito.

3 Sed est difficultas, vtrùm natura debeat necessariò esse principium motus & quietis, an verò sufficiat esse vel quietis vel motus, disiunctiuè. Affirmant aliqui, debere esse collectiuè, quia id sonat particula &, alioquin hæc propositio *Petrus & Paulus currunt* esset disiunctiua, quod falsum est. Sed non vrget: quia quando illa particula in aliquâ propositione intelligitur ab omnibus communiter in sensu disiunctiuo, parum interest, si ex se videatur facere sensum copulatiuum, vt cùm dixit Christus Regulo Ioan. 4. *Nisi signa & prodigia videritis*, ró & idem sonat ac *vel, nisi signa vel prodigia videritis*. Item cùm dixit Ioan. Epist. 1. cap. 2. *Hic est Antichristus qui negat Patrem & Filium*, non dixit necessum esse negare vtrumque collectiuè, vt quis censeretur Antichristus, sed sufficere si neget alterutrum illorum. Quòd si in sacrâ paginâ licet eam particulam sic explicare, cur non licebit in Aristotele, præsertim cùm communis schola ita eam intellexerit; nec potest aliter intelligi, si bona sit Aristotelis definitio: nam tota terra non est principium motus sed quietis, licet sit natura. Item totus globus terræ, vbicumque ponatur, quiescit, etiamsi aliquæ illius partes moueantur ad centrum. Video, hîc posse esse quæstionem de nomine. Si enim nomine motus non intelligatur motus localis, sed acquisitio alicuius formæ per receptionem, certum est, de conceptu naturæ esse, vt sit principium motus & quietis, id est, vt possit recipere in se formam aliquam, siue ea sit successiua siue non. tunc autem potest etiam dici *quies* ipsa acquisitio illius perfectionis. Si verò nomine *motus* successiuus tantùm intelligatur, non videtur necessarium, vt omnis natura sit principium talis motus: licet enim esset per possibile vel impossibile aliqua creatura composita capax aliquarum operationum, quæ tamen non possent naturaliter perire, neque ipsum compositum qualitates alias de nouo posset habere, certè illud verè esset natura. & in hoc sensu paulò antè locutus sum, negans esse de conceptu naturæ motum & quietem copulatiuè. 4

In quo primò & per se, & non ex accidenti inest. 5 Per hæc verba excluditur Deus & Angelus à ratione naturæ, quia non insunt primò & per se alicui subiecto, cùm sint essentialiter simplices. imò etiam excluditur corpus simplex completum, propter eamdem rationem. Deinde etiam excluditur totum in ratione totius, quia totum non inest primò & per se alicui, includuntur autem partes seorsim, quæ insunt toti. Vbi aduerte, humanitatem v.g. in nostrâ sententiâ propriè esse naturam, quia inest supposito, respectu cuius est pars. Et idem est de aliis omnibus naturis in abstracto significatis. At in sententiâ Aristotelis, qui subsistentiam distinctam à naturâ non agnouit,

uit, propriè humanitas non est natura in acceptione posita, quia non inest alteri: sed partes secundùm se dicentur natura, quia insunt inuicem, & toti à quo distinguuntur, quælibet inadæquatè ratione alterius, & ambæ etiam ratione vnionis quam totum dicit. Formæ autem accidentales etiamsi propriè insint subiecto, & sint causa motus & quietis, quia tamen non insunt primò & per se, sed accidentaliter & secundariò, excluduntur à ratione naturæ in hac acceptione.

6 Ex dictis infertur contra P. Vasquez Tom. 1. in 1. 2. disput. 25. num. 20. materiam primam esse propriè naturam, quia est principium motus saltem receptiuum, quod sufficit ad rationem naturæ. Neque oppositum docuit Aristoteles 5. Metaphysicorum cap. 4 dum dixit, omnem substantiam dici metaphoricè naturam propter formam: nam vt PP. Conimbricenses quæstione 1. art. 2. benè explicant, solùm docuit, analogicè dici naturam materiam & formam, sicut in ipsius sententiâ ratio entis est analoga ad accidens & substantiam, quo non negatur, propriè conuenire accidenti rationem entis, & materiæ rationem naturæ; hæc autem analogia inde desumitur, quia forma non solùm est principium receptiuum, sed etiam actiuum: materia autem solùm est principium receptiuum motus, iuxta Aristotelem; vnde principalius ratio naturæ participatur à formâ, quàm à materia, ab vtraque autem absolutè & simpliciter. Aduerte etiam, materiam probabiliter esse principium actiuum suarum passionum, sicut & sunt omnes aliæ essentiæ. Alia autem Aristotelis loca, quæ pro se Vasquez adducit, benè explicantur ab Hurtado §. 16. Ea omitto, quia facilia sunt.

7 Rogabis, vtrùm vnio sit natura. Hoc certum, ipsam primò & per se, & non ex accidenti inesse toti. Deinde, ipsam esse principium saltem passiuum motus, v. g. vbicationis & durationis intrinsecæ ipsi vnioni. Ex hoc infertur, eam esse dicendam propriè naturam. Quòd si id ab aliquibus negatur, solùm in nomine à nobis differunt; in re enim nulla potest esse difficultas, ex dictis.

SECTIO II.

De composito artificiali.

EX cognitione compositi artificialis perfectior euadet cognitio naturæ, de quâ in præsenti.

Aduerte, non esse sermonem de eis artefactis, respectu quorum ars nihil efficit nisi applicare agentia naturalia, quibus applicatis, natura producit aliquem effectum, vt ex mixtione & distillatione corporum, & in productione aliquorum animantium, v. g. apum in mortui bouis ventre, si fimo tegatur, &c. quæ omnes generationes absolutè sunt naturales. Et de his non est nobis sermo, sed præcisè de his quæ propriè sunt entia artificiosa, vt v. g. de picturâ, statuâ, &c. circa quæ primò dubitatur quid sit artificialis forma.

8 Nonnulli arbitrantur, in eiusmodi artefactis formam artificialem esse aliquid distinctum ab omnibus partibus & vbicationibus rei artificiosæ, & eam formam produci non à naturâ, sed ab artifice. Hæc sententia omnino est improbabilis, ideoque dicendum puto, formam artificialem, picturæ v. g. non esse quid distinctum ab omnibus coloribus, & eorum vbicationibus. Probatur euidenter, quia eo ipso quòd intelligamus eos colores cum tali & tali vbicatione in tabulâ, nullâ aliâ formâ artificiali superintellectâ, intelligitur pictura; sicut in characteribus, qui etiam sunt entia artificiosa, nihil aliud est necesse intelligere, nisi atramentum hoc vel illo modo vbicatum. Idem clariùs intelligitur in statuâ ligneâ vel lapideâ: nam præcisè per ablationem superfluarum ac impedientium partium (quod solùm præstat statuarius dedolans vel lignum, vel marmor) ceteræ quæ remanent, sine vllâ nouâ formâ & distantias & proportionem expressiuam hominis retinent, efficiuntque statuam; ergo ibi non producitur forma artificialis distincta à partibus ligni taliter vbicati, & à carentiâ partium redundantium. Patet consequentia: quia præcisè auferendo partes aliquas ligni, non potest artifex positiuam formam substantialem producere in his quæ remanent: nam eas reliquit vt anteà, & solùm ab eis alias separauit. Et confirmo: si separasset alias diuersas, ita vt non fecisset statuam, certè non habuisset diuersam actionem specie, & tamen tunc non produxisset vllam formam physicam, ergo neque iam. Patet consequentia, quia eadem actio in specie nequit iam esse productiua formæ substantialis vel accidentalis, iam verò non. 9

Aliqui Auctores, negantes figuram dicere carentiam partium superfluarum, dixêre, statuam B. Virginis v. g. non esse aliud, quàm ipsas partes positiuas ligni, siue aliæ ablatæ sint siue non; pressi autem argumento à me immediatè antè facto de ligno, quod antequam dedoletur, non est statua, ergo ratio statuæ dicit essentialiter eam carentiam; respondent, etiam tunc in eo ligno esse actu & formaliter statuam, etiam antequam tangatur. Sed quis non videat, quàm sit hæc opinio absurda? sequitur enim, actu & formaliter quamcumque arborem vel truncum, lapidem, &c. esse actualem imaginem Christi Domini crucifixi, eò quòd in eo trunco sunt partes positiuæ, quæ si aliæ auferrentur, facerent imaginem Crucifixi. vnde etiam ante quodlibet lignum vel lapidem, tamquam ante veram imaginem Christi Domini, possemus & flectere & orare. Imò sequeretur, quemcumque lapidem vel lignum esse actualem & formalem statuam omnium rerum, hominum, leonum, equorum, &c. etiam rerum possibilium simul & semel: quia si, vt actu sit imago alicuius, non requirit actu auferri partes, ex quarum ablatione posset apparere imago, sed sufficit habere eas positiuas partes, quæ facerent eam statuam; certè cùm actu habeat lapis magnitudinem sufficientem, vt cuiuscumque ex possibilibus animantibus, aut hominibus, aut aliis rebus, formaretur imago sine additione nouâ, certè actu & formaliter erit omnium illorum actualis imago, simul Dei & diaboli, hominis & vulpis, elephantis & ranæ: quo nihil absurdius dici potest. 10

Secundò sequitur, cùm quis effundit atramentum supra chartam, realiter, verè & propriè formasse characteres omnes possibiles, Græcos, Hebræos, Latinos, Germanicos, Vngaricos, &c. & perfectissimos, qui à Deo etiam formari possint: 11

imò ibi scripta esse verba omnia possibilia in omni linguâ, quia ibi est atramentum sufficienter extensum, vt, sine additione vllâ, per solam ablationem earum partium quæ superfluæ sint, formari possint omnes characteres, etiam nobilissimi, & quodlibet verbum ex omnibus in rerum naturâ possibilibus. Ergo cùm isti, vt actu ibi existant formaliter ea verba, non requirât earum partium ablationem, actu erunt ibi omnia; & qui duos chartæ digitos eo atramento impleret, omnia illa actu scripsit, conceptus, argumenta, conciones, &c. Dicere autem hoc, planè videtur stultitiæ genus. Nec potest dici vulgariter eum non scripsisse, sic verò Philosophicè. Hoc, inquam, dici non potest, quia Philosophi quò meliores, eò magis eam doctrinam rident, eò quia sibi magis contrariam. Deinde, quia sequeretur, Philosophicè loquendo, Philosophiam acutissimam scripsisse, qui atramento impleuit chartam, etiamsi vulgariter non scripsisset Philosophiam, quod adhuc peius est. Ego sanè non volo talis esse Philosophicè Philosophus, aut Theologus.

12 Alij Auctores, cùm affirment, formam artificialem non esse aliquid reale distinctum à partibus & earum vbicationibus, addunt tamen, eam non consistere formaliter in ipsis vbicationibus. Et mouentur, quia artifex non intendit producere vbicationes colorum v. g. sed illam distantiam & coordinationem colorum inter se. Confirmât, quantumuis vas aureum vel ligneum mutetur localiter, adhuc est idem vas, & habet eamdem formam artificialem, sed tunc non habet easdem vbicationes quas anteà, ergo vbicationes non erant forma artificialis vasis. Idem est in picturâ. Quis enim dicat, diuersam esse picturam ex eo quòd sit in foro, vel in templo, vel domi? cùm tamen certum sit, vbicationes illius esse diuersas in templo, & diuersas in foro, &c. ergo illa forma artificialis non consistebat in vbicationibus, sed in distantiâ partium inter se, quæ cùm maneat eadem quocumq; feratur pictura vel vas, manet etiam eadem forma artificialis.

13 Hæc opinio improbabilior est præcedenti, impugnaturque clariùs, quia ipsius Auctores nihil agnoscunt reale in picturâ, nisi colores & eorum vbicationes: nam forma artificialis non est distincta realiter ab his duabus rebus in eorum sententiâ, dum sic argumentor: Artifex non producit colores, ergo solùm producit eorum vbicationes; sed per te artifex producit formam artificialem, ergo hæc non est distincta ab vbicationibus. Patet consequentia, quia forma producta ab artifice non est aliud per te quàm ipsæ vbicationes, alioquin iam adderes cum prioris sententiæ Auctoribus formam aliquam artificialem distinctam à partibus, & earum vbicationibus, quod à te negatum est. Confirmatur: quia distantia omnium rerum inter se non est aliquid distinctum ab earum vbicationibus, sicut diuersitas inter albedinem & nigredinem non est aliquid distinctu ab entitate albedinis & nigredinis (quod fusiùs probabitur, dum de Prædicamentus Situs egerimus) sed per te distantia partium est forma artificialis, ergo forma artificialis sunt ipsæ vbicationes, à quibus non distinguitur ea
14 distantia. Et propterea dixi, hanc sententiam esse improbabiliorem præcedenti, quia illa solùm ponebat vnam formam otiosam, hæc autem cùm nihil distinctum ab vbicationibus ponat, in quo consistat distantia, ait tamen produci distantiam, non verò vbicationes; has destrui, illam non, quod omnino repugnat.

Ex his infero, physicè loquendo, mutari inadæquatè figuram & formam artificialem, quotiescumque loco mutatur res artificiosa, quia tunc mutantur vbicationes, à quibus non distinguitur talis figura saltem inadæquatè. Mutatur etiam distantia partium, quæ in ipsis vbicationibus adæquatè consistit: in ordine autem ad apprehensionem nostram, & moraliter loquendo, non mutari figuram, quia succedunt aliæ vbicationes eodem modo distantes inter se ac priores; sicut moraliter loquendo eodem modo dicitur quis stare vel sedere, siue habeat has siue illas vbicationes, dummodò sint omnino similes inter se; & siue feratur huc siue illuc in sede. Et hinc responsum est argumentis aduersariorum.

Sed obiicies: Ergo qui mouet figuram, v.g statuam, erit causa illius formæ artificialis, cùm sit causa vbicationum, in quibus consistit forma artificialis. Respondeo, hominem mouentem figuram physicè loquendo producere nouam & distinctam inadæquatè formam artificialem, quia producit nouas vbicationes; non tamen censeri vllo modo esse artificem vel auctorem illius figuræ, quia non primò produxit eas vbicationes distantes inter se, & constituentes formam artificiosam, sed potiùs ex dispositione priori ab artificè productâ necessariò sequitur secunda ad motum localem illius figuræ, & hoc sine vllâ arte requisitâ in mouente figuram. 15

Secundò potest in præsenti dubitari, vtrùm ars, quæ est in artifice, concurrat efficienter ad opus artificiosum, an verò solùm directiuè. Disputatione 1. Logicâ Sect. 5. ostendi, actum intellectus docentem artificiosè definire ac diuidere, &c. solùm concurrere directiuè: quod idem 16
videtur dicendum de aliis artibus, de quibus rursus idem probatur, quia ars existit in mente & in cerebro, ergo non habet sufficientem approximationem, vt possit efficere vbicationes colorum in tabulâ vel in pariete. Et idem est de aliis artibus, quarum opera semper sunt distincta localiter ab arte residente in cerebro. Et ratio à priori est, quia ars non dat virtutem Physicam ad ponendos colores in tabulâ, sed solùm dirigit virtutem Physicam motiuam manus, ei dictando vbi debeat illos collocare, sicut qui me docet quà sit eundum Romam, non addit mihi virtutem physicam ad deambulandu (hanc enim à me ipso habeo) sed solùm ostendit quâ parte debeam exercere eam virtutem physicam locomotiuam, vel ambulatiuam. Confirmatur: quando quis di- 17
rigit discipulum, non potest immediatè physicè concurrere ad actus illos, vt per se est notum, ille enim percipiens quæ Magister dicit, solus posteà ea physicè exequitur.

Respondent aliqui, tunc produci artem in mente discipuli, quæ immediatè physicè concurrat. Sed contrà Primò, ergo quando medio aliquo bruto exequor rem artificiosam, produco in mente illius artem aliquâ quæ physicè influat in opus, quod est ridiculum. Contra Secundò, ergo si vel semel discipulus exequitur quæ à Magistro

gistro audit, iam habet in se artem productam quæ influat posteà, & consequenter iam erit Magister, nec nouâ doctrinâ indigebit. Constat ergo, tunc discipulum sine arte acquisitâ, solùm percipiendo quæ audit, operatum esse.

Obiicies Primò, Ergo ars nec directiuè potest concurrere ad artefactum, cùm ab eo distet localiter. Nego consequentiam: quia vt concurrat directiuè, sufficit vt eadem anima, quæ mouet immediatè manum, cognoscat per cognitionem existentem in ipsâ animâ in cerebro, etiamsi cognitio non existat in manu, quia eadem est anima in vtroque loco. Quomodo autem in brutis cognitio existens in capite, determinet alias actiones distantes, dicam Disputatione 1. de Animâ à num. 164.

Obiicies Secundò: Si ars solùm influeret directiuè, posset opus artificiosum fieri sine illâ, quod est falsum. Nego Primò consequentiam, 18
quia non solùm requiritur ad opus causa efficiens, sed etiam directiua, vt patet in voluntate non valente amare sine cognitione, cùm tamen cognitio non influat efficienter, sed solùm directiuè in amorem. Similiter lux non influit physicè in meum motum localem, sed solùm directiuè, & tamen sine luce non poterit quis sine periculo errandi & cadendi per loca aspera incedere. Deinde distinguo consequens. Potest absolutè res artificiosa fieri sine arte, concedo consequentiam: potest enim homo vel nihil cogitando ita massam aliquam v. g disponere, vt vel canis, vel hominis, vel alterius rei figuram efficiat. Potest ita facilè, & sine periculo errandi sine arte ac cum illâ, nego consequentiam, vt in simili de Logicâ Disputatione III. à num. 35. dixi, & res est per se clarissima.

DISPVTATIO SEPTIMA.

De Causis in communi.

Tota hæc Disputatio de Causis in communi & in particulari, valdè vtilis est ad vniuersam Philosophiam & Theologiam, ideò oportet, quæ in eâ dixerimus, præ oculis habere.

SECTIO I.

Definitur Causa in communi.

1 Varias causæ definitiones tradunt Conimbricenses 2. Physicorum cap. 7. quæstione 7. Pererius lib. 8. Physicæ cap. 1. P. Suarez Disputat. 12. Metaphysicæ sect. 2. Hurtadus Disputatione 8. Physicorum quæst. 1.

Prima, quæ nonnullis arridet, est quam tradunt Conimbricenses suprà art. 1. scilicet, *Causa est id, à quo aliud per se dependet.* Mihi tamen non placet, quia effectus etiam per se pendet ab aliquibus conditionibus, v. g. ab indistantiâ & approximatione cum causâ, & tamen illæ conditiones non sunt causæ.

Secunda est P. Suarezij suprà, *Causa est principium per se influens esse in aliud.* Hanc reiiciunt nonnulli, quia etiam iuxta illam Verbum diuinum vnitum humanitati Christi Domini erit causa intrinseca Christi, quod falsum est. Hæc impugnatio non vrget, quia Verbum non influit esse in Christum Dominum; nam *influere* dicit productionem, Verbum autem non constituit Christum Dominum illum producendo, vel influendo aliud esse in illum, sed solùm componendo intrinsecè, se ipsum humanitati communicando, quod propriè non est causare, nec influere, vt alibi dixi. Deinde, Verbum diuinum non potest dici absolutè aliud à Christo, quia includitur in ipso Christo, sed aliud ab humanitate, quam non componit; sicut etiam ipsi Auctores, qui præfato argumento vtuntur, docent ob
2 eamdem rationem non posse dici, Christum esse aliud per se dependens ab humanitate; vnde inferunt, illi non conuenire definitionem causæ traditam à Conimbricensibus; ergo nec conuenier, ob eamdem rationem quæ traditur à Suarezio, cùm in vtraque requiratur, effectum esse aliud à causâ, & differentia solùm sit, quòd Conimbricenses vtuntur verbo *dependere*, Suarez autem *influere*; Christo autem Domino non minùs conuenit dependere à Verbo, quàm ab eo accipere influxum: imò dependentia verè conuenit, influxus autem non (vt ex dictis constat) ergo Verbo respectu Christi non magis conuenit definitio P. Suarezij, quàm definitio Conimbricensium, sed potiùs è contrario magis conuenit Conimbricensium quàm Suarezij.

Aliunde impugnatur definitio P. Suarezij ad hominem quidem, quia ipse docet, Christum Dominum se ipsum producere in Eucharistiâ, & esse causam sui, ergo non est de ratione causæ, *influere esse in aliud*, tunc enim Christus est sui causa, & non influit in aliud. Deinde, quia etiam principium per se influit esse in aliud, v. g. Pater æternus, qui est aliud suppositum à Filio, per se 3
influit esse in aliud suppositum, & tamen non est causa Filij, ergo ea definitio non est propria causæ, quia (vt benè Hurtadus notauit) etiam potest dici Verbum aliud à Patre non in naturâ, sed in supposito.

Alij causam sic definiunt, *id à quo aliquid pendet vt ab influente per se.* Per *vt pendet* excludunt principia, de quorum ratione non est dependentia effectus ab ipsis, vt patet in Patre æterno, à quo non dependet Filius, etiamsi Pater sit principium illius: & hinc dicunt, Patrem non esse causam Filij diuini, neque vtrumque causam Spiritus sancti. Sed contrà clarè, quia Filius verè dependet à Patre; quia *dependere* nihil aliud est, quàm egere illo ad sui existentiam, Filius autem non potest esse sine Patre, ergo eget illo, ergo dependet ab illo, ergo causatur ab illo. Idem argumentum fit in Spiritu sancto. Sed respondent, negando Antecedens, quia dependentia dicit produci essentiam: cùm autem, etsi producatur Filius à Patre

Patre æterno, non tamen producatur essentia Filij, ideò Filius non dependet à Patre, etiamsi non possit esse sine illo, sicut nec dependet Pater à Filio, etiamsi Pater non possit esse sine Filio.

4 Hi Auctores in quæstione de nomine videntur significationem gratis mutare: Dependentia stat sine influxu, ergo & sine productione essentiæ. Antecedens patet, quia effectus pendet non solùm à causâ quæ producit essentiam, sed & à conditionibus, quæ non producunt neque influunt; essentia item pendet à posteriori à suis passionibus, & materia à formâ substantiali, & hæc à dispositionibus, etiamsi nihil horum non solùm non producat essentiam, sed nec vllo modo influat. cur ergo ita gratis significationem huius vocis *dependentia* ad productionem essentiæ solam significandam transfers? neque vllus vmquam ita explicuit verbum *dependeo*. Legatur Calepinus. Ad confirmationem ex Patre æterno dico, eum dependere in re à Filio, quia sine illo non potest esse, communiter autem id solet negari, quia videtur hoc nomen sonare aliquam imperfectionem, non autem negatur, quia essentia non sit producta.

5 Quidam alius, supponens ex materiâ de Trinitate, personam diuinam producentem non posse concipi sine productâ, eò quòd producens constituatur per ipsam actualem productionem, quæ non potest concipi sine suo termino; aliunde verò supponens ex Aristotele, causam esse priorem effectu, concludit, ideò vnam personam diuinam non esse causam alterius, quia non est prior alterâ. Admitto huic Auctori illam doctrinam de personis diuinis; quòd verò propterea non dicantur causæ, non possum mihi persuadere. Patres enim Latini, qui hoc nomen *causa* à diuinis ablegarunt, certè non attenderunt ad istam subtilitatem de prioritate rationis *in quo*. Adde, Patrem æternum non dicendum causam Filij, esse omnino inter Latinos certum. At non omnes negant eam prioritatem naturæ in diuinis. Præterea alij in humanis, in causis necessitatis ad operandum non admittunt prioritatem *in quo*, sed *à quo*, quæ etiam datur in diuinis, & tamen eas dicunt verè causas; ergo causa nō constituitur per hoc quòd sit prior naturâ suo effectu. Quod verò ex Aristotele adducit, non est ad rem: Aristoteles enim, qui hoc mysterium Trinitatis prorsus ignorauit, non distinxit inter causam & principium propter hanc prioritatem.

6 Adde (quod est lepidius) Aristotelem Græcè scripsisse, Græcos autem Patres omnes Deo tribuere nomen *causa* respectu Filij, ergo causa apud Aristotelem & apud Græcos non requirit eam prioritatem *in quo*; vel si eam requirit, certè omnes Patres Græci Catholici sentiunt contra ipsum Hurtado, dari in Deo has prioritates *in quo*, vel quomodo ex vocabulo Aristotelico Græco, quod in diuinis admittitur, aliquid infert ex Aristotele circa vocabulum *causa* Latinum, & ab Aristotele ignoratum, de quo est tota quæstio præsens?

Ego dicendum puto, Latinos Patres, negantes in diuinis hoc nomen *causa*, attendisse ad rem manifestam & certam apud omnes, scilicet, essentiam diuinam non produci. Vnde etsi fortè antiquitus apud Latinos vniuersaliùs vsurparetur hoc nomen, ipsos tamen Patres, vt facerent distinctionem inter creaturarum productionem vbi essentia producitur, & inter diuinas vbi essentia seu natura non producitur, nomen *causa* restrinxisse ad significandam productionem essentiæ seu naturæ, ideoque causam in diuinis reiecisse, nomen verò *principium* reliquisse in suâ vniuersalitate, & ideò illud ibi admisisse. Hinc 7
infero, causam sic posse definiri, *est illa quæ per se influit producendo essentiam*. Posses dicere, ergo qui producit accidentia, non est causa, quia non producit essentiam. Respondeo, hoc argumentum esse contra omnes: facilè tamen soluitur, accidentia enim habent propriam essentiam realiter diuersam ab essentiâ subiecti; at relationes diuinæ non dicuntur habere absolutè essentiam, sed secundùm quid, distinctam virtualiter à naturâ diuinâ. Et hoc sufficit pro quæstione de nomine.

Aduerte, à me non requiri ad rationem causæ, vt influat *in aliud* vel *in alium*; quia puto, diuinitus idem posse, quoad secundam actionem, esse causam sui: in quo acquiesco P. Suarezio, qui minùs consequenter in hoc loquitur propter dicta num. 2. Solùm ergo debet causa influere in essentiam seu naturam rei productæ.

SECTIO II.

In quo consistat essentialis causæ conceptus in actu primo.

QVÆRIMVS, vtrùm causa in actu primo, & 8
vt potest operari, includat actionem ipsam quâ operatur, saltem vt possibilem, an verò præcisè dicat ipsam entitatem causæ, quæ se sola sit potens causare effectum.

Recentiores nonnulli apud Hurtadum Disputatione 8. §. 18. opinati sunt, causam in actu primo includere duo, & ipsam entitatem causæ, & actionem possibilem; hanc in obliquo, illam in recto, sicut album includit duo, & subiectum in recto, & albedinem in obliquo. Probant suam sententiam, quia causa in actu secundo dicit actionem existentem, per quam formaliter constituitur causans, sicut subiectum per albedinem constituitur album; ergo causa in actu primo debet includere ipsam actionem in actu primo, id est vt possibilem. Patet consequentia, quia idem, quo existente res aliqua constituitur in ratione existentis vt possibile, debet constituere eamdem rem in ratione possibilis. v.g. per animalitatem & rationalitatem existentem constituitur homo actu existens; per easdem, vt possibiles, debet constitui homo in ratione possibilis; ergo si per actionem actu existentem constituitur causa actu causans, per actionem vt possibilem cōstituitur in ratione potentis operari, seu in actu primo. Ex his infe- 9
runt, ipsam entitatem causæ, vt separatam ab actione possibili, non dicere relationem ad effectum, quia vt sic est entitas absoluta: neque enim vt sic magis respicit effectum, quàm accidens respiciat substantiam, & creatura Deum; sed nec creatura respicit Deum transscendentaliter, nec substantia accidens, cùm possit creatura & accidens intuitiuè cognosci, quin cognoscatur Deus aut substantia, ergo nec entitas causæ respicit effectum. Confirmatur, quia si causa respiceret effectum, & effectus causam, causa se ipsam saltem mediatè respiceret, quod repugnat: si verò consi-

consideretur causa vt includit ipsam actionem possibilem, vt sic respicit essentialiter effectum ratione actionis, quæ transscendentaliter respicit effectum, quæq; non potest cognosci sine effectu.

10 Hanc opinionem meritò reuicit Hurtadus suprà. quod vt & nos præstemus, aduertimus Primò, duplicem esse actum primum, alium Logicum, alium Physicum, sicut in simili diximus de potentiâ, dum egimus de potentialitate materiæ. Actus primus Logicus nihil est aliud, quàm non-repugnantia seu possibilitas rei in ordine ad existendum. modò v. g. habet Antichristus actum primum Logicum, quia habet possibilitatem ad existendum. Hic actus primus idem est cum secundo Logico, id est cum re existenti, quia res possibilis & res existens solùm distinguuntur penes diuersum modum concipiendi, de quo in Metaphysicâ. Actus primus Physicus est virtus effectiua, physicè productiua alicuius. V. g. virtus, quam habet Deus ad producendam creaturam, est actus primus physicus Dei. Hi duo actus in hoc distinguuntur, quòd Logicus non est productiuus (neque enim Petrus possibilis producit se ipsum existentem) ideoque hic actus primus Logicus conuenit etiam ipsi effectui vt tali formaliter, quia effectus etiam habet non repugnantiam ad existendum, sicut eam ha-
11 bet causa illius: at verò actus Physicus primus est verè productiuus actus secundi Physici, ideoque actus primus Physicus non conuenit formaliter effectui, quia effectus formaliter licet sit producibilis, non tamen est productiuus; conuenit verò causæ, quæ est productiua effectus. Quia verò Auctores, cum quibus disputamus, vtrumque actum confuderunt, ideò in eam sententiam lapsi sunt.

Ex hac doctrinâ facilè opposita impugnatur: quia licet actio vt possibilis habeat actum primum Logicum respectu sui ipsius vt existentis; actio tamen vt possibilis non habet actum primum Physicum respectu sui ipsius vt existentis, quia non producitur actio existens à se vt possibili, sicut neque ipse effectus vt possibilis constituit actum primum Physicum sui ipsius, quia effectus non est complementum principij vt operatiui, sed à principio operatiuo completo dimanat. Confirmatur: non solùm producitur effectus, sed etiam actio illius; ergo sicut datur actus primus Physicus respectu effectus ab ipso adæquatè distinctus, quia nihil potest esse actus primus Physicus sui ipsius, ita etiam debet dari actus primus Physicus actionis adæquatè ab illâ distinctus, quia non potest actio constituere actum primum productiuum sui ipsius; ergo causa in actu primo Physico vt productiua & actionis & effectus, nec per effectum nec per
12 actionem potest compleri; ergo causa in actu primo Physico solùm constituitur per propriam entitatem vt adæquatè contra distinctam ab actione & effectu.

Deinde impugnatur, quod secundo loco ab his Doctoribus docetur, nempe entitatē causæ omnino esse absolutam, nec relationem transscendentalem dicere ad effectum, nam causa per suam entitatem est productiua actionis & effectus, ergo hoc quòd est posse producere effectum in illâ, aliquid est essentiale; ergo per suam essentiam dicit talem ordinem ad effectum, ita vt si hic esset impossibilis, esset etiam impossibilis causa, nam esset impossibile aliquid essentiale idemtificatum cum causâ, scilicet posse producere illum effectum. Confirmatur & explicatur hæc ratio: pono entitatem animæ etiam vt seiunctam ab actione possibili, & entitatem ignis, & comparo vtramque in ordine ad actum viuendi, & ad calefactionem; anima ex se habet posse simul cum actione intentionali producere actum 13
vitalem, quod omnino repugnat entitati ignis; è contrario verò, hæc ex se antecedenter ad calefactionem habet posse ipsam calefactionem producere, & mediâ illâ calorem, quod omninò repugnat animæ rationali; ergo anima rationalis & ignis, etiam considerati antecedenter ad actionem, habent ex suâ essentiâ illa, posse producere actum vitalem, hic verò calorem; sed hoc deficeret in illis, si non esset possibilis calor & actus vitalis, ergo antecedenter ad actionem essentialiter respiciunt suos effectus. Confirmo, quia licet ignis respiciat calorem mediâ actione possibili (vt tu dicis) ipsa tamen actionem per se ipsum, & consequenter essentialiter respicit ignis; & in hoc differt ab aquâ, quæ nec calorem nec calefactionem respicit: at hic respectus periret, si non esset possibilis calor, quia nec actio circa illum esset possibilis. repugnat enim esse possibilem actionem circa effectum impossibilem (vt ex se patet) ergo etiam iuxta tuum modum dicendi, debet causis tribui essentialis connexio cum effectu in esse possibili, siue ea mediata sit siue immediata: Et fortè in re hoc non negabitur ab his Auctoribus, etiamsi non vocent illam *relationem secundùm esse*, sed solùm *secundum dici*; quod ad modum loquendi præcisè spectat. Qualiter verò hoc argumentum posset ab his eludi non solis terminis, sed re ipsâ, vide num. 31. vbi & elusionem reiiciam.

Hic idem respectus transscendentalis & essen- 14
tialis causæ ad effectus possibiles, potest sic probari: causa existens dat actualem existentiam effectui, ergo eadem causa possibilis dat possibilitatem effectui. Patet consequentia, quia sicut se habet causa existens ad effectum existentem, ita debet se habere causa possibilis ad effectum possibilem. Hoc argumentum valdè arridet recentioribus, mihi tamen in multis videtur peccare: & quidem formam arguendi euidenter ostendi esse malam, nam causa existens non pendet ab effectu existente (nec enim ignis, vt existat, pendet ab omnibus suis calefactionibus actu existentibus) nec materia existens pendet ampliùs quàm ab vnâ formâ substantiali, & tamen ignis possibilis pendet à possibilitate omnium calefactionum possibilium per te; ergo non valet consequentia, Sicut se habet existens causa ad effectum existentem, ita possibilis ad possibilem, quandoquidem existens effectus pendet à solâ vnâ causâ existente; at vt possibilis, pendet ab omnibus causis vt possibilibus. Malè ergo eam consequentiam traxisti ab existentiâ ad possibilitatem.

Adde, Antecedens tui argumenti adhuc esse 15
falsum, nec enim causa existens necessariò dat existentiam effectui. Si enim causa sit libera, potest ab omni operatione cessare; ergo iam hæc possibilis non dabit necessariò possibilitatem effectui, sed sicut potest existere, etiam si non exi-

stat

stat effectus, poterit esse possibilis, licet non sit possibilis idem effectus, iuxta tuum modum arguendi. Imò etsi causa sit necessaria, adhuc non dat necessariò existentiam, nisi vnico effectui, aut duobus, ex infinitis quos potest producere; ergo sicut hæc causa existens non dat existentiam nisi vni effectui, ita possibilis non dabit possibilitatem nisi vni; & sicut potest existere sine infinitis eum solo vno, ita poterit esse possibilis, etiamsi vnicus tantùm sit possibilis. Vides argumentum contra te euidenter retortum? Respondeo ergo ei absolutè, non quatenus est pro me, quia vt sic, iam ostendi non habere vllam vim; sed quatenus contra nos videtur esse, eò quòd retorserim illud contra
16 nostram sententiam. Dico igitur, respectum essentialem causæ non esse ad effectum existentem, sed vt possibilem; vnde etiamsi causa possit actu existere sine effectu, non tamen si non sit possibilis effectus. Ratio à priori est, quia actu producere effectum, est quid distinctum à causâ, prouenies ab actione intermediâ; ideò benè potest existere causa, licet actu non causet: at posse producere effectum, est ipsamet entitas causæ, hæc autem potentia non potest existere nisi possibilis sit effectus, quia ad impossibile non est potentia.

Ex his facilè soluuntur argumenta opposita. Ad primum respondeo, actum primum Logicum constitui per ipsum actum secundum Logicum in esse possibili, hoc est, possibilitatem operationis, & causæ secundæ vt operantis, constitui per ipsam actionem in esse possibili; nego tamen, actum primum Physicum posse constitui per ipsum effectum aut actionem, etiam in esse possibili (vt aduersarij contendebant) quia actio aut effectus possibilis non possunt esse principium sui ipsorum in esse existentiæ. Et ratio à priori est, quia nihil non existens, sed præcisè possibile, potest esse complementum principij operatiui physicè, aut per se operari physicè.

17 Ad Secundum, desumptum ex creaturâ, & accidenti in ordine ad Deum & substantiam, respondeo, eo potiùs probari nostram doctrinam: nã creatura ex se ipsâ essentialiter respicit Deum vt causam, & vt id à quo essentialiter dependet, quo nihil certius in Philosophiâ & Theologiâ. Quòd si Deus deesset, eo ipso deesset creatura. Et certè non possum mihi persuadere, hos Auctores ausos fuisse dicere, creaturæ existentiam non pendere à Deo essentialiter; hoc autem ego voco relationem transcendentalem. Similiter accidẽs ex suâ essentiâ petit substantiæ inhærere vel adhærere, ergo ex suâ essentiâ respicit substantiam: nec video possibilem vllam relationem transcendentalem, si non datur in accidenti respectu substantiæ, & in creaturâ respectu Dei; ergo similiter causa respicit transcendentaliter effectum. Neque obest, causam sine effectu, creaturam sine Deo, & accidens sine substantiâ intuitiuè posse cognosci, vt cognoscuntur per sensus: nam ad hoc, vt cognoscatur terminus alicuius relationis, non sufficit quæcumque cognitio, etiam intuitiua, ipsius relationis, præsertim si ea cognitio sit materialis, quæ est valdè imperfecta; sed requiritur cognitio magis explicita, & penetratiua ipsius relationis, de quo egi Disputatione v. Logicæ, à num. 21. agens de præcisionibus obiectiuis.

18 Denique ad vltimam confirmationem respondeo, non esse inconueniens, imò ab omnibus necessariò admittendum, posse aliquid se ipsum mediatè respicere: nam Pater æternus dicit relationem ad Filium, & hic ad Patrem, in quo consistit mediatus respectus ad se ipsum.

Dices: Priùs est possibilis causa quàm effectus, ergo causa non constituitur per essentialem ordinem ad effectum. Nego Antecedens; quia si loquamur in re ipsâ, simul est & effectus & causa possibilis, quia eorum possibilitas inuicem pendet essentialiter; si verò loquamur in ordine ad nostrum conceptum (transeat, priùs imperfectè cognosci causam, quàm effectum) quid inde? Dico, *imperfectè*, quia cognitione comprehensiuâ necessariò in causâ cognitâ cognoscitur effectus possibilis, & è contrario in effectu ipsa causa.

Aliud argumentum desumptum ex diuinis, vbi principium productiuum constituitur per ipsam productionem actiuam, seu quasi actionem, ergo etiam in creatis causa constituetur per actionem; hoc, inquam, argumentum solui in materiâ de Trinitate, assignans manifestam disparitatem quoad hoc inter diuina & causas creatas. Hanc vbi nunc repeto breuiter, quòd in di- 19
uinis actio est improducta, vnde potest benè constituere principium; in creatis verò procedit actio ab ipsâ causâ, vnde non potest eam complere in actu primo. Adde, argumento probari multò plus quàm aduersarij intendant: illi enim solùm dicunt, per actionem possibilem completi causam creatam, at in diuinis non constituitur principium per productionem actiuam possibilem, sed per illam vt existentem, quod omnino in creatis repugnat; aliàs ipsa actio creata vt existens, esset principium sui ipsius, quod & ab aduersariis reputatur impossibile, saltem quoad primum esse. Nullum ergo est argumentum à diuinis ad creata in præsenti quæstione.

Rogabis, vtrùm non solùm in causis creatis detur hæc relatio transcendentalis ad effectum, sed etiam in Deo ad creaturas possibiles. Negat P. Vasquez, quia censet non dependere Deum à possibilitate simiæ vel formicæ. Affirmat P. Suarez, cui subscribo, propter rationem factam, quia scilicet hoc, quod est Deum posse producere creaturas, est essentiale Deo; quod deficeret, si repugnarent creaturæ: ergo Deus essentialiter illas respicit vt possibiles. Video, aduer- 20
sarios posse mihi respondere exemplo actuum liberorum Dei, vbi sine vllâ Dei mutatione potest esse actu cognoscens Petrum futurum, quod non haberet, si Petrus non esset futurus; ergo idem erit de omnipotentiâ, scilicet illam sine immutatione sui, si Petrus sit possibilis, futuram intrinsecè productiuam illius, eo autem impossibili eamdem non futuram productiuam eiusdem. Ego hunc habeo discurrendi modum, vt si magnam aliquam difficultatem cogar in vnâ aut alterâ materiâ recognoscere, nolim eam vllo modo sine causâ ad alias extendere. Summa omnium difficultatum est illa de actibus liberis Dei, quam solâ Fide coacti subire tenemur. Vt quid eam gratis extendam ad omnipotentiam & ad scientiam necessariam? Miror ab his Auctoribus etiam eodem modo non doceri, Patrem æternum in esse entitatis mansurum eumdem, licet Filius non existeret. Et quidem, si adhærere velint exemplo actuum liberorum, pote-

runt

runt tam facilè hoc defendere, quàm in omnipotentiâ. Hæc hîc sufficiat tetigisse, fusiùs Deo dante in Theologiâ. Sed vix est in hoc puncto quod dicatur fusiùs, tota enim summa rei tacta est duobus verbis.

SECTIO III.

Vtrùm Causa respiciat effectum in communi, an in particulari.

21 INQVIRIMVS, vtrùm respectus transscendentalis, quem diximus dari in causâ respectu effectuum, sit ad illos in particulari: id est, vtrùm ignis v. g. respiciat hunc numero calorem, quem potest producere, ita vt si hic esset impossibilis, esset etiam impossibilis ignis; an verò solùm respiciat calorem in communi, ideoque non dependeat à possibilitate huius vel illius in particulari. Quæ difficultas est etiam communis potentiis respectu suorum actuum, v. g. potentiæ visiuæ respectu visionum, tactui respectu sensationum, intellectui respectu cognitionum, & voluntati respectu amòris. An autem de eisdem potentiis respectu obiectorum sit eadem ratio, dicetur infrà.

22 Nonnulli recentiores opinantur, respectum causæ & potentiæ solùm esse ad effectum & obiectum in communi, v. g. respectum potentiæ visiuæ solùm esse ad colorem vt sic, non verò ad albedinem & nigredinem in particulari: vnde etsi esset impossibilis albedo, dummodò possibilis esset aliquis color, maneret (inquiunt) eadem numero potentia visiua quæ modò est, quia hæc solùm respicit coloratum, quod etiam tunc respiceret, etiamsi esset impossibilis albedo. Quam doctrinam applicant omnipotentiæ Dei in ordine ad creaturas, vt non respiciat hanc vel illam determinatè, sed creaturam vt sic, seu id quod non implicat contradictionem in communi, siue hoc siue illud sit. Confundunt hi obiectum & effectum: & licet de vtrisque non sit eadem ratio, ad punctum tamen præsens eadem est; supponitur enim nunc, potentiam respicere essentialiter & pendere à possibilitate sui obiecti saltem in communi, sicut à possibilitate effectus.

23 Priusquam hanc opinionem absolutè impugnem, ostendo horum in consequentiam: aiunt enim, si deficeret omne coloratum, tunc non mansuram hanc eamdem potentiam visiuam, mansuram tamen, etiamsi omnes colores repugnarent, vnico tantùm excepto; deinde omnipotentiam Dei destructum iri, casu quo nulla creatura esset possibilis, mansuram tamen eamdem numero quæ iam est, si vel sola formica esset possibilis, licet homo, Angelus, ceteraque entia repugnarent; quæ duo nequaquam inter se cohærent, quod sic euidenter probo. Per te ideò Deus, etiam deficiente possibilitate Petri, manet idem, quia semper manet cum virtute ad producendum, quæ non implicat contradictionem, ad quod per accidens se habet, Petrum vel Paulum in particulari implicare contradictionem, quia hoc non tollit à Deo virtutem productiuam eorum, quæ non implicât: atqui etiamsi essent impossibiles omnes creaturæ, adhuc Deus maneret cum virtute ad producendum id quod non implicat, quæ virtus potest per hanc conditionalem explicari: quòd si essent possibiles creaturæ, possent à Deo produci, & tunc Deus differret à 24
creaturâ, quia hæc non habet virtutem etiam conditionalem, vt posset producere ea quæ non implicarent contradictionem. Deus verò habet talem virtutem, sicuti à te in simili de Petro in particulari docetur, scilicet Deum habere essentialiter hoc, vt si Petrus non implicet contradictionem, possit eum producere: quòd verò absolutè implicet vel non, hoc (inquis) est per accidens respectu Dei; ergo, si semel admittatur, omnipotentiam Dei non pendere à possibilitate huius creaturæ in particulari, etiam dicendum est, non pendere à possibilitate vllius. Vnde consequentiùs hac in re locutus est P. Vasquez, qui non solùm Deum dixit esse independentem à possibilitate huius vel illius in particulari, sed etiam à possibilitate omnium. Idem est dicendum in omnibus potentiis, casu quo non respiciant obiecta in particulari, sed in communi: nam sicut posset manere in eorum sententiâ hæc potentia, quæ est modò cognoscitiua Petri, etiamsi esset Petrus impossibilis, posset inquam manere non in ratione potentiæ cognoscitiuæ Petri, sed in ratione entitatis; ita similiter posset manere, 25
etiamsi omnia obiecta essent impossibilia, non quidem tunc in ratione potentiæ cognoscitiuæ absolutè illorum, sed in ratione entitatis; ergo idem, quod dicitur de potentiâ in ordine ad vnum obiectum in particulari, scilicet esse independentem ab illo, dici debet in ordine ad omnia obiecta collectiuè.

Absolutè autem sic impugno eam opinionem cum Hurtado, qui eam efficaciter reiecit, ex quo breuiter vnum vel alterum accipiam argumentum. Addam etiam & speciale. Primò, quia respectus realis, seu relatio realis nequit esse nisi ad terminum realem, vt omnes fatentur; sed coloratum vt sic, abstractum à coloratis particularibus, nihil est reale, ergo ad illud non potest esse respectus realis in potentiâ visiuâ. Confirmo argumentum ex dictis à nobis Disputatione VI. Logicæ à num. 13. vbi ostendimus, hominem vt sic, & coloratum vt sic, &c. ex parte obiecti esse formalissimè omnes homines in particulari collectiuè sumptos, licet ex parte actus intellectus includant confusionem, quâ omnia colorata à me cognoscuntur sine distinctione. At potentia visiua non respicit actum confusum, quo omnia colorata à me præscinduntur, quia hunc actum non potest visus videre, nec de illo est sollicitus; ergo solùm respicit obiectum huius actus confusi. Sed hoc obiectum (vt dictum est) solùm 26
sunt omnes colores in particulari, ergo hi sunt immediatus terminus potentiæ visiuæ, ergo hæc respicit essentialiter non aliquam rationem abstractam coloris, sed omnes colores in particulari, non secùs ac ex parte obiecti actus, quo dico *homo*, respicit Petrum, Paulum, & Franciscum &c. non minùs quàm si dicerem, *Petrus, Paulus*, & *Franciscus*, cum hac solâ differentiâ, quòd per primum actum hi cognoscuntur confusè, per secundum verò clarè, quæ differentia non se tenet ex parte obiecti, sed ex parte actus; ergo dum dicitur, potentiæ visiuæ respondere ex parte obiecti coloratum vt sic, idem est ac si diceretur, ei respondere albedinem, nigredinem, &c. quæ

formaliter ex parte obiecti constituunt colorem vt sic.

Quod dicitur de speciebus coloris in ordine ad colorem vt sic idem dicendú est de indiuiduis albedinis v. g. & nigredinis, in ordine ad albedinem & nigredinem vt sic: quia sicut color vt sic, sunt omnes species coloris, ita albedo vt sic sunt
27 omnia indiuidua albedinis. Hinc infero, quocumque obiecto in particulari deficiente non permansuram eamdem potentiam quæ modò est, quia non maneret idem respectus, quia nec idem terminus; sicut in actibus intellectus non potest idem actus numero, qui semel attingit ex parte obiecti Petrum, Franciscum, Ioannem, non semper illos attingere. Vnde in omnium sententiâ actus, quo tantùm cognoscerem Petrum & Franciscum, necessario futurus esset diuersus ab eo, quo omnes tres simul attingerem; ergo similiter respectus attingens de facto ex parte obiecti hunc & illum & illum colorem, non potest non semper illos attingere; & quocumque deficiente deficeret necessariò hic respectus. Ne verò tam certæ opinionis veritatem adhuc ex vnicâ nostrâ sententiâ, præcisiones obiectiuas negante, etsi satis euidenti, dependere putes; eam secundò sic probaui olim, quod argumentum benè postea ab aliis approbatum & ampliùs confirmatum est.

28 Do enim his Auctoribus, coloratum vt sic, ex parte obiecti esse aliquam abstractam formalitatem ab omnibus coloratis in particulari, quæ respiciatur à potentiâ visiuâ, adhuc sic argumentor: Eo ipso quòd esset impossibile aliquod coloratum in particulari, esset diuersum illud coloratum vt sic ab eo quod modò est; ergo etiam si potentia respiceret coloratum vt sic abstractum, adhuc penderet essentialiter ab hoc colorato in particulari. Consequentia est euidens. Antecedens probatur, quia coloratum vt sic quod modò est, respicit vt inferiora omnia colorata in particulari, cum quibus petit idemtificari; ergo diuersum coloratum vt sic esset, quod respiceret plura, ab eo quod respiceret pauciora inferiora. Patet consequentia, quia respectus ad inferiora variatur essentialiter pro varietate ipsorum inferiorum; vnde animal vt sic, etiamsi sit quid abstractum ex parte obiecti, adhuc esset diuersum ab eo quod iam est, si non esset possibile nisi præcisè animal rationale, ergo etiam concessis præcisionibus obiectiuis, & totâ tuâ doctrinâ de vnâ ratione communi, quæ respiciatur à potentiâ, teneris concedere, pendere potentiam ab omni colorato in particulari. quocumque ergo modo potentia respiciat suum obiectum, & causa suos effectus, siue in communi, siue in particulari, dicendum est, necessariò illam pendere ab omnibus & à quolibet in particulari.

29 In potentiis physicè operatiuis res est clarior, quia licet concedamus, intellectum respicere ens vt sic abstractum, ignis tamen producens calorem v. g. non potest respicere rationem caloris vt sic, quia calor vt sic non est producibilis, etiamsi vt sic sit cognoscibilis, potentia autem effectiua respicit suum terminum vt producibilem, ergo in particulari & non in communi. Imò etsi formalitas caloris vt sic esset producibilis sola, adhuc argumentum vrgeret, quia potentia productiua non solùm eam formalitatem, sed & alias omnes potest producere; omnia autem ea respicit essentialiter, quæ essentialiter potest producere (vt per se constat.) Idem est in potentiâ visiuâ, quæ non respicit suum obiectum nisi mediis suis actibus, per nullum autem actum respicit colorem vt sic, sed per vnum actum albedinem in particulari, qui actus essentialiter pendet ab albedine, & per alium nigredinem, &c. ergo potentiæ visiuæ obiectum nihil est aliud nisi aggregatum quoddam omnium obiectorum in particulari. Nec video, quid possit responderi, nisi confundendo vocibus & terminis rem facillimam & certissimam.

A priori Secundò nostra Conclusio roboratur, 30
quia in potentiâ visiuâ, v. g. posse videre albedinem, & hanc in particulari, est aliquid essentiale ipsi potentiæ, neque enim habet hanc virtutem per aliquid sibi superadditum; sed hoc deficeret, si esset impossibilis hæc numero albedo, nam tunc non posset esse potentia videndi albedinem, si hæc esset impossibilis; ergo tunc deficeret in potentiâ visiuâ aliquod prædicatum essentiale illi idemtificatum, ergo deficeret & ipsa potentia, quia non potest aliquid idemtificatum cum illâ deficere, nisi & tota ipsa deficiat; sicut non potest deficere homini rationalitas, quin illi absolutè deficiat tota hæc essentia.

Potest Primò responderi, mansuram tunc illam potentiam non in ratione potentiæ, sed in ratione entitatis, sicut docetur à pluribus de similitudine, scilicet eam idemtificari cum solo fundamento, & ablato termino manere non in ratione denominationis similis, sed in ratione entitatis. Sed contrà, quia, vt Disput. XII. Logicæ à nu. 3. ostendi, eiusmodi distinctio in esse entitatis & in esse denominationis, omnino est chymærica, & destruens totam Philosophiam. Vide quæ ibi contra eam dixi.

Potest Secundò responderi, virtutum causæ 31
esse conditionalem, id est si effectus in se non sit repugnans, ideoque in causâ esse absolutè potentem, esse denominationem partim intrinsecam ab entitate causæ, extrinsecam partim à possibilitate effectus: non, sicut dicebant Auctores Sectione 2. impugnati, eò quòd actio possibilis vel effectus possibilis constituat virtutem physicè operantem; sed quia, licet tota virtus influens & producens sit entitas ipsa ignis, pendet tamen ab extrinsecâ conditione, scilicet à possibilitate ipsius effectus, sicut ignis vt proximè potens calefacere dicit approximationem passi, quæ tamen approximatio est pars huius denominationis proximè potentis, ideoque respectu ignis non est adæquatè intrinseca talis denominatio: & sicut deficiente actuali approximatione, immutato igne, perit ea denominatio potentis proximè; ita deficiente possibilitate effectus, immutato etiam ipso igne, perire denominationem absolutè potentis, etiam remotè causare colorem. vnde tandem infertur, non pendere causæ entitatem à possibilitate huius effectus in particulari.

Hæc solutio sic explicata non potest efficaci ra- 32
tione aut experientiâ impugnari. Verùm iuxta eam non solùm non pendebit causa ab hoc effectu numero in particulari, sed nec in communi, nec ab vllo. Vnde etiamsi omnis repugnaret effectus, posset manere entitas causæ, quod nec ipsi aduersarij audebunt fateri. Imò hoc modo possent

sent dicere, posse esse intellectum, qui tamen nihil possit intelligere etiam diuinitus; & potentiam visiuam nullâ possibili visione, similiter entitatem vnionis etiamsi non esset possibile extremum, quod vniret, esset enim talis ea vnio, vt si extremum esset possibile, illud actu vniret; similiter actualem visionem, sine vllo obiecto vero nec apparenti; &, vno verbo, nulla res ita cum aliâ connexa poterit assignari, in quâ non mihi liceat dicere, illam habere connexionem seu ordinem conditionatum cum alterâ, & actu absolutè connecti vel non connecti, esse denominationem inadæquatè extrinsecam à possibilitate alterius termini, quæque posset deesse immutato subiecto, solùm ex defectu extremi, quo pacto
33 tota prorsus turbaretur Philosophia. Reiicienda ergo & eliminanda ex scholis talis conditionata virtus & connexio causæ cum effectu, potentiæ cum obiectis, & concedenda absoluta & essentialis & ad omnes terminos in particulari.

Sed age, quid pro se aduersarij nobis obiiciant, audiamus. Primò arguunt: Vna potentia seu causa debet habere vnum obiectum, ergo sub vnâ ratione formali. Respondeo, si eò quòd causa sit vna, inferunt hi, obiectum debere esse vnum, miror quòd non intulerint, Intellectus est vnicus & indiuisibilis, ergo solùm vnicum & indiuisibilem actum poterit habere, & solùm rem indiuisibilem cognoscere. Argumentum præterea est contra ipsos: quia, licet inter omnes colores inueniant rationem communem coloris vt sic, inter colorem tamen & frigus nullam inueniunt rationem communem, & ideò color (inquiunt) pertinet ad visum, frigus ad tactum, terminantque diuersas potentias. Iam sic argumentor: Hoc non obstante, ea duo, frigus scilicet & color, noscuntur à sensu interno; ergo hic non habet vnam rationem communem pro obiecto. Fortè dicent, Ea duo conueniunt in ratione sensibilis. Sed contrà Primò, Ergo propter hanc conuenientiam poterat color & calor ab eodem sensu etiam externo cognosci. Contrà Secundò, quia hoc in re nihil est aliud, quàm dicere, Illa duo conueniunt in hoc quod est posse à sensu cognosci, hoc autem quid ad propositum de ratione communi in propriâ entitate coloris & fri-
34 goris? In hoc enim sensu fateor tibi omnem causam habere vnam rationem communem, id est, omnes effectus ab eâ producibiles conuenire in hoc, quod est posse ab eâ causâ produci. Benè, sed cum hoc stat quòd respiciantur ab eâ causa secundùm suas proprias & distinctas entitates.

Respondeo ergo, potentiam vnam non petere vnum obiectum; quid enim est commune Chimæræ & Deo? vtrumque autem ab intellectu attingitur. Quomodo autem specificatio potentiarum cum hoc cohæreat, dicam Disput. III. de Animâ, à num. 122.

Hinc colliges, visum ideò posse videre albedinem, non quia est color, sed quia est talis color, & nigredinem quia est talis, & sic de ceteris.

Sed hinc vrgebis & obiicies Secundò: Si visus non videt albedinem quia est color, sed quia talis, scilicet albedo, ergo cùm nigredo non sit al-
35 bedo, non poterit videri ab oculo, quod est falsum. Sed nullum est hoc argumentum: sicut si quis diceret, Anima non componit hominem nisi quia est forma, ergo materia, quæ non est forma, non poterit componere hominem. Mala consequentia. Ratio est, quia licet albedinem non videat oculus nisi quia albedo, potest tamen videre nigredinem, quia albedo vt albedo, & vt distincta à nigredine, est obiectum visus, non quidem adæquatum, sed partiale; vnde non valet, *Nigredo non est albedo, ergo non potest videri.*

Aduerte, communiter nos ita loqui, *albedo non præcisè quia albedo videtur, sed quia color*, quo volumus explicare, non solam albedinem esse obiectum visus, sed etiam alios colores, ceterùm ex parte obiecti rationem formalem tactam per hunc actum esse rationem aliquam coloris abstractam, nec per somnium volumus dicere; vel si aliqui volunt, malè & falsò dicunt.

Tandem obiicies: Si omnipotentia Dei respicit omnes creaturas in particulari, ergo & peccatum, quod videtur absurdum. Distinguo sequelam: respicit peccatum permittiuè eo modo quo ad illud concurrit, concedo sequelam, in quâ non est absurdum; positiuè, & vt propriè causabile à se, nego sequelam, de quo fusiùs alibi.

SECTIO IV.

De Causâ remotâ.

ALIQVI fusè disputant, vtrùm definitio 36
causæ propriæ conueniat causæ remotæ, an soli proximæ. Causa remota dicitur illa, *quæ est causa proximæ*. Hæc quæstio purè est de nomine & modo loquendi; in re enim nulla potest esse dissensio: neque enim qui eam dicunt propriè causam, ponunt nouam aliquam aut diuersam entitatem in illâ, quam non ponant qui id negant: ambo enim conueniunt in hoc, scilicet effectum non pendere nec oriri immediatè à causâ remotâ, sed solùm à proximâ. vnde si proxima conseruetur, ablatâ remotâ eodem modo producendum effectum. Verùm autem hoc sufficiat, vt dicatur propriè causa, an verò & primum requiratur, quæstio est de solâ voce. quare cùm hi primò supponant, causam remotam absolutè & simpliciter vocandam causam, eò quòd ignis dicatur calefacere, etiamsi solùm medio calore id præstet, malè posteà addunt, suppositâ hac phrasi de re agendum esse, quia (vt manifestè ostendi) de re non potest esse difficultas, & propterea hæc quæstio non est in terminis ab antiquioribus disputata. Argumenta autem horum solùm probant, immediatè non 37
oriri effectum à causâ remotâ, quod est de re, & à nemine dubitatur: non verò probant, non esse causam, si nomine causæ & mediatus & immediatus influxus ab aduersariis significetur.

Aduerto, vulgariter loquendo multas denominationes tribui solùm per tropum vel figuram aliquam. Sic paries dicitur visus ob albedinem ei inhærentem, etiamsi in re non magis videatur parietis substantia, quàm non videtur Deus. Quibus exemplis hîc vtuntur aduersarij pro se, sed immeritò; paries enim nec mediatè videtur, nec enim videtur ab albedine à me visâ. At in causis effectus à me productus influit in alterum, & ideò ego mediatè saltem verè influo.

Dices: Ergo quando ego video Petrum, qui vidit Ioannem, etiam dicar eodem modo videre Ioannem, sicut causâ remota dicitur influere. Nego consequentiam, quia habent se disparatè omnino ibi visio mea de Petro, & visio Petri de Ioanne, & consequenter tunc non solùm in re, sed neque quoad vulgarem modum dicendi, dicar videre Ioannem: sicut non dicor videre solem, quia ex lecto videam Petrum stantem in feneſtrâ, qui inde solem intuetur.

38 Aliæ verò sunt denominationes, quæ ex connexione in eodem genere proueniunt, & istæ sunt rigorosiores. Ita tectum dicitur pendere verè à fundamento, & sustentari, quia licet immediatè non pendeat, pendet tamen eò quòd pendet à muris, & hi à fundamento: cuiusmodi est denominatio causæ remotæ, quæ proculdubiò est maior quàm parietis visi ob albedinem, vel hominis tacti, propterea quòd eius vestes tangantur.

Tandem alia est denominatio magis rigorosa, quæ ab immediatâ formâ prouenit, siue sit causa, siue in alio genere, vt v. g. hominis vbicati ab vbicatione sibi immediatâ, & caloris calefacientis ab actione immediatâ. His de re notatis, cetera de modo loquendi facilia.

SECTIO V.

Vtrùm causa requirat existentiam ad causandum.

NON disputo, vtrùm existentia sit conditio, an ratio formalis ad causandum: nam in sententiâ eam non distinguente ab essentiâ, certum est, futuram entionem formalem causandi, sicut & ipsam essentiam: in sen-
39 tentiâ verò eam distinguente, solùm erit conditio, nam substantia ignis producta v. g. non continetur in existentiâ distinctâ, quæ est accidens ignis producentis, sed in ipsâ substantiâ ignis. Solùm ergo quærimus, vtrùm res ad causandum necessariò debeat existere, an verò, etiamsi non existat actu, possit aliquid de præsenti causare physicè. De hac quæstione benè P. Suarez Disputatione 14. Metaphysicæ, sectione 3. & Hurtadus Disputatione 8. sectione 5.

Causam, quæ numquam habuit existentiam, non posse aliquid physicè producere, omnino indubitatum est inter omnes Philosophos, ita vt nullus id negauerit. Thomistæ tamen nonnulli docent, eam quæ immediatè anteà habuit existentiam, posse, etiamsi non existat iam, in instanti sequenti aliquid physicè producere. Quod probant Primò, quia Sacramenta physicè causant gratiam in primo instanti subsecuto ad eorum existentiam, in quo iam non existunt, ergo causa non existens, si immediatè anteà extitit,
40 poterit aliquid physicè operari. De concursu Sacramenti in gratiam disputant Theologi 3. Parte, vbi ego de illo tractaui: iam autem hoc à me vt certum statuitur, non posse à Sacramentis physicè produci gratiam, nisi aliquid illorum physicè existat quando ipsa gratia producitur, quod statim probabitur ratione communi omnibus causis. Hic aduerte, à Thomistis committi circulum: probant enim, Sacramenta operari physicè gratiam quando non existunt, quia causa potest operari etiamsi non existat; in præsenti autem probant, causas posse operari etsi non existant, quia Sacramenta non existentia producunt physicè gratiam.

Secundò arguunt: Quia non moriuntur nisi viuentia, ergo in instanti mortis viuentia mutantur realiter, ergo etiam poterunt operari realiter; sed tunc non existunt realiter, ergo aliquid non existens realiter potest operari. Hoc argumentum leuissimum est, cui respondeo, eius auctores interrogando, an in ipso instanti mortis existant viuentia, an non. Si existunt, ergo simul sunt mortua & viua, quod in terminis repugnat. Si verò tunc non sunt 41
viuentia, ergo in eo instanti non moritur viuens quod tunc sit, sed quod anteà fuit viuens; hoc autem nihil aliud est in re quàm immediatè anteà fuisse viuens, & modò non esse, vnde tunc in eo instanti non mutatur viuens, sed corrumpitur: si enim tunc mutaretur viuens, ergo tunc maneret ipsum viuens aliter ac anteà; sed tunc non manet vllo modo, ergo neque vt anteà. Neque aliter, quia hæc mutatio includit necessariò existentiam rei mutatæ; dicitur tamen corrumpi, non quia tunc ipsum, quod dicitur corrumpi, existat, sed quia immediatè antè exstitit, & tunc non existit, ad quod non requiritur illud tunc existere, imò potiùs id repugnat, quia non potest simul aliquid existere & non existere; ergo nec esse & corrumpi. vnde viuentia in morte non mutantur, sed corrumpuntur; sola materia, quæ fuerat sub formâ viuentis, mutatur, quia manet eadem ante & post mortem viuentis, cum diuersâ tamen formâ, quod propriè est mutari. Hinc verò nihil prorsus infertur circa causalitatem, hæc enim realiter oritur à causâ, quod non potest intelligi, nisi causa existat.

Tertiò arguunt: Quia dispositiones formæ, 42
ignis v. g. etiam in instanti in quo non existunt, disponunt ad formam ignis, ergo aliquid non existens potest physicè operari. Improbabilis sententia improbabiliori argumento probata, quia dispositiones disponunt materiam in genere causæ formalis, calor v. g disponit lignum illud constituendo calidum, quod præstatur formaliter per ipsum calorem inhærentem materiæ, quod proculdubiò fieri nequit, nisi calor actu existat; ergo, licet causa posset operari physicè quando non existit, nihilominùs dispositiones non possent physicè disponere quando non existerent, quia nequit subiectum actu esse vnitum calori, & habere calorem, si non existat calor. Ecce Antecedens prædicti argumenti improbabilius ipso consequenti.

Quartò: Quia ad hoc vt causa possit operari in passum, non requiritur eam esse penetratam cum ipso passo, sed sufficit si sit cum illo contigua; ergo similiter vt producat effectum, non requiritur vt sit in eodem tempore cum ipso, sed 43
sufficit si sit immediatè ante illum. Sed contrà, quia etiam hoc argumento, licet nolens, probas, causam, antequam existat, si immediatè post effectum ipsa succedat, posse operari, quia etiam tunc est contigua in duratione cum ipso effectu: tam enim est contigua duratio sequens immediatè rem,

tè rem, quàm quæ immediatè eam antecedit. Ergo sicut ad operandū non requiritur in causâ nisi contiguitas localis cùm passo, siue per hanc siue per illam partem fiat, ita causa immediatè antequam existat, poterit operari; quod tu ipse negas. Respondeo ergo, concesso Antecedenti (de quo fusius Sectione sequenti) negando consequentiam. Ratio discriminis est, quia res, quæ antè immediatè extitit, si modò non existat, modò est tam nihil ac si non extitisset: vnde modò non potest aliquid operari, non secùs ac si numquam extitisset: defectus autem penetrationis causæ cum passo non tollit, quò minùs in agente includatur de facto virtus producendi, quia non impedit continentiam effectus in causâ. An autem possit causa in distans operari, dicetur Sectione sequenti.

Igitur omnino concludendum est, causam non existentem non posse operari, etiamsi immediatè anteà extiterit; quæ est sententia Aristotelis apud Hurtadum suprà, & ab omnibus defenditur, aliquibus dumtaxat Thomistis exceptis. Probatur 44
Primò ad hominem, quia per te, si causa non extitit priùs, non potest nunc operari, ergo etiamsi extiterit. Probo consequentiam, quia quòd extiterit, non efficit vt modò habeat physicè aliquid amplius, quàm si non extitisset, quod per se videtur manifestum.

Dices: Manet causa in virtute. Contrà, manere causam in virtute, nihil est aliud, quàm manere effectum causæ; sed per te non potest modò esse causa in virtute, etiamsi futura sit realiter in instanti sequenti, quia modò non est in se ipsâ; ergo etiamsi anteà fuerit, quia tamen modò non est in se ipsâ, non poterit esse in virtute, id est, in effectu seu operatione. Aduerte, manere in virtute, idem esse formalissimè, ac manere in operatione: vnde, quando dicitur, posse manere in operatione, quia potest manere in virtute, respondetur idem per idem.

Contrà Secundò ad hominem, quia per te non potest causa, quæ anteà extitit, operari in instantibus sequentibus, sed solùm in primo immediato suæ existentiæ, ergo neque in hoc potest 45
operari. Probo consequentiam clarè, quia non habet magis causa in primo instanti quo non est, quàm in millesimo posteà, ergo vel in nullo poterit operari, vel in vtroque. operari autem in vtroque, omnino est ridiculum, aliàs possemus timere ne discerperemur à leone mortuo ante mille annos, vt benè quidam notauit; ergo dicendum est, in nullo posse operari.

Absolute impugnatur eadem opinio, quia nullum subiectum potest causare materialiter aliquam formam, nisi existat simul cum ipsâ formâ, quod negat nullus; ergo neque alia causa poterit causare, si non existat. Patet consequentia, quia tam necessaria est causa efficiens respectu effectus, quàm causa materialis. Antecedens probatur ab Hurtado, quia si subiectum posset causare materialiter non existens, ergo non existens posset esse album, quod est ridiculum. Non placet hæc probatio, quia esse album, includit formalissime ipsum subiectum albedinis, vt compartem; non potest autem totum esse, si partes non sint, quia totum non distinguitur à partibus; quare qui diceret, subiectum causare dum non existit, non deberet dicere, tunc subiectum denominari à formâ, aut tunc esse album v. g. sed tunc tantùm esse albedinem & causalitatem materialem in illam, ortam tamen à subiecto præcedenti; quod non est tunc esse formaliter album. Disparitas à priori est, quòd causa adæquatè distinguitur ab effectu; vnde non dicit tantam repugnantiam effectum esse quando non est causa, quàm totum esse quando non sunt partes, quia totum non distinguitur ab illis. Meliùs ergo probatur illud Antecedens, quia repugnat, naturaliter loquendo, etiam per vnicum instans accidens esse sine substantiâ, quod omnes fatentur, ob hanc rationem præcisè, quia dependet accidens à substantiâ vt à causâ materiali; ergo nulla causa materialis poterit causare dum non existit. 46

Tertiò impugnari posset, quia hoc concretum, *causa operans*, dicit duo, & causam, & ipsam operationem; ergo non poterit causa esse operans, nisi ipsa sit; sicut non potest paries esse albus, nisi existat. Sed huic rationi respondebunt aduersarij, in eo casu non existere totum illud concretum *causa operans*, sed solam operationem, procedentem tamen à causâ quæ anteà fuerat.

A priori nostra sententia probatur, quia nemo 47
dat quod non habet, sed causa non existens nullum habet esse de facto, ergo de facto non poterit causare aliquid; quia causare, est dare esse effectui. Nec potest dici, sufficere causam esse possibilem, quia hoc non est esse aliquid de præsenti, sed posse esse; sicut posse esse sapientem, non est actu esse sapientem. quare de præsenti non poterit vt sapiens disputare, si sapiens non sit, quantumuis esse possit sapiens: dicam enim Disputatione 11. Metaphysicæ, à num. 10. rem purè possibilem tam nihil esse de præsenti, quàm Chimæram; ergo tam non poterit physicè operari, quàm non potest Chimæra.

SECTIO VI.

De propinquitate causæ cum effectu.

NON disputo de causâ materiali & formali, quia hæ requirunt vnionem inter se, vnio autem non potest esse inter res distantes, vnde necessariò hæ causæ requirunt indistantiam: nec de finali, quia hæc solùm operatur mediâ cognitione sui, siue vt cognita; vt autem cognoscatur, non est necessarium vt sit potentiæ cognoscitiuæ coniuncta: solùm est ergo sermo de efficiente. De causæ indistantiâ egit Aristoteles li- 48
bro 7., sed immeritò eò distulit hanc difficultatem: cùm enim in præsenti agatur de causis, oportuit etiam & de conditionibus requisitis ad agendum, qualis est propinquitas, disputare.

SVBSECTIO PRIMA.

Causa non agit in distans, nisi operetur in medium.

SCOTVS & alij apud P. Suarezium Disputatione 18. Metaphysicæ, sect. 8. num. 2. opinantur, posse causam operari in distans, nihil

operando in medio. Communior verò sententia docet, nullam causam in distans posse operari, nisi aliquid operetur in medio. Ita P. Suarez & alij apud Hurtadum Disputatione 9. Physicæ §. 70. quos ipse sequitur. Tandem quidam recentiores in extremum oppositum declinantes, dixere, nullam causam, neque operando aliquid in medio, posse in distans immediatè operari.

PRIMA CONCLVSIO. Nulla causa creata potest operari in distans, nihil operando in medio. Hanc docet secunda sententia suprà posita, & probatur à nonnullis recentioribus ex sollicitudine, quâ naturâ horret vacuum: cuius nulla potest esse ratio, nisi quia per vacuum impeditur influxus superiorum corporum in inferiora, dum non possunt in illo medio vacuo aliquid operari.

49 Hæc ratio imbecillima est, quia, licet daretur aliquod vacuum vnius oui, aut vnius stadij, saltem per latera, & ad partes continuaretur totus aër, ergo per illum poterant astra cæli suas influentias mittere, licet eo casu non omnino viâ rectâ pergerent. Secundò, quis dixit tibi, vel ostendit, tam continuas, vniuersales & necessarias in omnia corpora esse cæli influentias, vt nec per vnum ictum oculi posset lapis v. g. illis carere, ideoque non patiatur suprà se, nec per momentum vnum, vel minimum vacuum, ne continuo rore cæli priuetur? Idem est in maris visceribus. vnde enim, vel quâ experientiâ nouisti perituram maris aquam, si vel duobus momentis non reciperet influentias? Libro 1 v. ostendam quæ sit ratio, cur natura vacuum horreat. Nostra ergo conclusio efficaciùs probatur quotidianis experientiis: videmus enim, eo ipso quòd inter solem & nos aliquod corpus opacum, id est incapax lucis interponatur, non posse à sole in nobis produci lucem, præcisè quia non producitur in corpore intermedio, ergo quia non potest sol operari in

50 distans nihil operando in medio. Quòd si dixeris, impediri lucem propter resistentiam corporis opaci, quæ non daretur si ibi esset vacuum; facilè reiicieris, quia resistentia corporis opaci non est alia, nisi quâ impedit ne in ipso producatur lux; hanc autem resistentiam etiam haberet vacuum, multò enim minùs potest produci lux in vacuo quàm in corpore opaco, ergo magis resisteret vacuum quàm corpus opacum, ergo illud impedimentum præcisè est, quia non potest causa operari aliquid in distans, quin operetur in medio. Eadem etiam experientia est in speciebus, quas mittit obiectum ad potentiam visiuam, quę non possunt in illâ produci, si interponatur corpus incapax illarum, quale est opacum; idem in auditu, odoratu, &c. Nec est vllum agens creatum, cuius actiuitas non retardetur interposito corpore incapaci illius effectus, quod non fieret (vt ostensum est) si posset agens in distans agere, non operando in medio.

Video, posse aduersarios has experientias in occultas eorum agentium naturas reducere, & negare causam esse quam nos assignauimus. Sed hoc clarè reiicitur: nam licet id fieri possit, quando ignoratur ratio à priori, at quando clarissima experientiæ ratio reddi potest, quis volet per latebras & occultas qualitates, aut rerum naturas difficultatem explicare? In præsenti autem nos (vt paulò antè ostendi) claram reddimus rationem, cur ergo ad tenebras confugiemus, cùm (vt iam monstro) nullius ponderis sint aduersa argumenta?

Dices Primò pro Scoto: Magnes attrahit ferrum distans, nihil operando in medio: item torpedo ligat brachium piscatoris distantis ab ipso, basiliscus occidit aspectu homines distantes; item fascinantes in distanti operantur, & in medio nihil, ergo. Hæ omnes experientiæ non vrgent: Respondeo enim, in omnibus prædictis & similibus casibus produci per aërem intermedium ab illis agentibus quasdam qualitates quæ non sentiuntur, neque aliquid in medio efficiunt, propter incapacitatem aëris interpositi respectu eorum effectuum: nam licet in aëre recipiatur qualitas attractiua ferri, quæ recipitur in ipso ferro, non tamen attrahitur aër sicut ferrum, quia magnes non habet virtutem attrahendi aërem, sed ferrum. Similiter fascinantes licet producant qualitatem in aëre intermedio, non tamen nocent aëri, sed animali, quia aër est incapax illius damni. Similiter dicendum est in aliis exemplis. 51

Fortè replicabis: Hæc qualitas in medio producta, si occulta est, ergo ignota, ergo & gratis ficta ad euadendam vim argumenti. Respondeo, me ipsis tuis experientiis probare meam sententiam, & simul ostendere, non gratis eam qualitatem in medio à me poni: quia si inter basiliscum v. g. & hominem ponatur aliquod corpus incapax illius nociuæ qualitatis, quale esset murus aliquis, non poterit in distanti nocere præcisè, quia in medio nihil operatus est. Idem est in torpedine; tunc enim tantùm piscatori nocet, quando hamum apprehendit, & sic per filum emittit suam vim, quod esset prorsus impertinens si nihil in medio efficeret. Ita magnes faciliùs attrahit, quando non interponitur corpus impediens in medio productionem eius qualitatis. 52

Dices Secundò: Si quis ad ignem sedeat, etiamsi aër interpositus inter ignem & hominem mutetur, homo tamen calefit, ergo tunc ignis operatur immediatè in distans, nihil operando in medio. Patet consequentia, quia tunc ille aër medius, quandoquidem mutatur ferè semper, non potest recipere calorem. Respondeo, aërem ibi non ita mutari vt calorem non recipiat, aliàs si aër non incalesceret, cur murus interpositus impediret calefactionem, & eam aër non impediret? Adde, posse etiam dici, tunc ignem nos calefacere non calefaciendo medium, quia lucem saltem in medio producit, quod dicam infrà sufficere, vt possit immediatè in distans calorem producere. 53

Tandem dices: Quando aqua in igne calefit, profundum lebetis est frigidum, & aqua distans bullit, ergo ignis agit in distans. Sæpè audiui hanc experientiam circumferri; ægrè tamen illam credo, nec facilè video quo modo quis id possit experiri: nam manum immittendo per aquam bullientem, puto id non posse fieri, quia tunc manus adusta non esset apta ad talem experientiam; si verò cacabus ab igne separetur & ponatur supra aserem vel aliquid aliud, omnia comburit. vnde ergo constat, fundum esse frigidum? Si tandem aqua effundatur, & tunc tangatur fundus (qui videtur optimus & vnicus modus pro hac experientiâ dignoscendâ) sentitur

tur valdè calidus, vt ex proposito propter hoc argumentum expertus sum. vnde ergo de illo Antecedenti constat? Sed transeat, admitto An-
54 tecedens, & nego consequentiam, Primò, quia ignis aliunde potest immediatè agere, calefaciendo collaterales partes cacabi, & per eas aquâ. Cur autem fundus sit frigidus, non erit huius loci, videant id qui id credunt: quod enim dicitur de vaporibus frigidis terreis cadentibus ad fundum, vix habet probabilitatem; quis enim in puriſſimâ aquâ tot vapores & tam frigidos reperiret (præsertim quando iam applicatur cacabo calido) vt possint magni ignis vi resistere, & magis cacabum infrigidare, quàm à summo igne possit calefieri? Credant hoc qui velint, ego certè non facilè id mihi persuadebo.

Solet hîc etiam locutio Angelica, quæ fit in distans, obiici. Sed in materiâ de Angelis dixi, Angelum loquentem nihil physicè producere in audiente. quid autem sit locutio, ibi vide; pro solutione enim argumenti hoc sufficiet.

SVBSECTIO SECVNDA.

Causa operatur in distans, si simul in medium.

SECVNDA CONCLVSIO. Causæ creatæ possunt aliquid in distanti operari immediatè, si simul operentur in medio, vel licet nihil in medio operentur, si sint contiguæ cum causis ope-
55 rantibus in distanti. Hæc est P. Suarezij, & eorum quos suprà pro secundâ sententiâ retuli. Probatur adeò manifestis experientiis, vt videatur à nemine posse negari. Prima sit: Quia si ardeat totus mons v. g. maior calor & in maiori distantiâ produceretur, quàm si tantùm arderent quatuor vel sex arbores priores, quæ sint lineâ rectâ versus nos; ergo ignis qui est post illas arbores, producit calorem in nobis, cùm tamen illum non producat in arboribus mediis, quia hæ, cùm sint etiam accensæ, non recipiunt calorem ab aliis arboribus, ergo, &c.

Respondebis Primò, illas arbores distantiores non producere immediatè calorem in nobis, sed tantùm conseruare calorem arborum quæ viciniores nobis sunt; conseruare inquam calorem, impediendo agentia contraria ne primas arbores infrigident. Sed contrà, quia si tota arbor accensa sit, vel si accensæ sint solùm quatuor aut quinque coniunctæ, non habebunt in se minus caloris, quàm si totus mons arderet; quia eo ipso quòd habeant formam ignis, & ita extensam,
56 habent calorem in summo; ergo illæ arbores non ideò in nobis producunt maiorem calorem, quia in se magis calidæ fiant ex consortio aliarum quæ retrò sunt, sed quia verè illæ magis distantes producunt simul cum proximioribus immediatè calorem in nobis, nihil producendo in arboribus immediatis, alioquin tantum calefacerent & in tantâ distantiâ illæ quatuor solæ, quàm totus mons, quod apertè falsum est.

Respondebis Secundò, illum magnum ignem immittere in aërem scintillas & exhalationes igneas, quibus aër calefit. Sed contrà, illæ exhalationes non mittuntur tot & tam magnæ à solis quatuor arboribus accensis, quàm à toto monte accenso, ergo iam arbores distantes emittunt eas exhalationes simul cum arboribus proximis, ergo iam poterit aliqua causa operari immediatè in distans. Nisi eas exhalationes dicas localiter ad nos accedere, tunc enim non habet locum hæc impugnatio facta. Ideò reiicio eam solutionem Secundò, quia tales exhalationes omninò impertinentes sunt, & sine illis calefit aër vicinus, & locum habet argumentum nostrum. Et ostendi- 57
tur id in frigore, quod non emittit illas exhalationes: certum autem est, magis & in maiori distantiâ infrigidari aërem, si sit magna quantitas glaciei simul, quàm si solùm esset superficies illius, licet ea superficies in se esset summè frigida.

Secunda experientia quæ à nonnullis affertur, est in agentibus quæ non habent contrarium, v. g. in luce productâ ab eodem igne. Et vt vis huius argumenti percipiatur, pone vnam facem in fenestrâ, illuminabit quidem foris ad aliquod spatium, sed non magnum; ponas totum cubiculum esse plenum facibus, multò maior lux, & in maiori distantiâ producetur foris quàm anteà, vt per se est notum, ergo illæ faces operantur immediatè in distans. Probatur euidenter consequentia, quia in face quæ est in fenestrâ, non operantur, illa enim in se tantam lucem habet, ac ceteræ omnes, neque indiget aliis quæ propulsent contrarium, quia lux caret contrario, ergo tota lux maior quæ foris spargitur, oritur immediatè à facibus positis retrò post illam quæ est in fenestrâ, saltem partialiter. Simile argu- 58
mentum ponitur à nonnullis in fornacis igne in ordine ad calefaciendum, vbi etiam concluditur intentum. Sed ego illud in luce libentiùs pono, eò quòd, cùm careat contrariis, non possunt aduersarij eis contra nos iuuari, ad eludendam vllo modo vim argumenti, etsi (vt paulò antè dixi) etiam in habentibus contrarium vim totam retinet argumentum.

Huic instantiæ responderunt nonnulli, candelam non operari in distans, sed eam quæ est versus nos, ideò nunc maiorem lucem producere, quia totum, quod anteà producebat versus oppositam partem, nunc versus nos producit; alia enim candela posita retrò subleuat istam primam, ne se defatiget versus illud latus. Verùm hæc doctrina facilè reiicitur: peto enim, an hæc candela, quando erat sola, produxerit lucem versus nos solùm per primam superficiem, quæ nos respicit, an etiam per interiores & vltimam ex aduersâ parte. Si hoc vltimum, ergo illa vltima superficies & partes interiores egerunt immediatè in distans, & nihil in medio; non enim vna superficies intendit alteram, & tamen egit in aërem qui post nostram hanc primam superficiem est, ergo. Si verò vltima superficies anteà non egit versus nos, sed solùm in oppositum latus, ergo etiam nunc eodem modo laborat ea superficies versus oppositum aërem, ac anteà, ergo non magis nunc leuatur, vt nobis se ampliùs communicet; ergo ea maior lux, quæ versus nos producitur, prouenit immediatè à candelâ retrò positâ, ergo agit immediatè in distans, vt anteà ego inferebam. Imò in vnicâ candelâ vim habet argumentum meum quod iam defendo: nam si ea esset mediâ ex parte minùs crassa, si v. g. pars posterior auferretur, eo ipso versus nos etiam minueretur lux. Neque hîc potest recurri ad eam

subleuationem; ea enim candela adhuc sic diuisa habet minimùm duas superficies, vnam versus nos, alteram versus oppositum latus; ergo quæ nos respicit etiam nunc post diminutionem, non se occupat retrò, ergo versus nos potest tantam lucem producere quàm anteà, ergo si nunc lux producta est minor, ideò quia partes retrò ablatæ etiam versus nos immediatè in distans operabantur: alioquin si poneretur vna candela cum solis duabus superficiebus, deberet esse versus vtrumque latus tam magna lux, quàm si candela esset meo capite crassior, quod contra euidentissimam experientiam esse clarè constat.

Hoc ipsum ostendo euidenter. Lychnus semper impedit lucem versus omnem partem; vnde quò minor est lychnus in æquali flammâ, eò lux est ad omnes partes clarior, ergo versus nos non solùm producit lucem illa pars flammæ quæ est inter me & lychnum, sed & quæ est retrò, alioquin quid in me impediret lychnus? ergo illa pars operatur in distans, non operando in medio. Id ipsum clariùs constat: si enim ponas duas candelas, vnam post alteram, & ponas chartam iuxta vnam, videbis vmbram lychni in eâ chartâ, in aliis verò partibus, quæ lychno non respondent, sed flammæ, esse maiorem lucem; ergo quia candela retrò posita versus nos producit lumen etiam in parte quæ iacet post alteram candelam (neque hic est aliud necessarium, quàm faeere experientiam) ergo operatur in distans.

Tandem reiicitur, quia falsum est, quando candela non producit versus vnam partem, tunc augere effectum versus aliam, id enim est contra experientiam. Si enim ponatur corpus non reflexiuum retrò, tunc nec indiuisibile augebitur; si verò reflexiuum, tunc fateor augeri, id tamen non prouenit ex eo quòd non operetur versus alteram partem, sed ex reflexione.

Dices fortè: Etiamsi ponatur corpus non reflexiuum, in illud saltem candelam operari, vnde non mirum, si versus alteram partem non operetur. Sed contrà, rogo ergo dicas mihi, quomodo deberet fieri experientia? nam purum vacuum nos non possumus ponere, semper ergo debet poni corpus, quod licet in se aliquam lucem recipiat, impediat tamen ne in tam magnam sphæram candela operetur; & in tali experientiâ constat, non augeri lucem ex parte oppositâ. pone enim librum ad eam distantiam, vbi ex tenuitate lucis characteres non dignoscas, & experiris, siue candela illuminet oppositum latus, siue non, nullam penitus differentiam lucis in libro percipi.

Ad exemplum de frigore ferè eodem modo respondent hi, adduntque ex P. Aguillonio, probabilius esse, frigus non agere nisi per contactum. Prima pars solutionis impugnanda est ex immediatè antè dictis. Secundam partem ego ferè non intelligo. Si enim dicant, frigus non agere nisi operando priùs in immediatum passum, verissimum dicunt; sed in confirmationem huius, non fuisset necessarium adducere P. Aguillonium, id enim in omnibus agentibus omnes docemus, scilicet agens debere aliquid in medio operari, aut continuari, &c. Si verò dicant, glaciem v. g. non infrigidare nisi aërem qui eam attingit, & ab ipso frigore neget paulatim in alias partes aëris frigus produci, dicit rem improbabilem, vt patet in glacie, quæ non solam primam superficiem vitri aut corporis coniuncti, sed totum vitrum, & ea quę sunt intus infrigidat, etiamsi per vitrum, quia poris caret, nullum corpus transeat. Nec videò ego diuersitatem, quoad hoc, inter propagationem lucis & frigoris, nisi quòd frigus propter contrarium, nec tam citò nec tam procul diffundatur quàm lux; retinent ergo ea argumenta à me facta totam suam vim.

Confirmatur. Secundò exemplo solis producentis maiorem lucem per crystallum, quàm in aëre intermedio, quæ maior lux non potest produci à luce immediatâ crystallo, quæ est minor, ergo producitur immediatè à sole, ergo iam à causâ distante potest produci effectus immediatè. Nec potest responderi, eam lucem non esse maiorem intensiuè, sed solùm extensiuè, id est in pluribus partibus sparij, propter maiorem subiecti densitatem; non, inquam, id potest responderi, tum quia sic illa lux non dicitur maior intensiuè, sed solùm extensiuè, etiam poterit dici meridiana lux non esse intensior quàm matutina sub aurorâ: nam proportione seruatâ, eodem modo apparet maior lux per refractionem ex crystallo, quo lux meridiana maior quàm matutina. Adde, non esse plures partes corporis in 59
crystallo densâ, quàm in aëre occupante idem spatium; quia (vt infrà ostendam, & aduersarij contra quos hìc ago fatentur) maior vel minor densitas non consistit in eo quòd in eodem spatio dentur plura vel pauciora indiuisibilia corporis. Tandem, quia in ipso aëre, vbi est æqualis densitas per refractionem, ex crystallo producitur maior lux, quæ necessariò intensior est, nec potest id aliunde explicari.

Omitto alias rationes, quæ facilè possent ab aduersariis eludi, quia hac in re nihil potest certò statui, nisi præcisè ex experientiis. Sed aliam experientiam adducunt nonnulli, quia quando lineâ rectâ solem intuemur, perstringitur oculorum acies; hoc autem non fit à luce immediatâ (aliàs, etsi solem non aspiceremus, deberemus id pati) ergo fit immediatè à sole. Verùm hæc experientia non vrget, quia dicent aduersarij, radios solis non nisi lineâ rectâ à loco vnde veniunt, producere alios radios, etiamsi aliam lucem producant (vt experientiâ constat) ad partem collateralem. Vnde fit, vt quando oculi nostri non aspiciunt solem, quia non sunt linea recta ad illum, etsi possint recipere lucem aliquam, non tamen recipiunt radios solares, quos recipiunt cum primùm solem aspiciunt, tunc tamen non eos recipere immediatè à sole, sed à radiis solaribus qui sunt contigui immediatè oculis, sicut radij solares in aëre producti non proueniunt immediatè à sole etiam, sed ab aliis radiis superioribus, 60
illi autem solares sunt soli qui perstringũt oculos. Nec video quod maius mysterium pro præsenti quæstione sit de radiis in nostris oculis productis, quàm de productis in aëre lineâ rectâ; nec erat necessarium pro hac experientiâ nostros oculos defatigare solis intuitu, quia in radiis solaribus productis in ipso aëre sine tanto labore id cernitur, non tamen habet efficaciam pro nobis, vt ostensum est. Hac ergo omissâ experientiâ,

Addo ego vltimam, in quâ non potest esse vel apparens tergiuersatio. Magis grauat supra aferem v. g. maxima columna stans, quàm grauaret

ret si sola media vel vltima pars illius columnæ esset supra mensam. Et clarius: pone maximum globum æneum, quis negabit illum magis aggrauare asserem à quo sustentatur, quàm aggrauaret solum illud punctum, aut pars determinata globi
61 quæ præcisè tangeret mensam? Da ergo, à globo illo frangi asserem, vel trudi inferiùs: illa fractio asseris & maior impulsus ei impressus à globo, non oritur adæquatè à solo puncto globi tangente asserem, vt per se est euidens (alias, si illa pars separaretur à toto globo, eodem modo grauaret, quod est ridiculum) ergo prouenit à toto globo, ergo partes omnes globi distantes à mensâ vel asserе adhuc grauant illum immediatè. Nec hîc potest responderi, illas partes distantes producere in vicinioribus qualitatem aliquam intensiorem, quæ posteà sola immediatè grauet mensam: hoc, inquam, nec apparenter responderi potest, quia quælibet pars globi æquè est in se grauis intensiuè ac cetera, vnde in se non potest à ceteris intensiorem grauitatem accipere, nec enim punctum ferri in se grauius fit, quia coniungatur totius orbis ferro, quàm si maneret solum; ergo illa maior grauatio & impulsus asseri impressus non procedit à maiori virtute intrinsecâ puncto tangenti, sed immediatè à toto globo, agunt ergo immediatè in distans omnes partes globi.

61 Dices: Illæ conducunt, vt contrarium faciliùs vincatur. Fateor, sed hoc faciunt immediatè in distans, & nihil operando in partibus ferri mediis, ergo. Eadem experientia est quotidiana in bilance, quæ velociùs truditur quò plura pondera recipit, etiamsi vnicum tantùm ex illis immediatè tangat eam bilancem, & cetera sint vnum supra aliud.

Respondent nonnulli Primò, multa hîc posse è Staticâ dici: sed hæc solutio, quamdiu quæ illa sint non ostendit, non facit fidem, alioquin cuilibet argumento respondebitur, Multa hîc possunt ex Astrologiâ, è Musicâ, &c. dici.

Secundò respondent, fortè globum aut columnam illam nihil producere in asserе. Sed hoc facilè reiicitur. cur enim asser frangeretur, si nihil contrarium in ipso produceretur?

Dices Primò, eum frangi resistendo. Sed contrà, si nihil in asserе producitur quod eum grauet, cur resistet?

Dices adhuc: Resistit grauitati columnæ. Contrà, ea grauitas nihil producit nec operatur in asserе, quomodo ergo ei resistit? cur enim, quando ex parte tango eamdem columnam, non debeo resistere, etiamsi coniunctus sim eius grauitati, nisi quia tunc in me non grauat? non enim me medio aliquo impulsu trudit. ergo si in asserem inferiorem tam nihil producit columna illa quàm in meâ manu ex latere eum tangente, tam parum laborabit asser quàm manus.

Dices rursus Tertiò: Columna grauat in asserem. Contrà, quid est illud grauare, seu conari ire deorsum, si nihil à se distinctum producit? Pone asserem esse inferiorem, columnam verò aliunde sustentari, tunc non grauat asserem, ergo grauare non est purè putè columnam esse grauem, & tangere sub se asserem, sed requirit actualem productionem impulsus trudentis asserem. Ratio à priori est, quia qualitates quantumuis contrariæ, numquam nocent passo per solam iuxta-positionem, si in passo nihil producant. Impediatur ignis operari in stupam, certè etiamsi hæc in mediis flammis sit, numquam destruetur vel in minimo lædetur.

Fortè respondebis, à me alibi doctum, posse duo agentia contraria æqualia in vi resistitiuâ vnum alteri resistere, etiamsi vnum non agat in alterum; ergo etiamsi columna nihil agat in asserem, neque è contrario potest asser resistere columnæ. Sed hæc euasio dupliciter præcluditur: Primò, quia saltem quando asser frangitur, patitur aliquid à columnâ, tunc enim deiicitur suo loco, & tunc iam non actu resistit; eo ergo impulsu tunc producto meum impellitur argumentum, nam ille producitur à columnâ totâ, etiam à partibus distantibus, ergo. Secundò idem reiicio: nam nos quando sustentamus manu globum grauem, non solùm resistimus non cedendo è loco, sed positiuâm grauitatem & impulsum illius globi percipimus, & excusso globo manus adhuc dolet; ergo aliquid produxit in nobis globus, ergo etiam produxit in asserе, licet hic, quia insensibilis, non doluerit, nec id perceperit.

Quòd si dicas, asserem agere in columnam seu globum eam sustentando, seu conseruando eius vbicationem; in primis teneo intentum: non enim solum illud punctum asseris, cui columna seu globus innititur, sustentat eam vbicationem, sed concurrit asser secundùm totam suam crassitiem, ergo operatur immediatè in distans; nam aliæ partes distantiores non dant vbicationem illi puncto, sed omnes immediatè conseruant globum. Non ergo potest negari ibi actio in distans.

Secundo-principaliter respondent, posse dici, vnam partem columnæ agere in immediatam, & hanc in inferiorem, vltimam verò immediatè in asserem. Sed neque hæc solutio potest sustineri: nam grauitas est æqualis in omnibus punctis columnæ, ergo vnum punctum non intendit grauitatem alterius. Sed neque intendit impulsum: nam vna pars fortè non impellit aliam, non enim eam à se reiicit, nec conatur ex suo loco alteram partem sibi vnitam pellere, vt se in locum illius constituat; vnde est probabilissimum, vnam guttam aquæ non grauare in aliam, sed omnes immediatè in corpus distinctum, à quo tandem sustentantur. vnde alibi ostendi, vas ligneum plenum aquâ, & occlusum, non descendere ad fundum, quia aqua interiùs existens non conatur descendere infra aliam aquam à quâ vas sustentatur.

Sed quidquid de hoc sit, Secundò ostendo, impulsum non intendi successiuè per partes columnæ, sed immediatè ab omnibus produci grauitatem in asserе. Nam quando in bilance v. g. ponitur iacens baculus aliquis, aut pondus aliud longum, eodem modo trudit bilancem ille baculus iacens, ac si omnes eius partes positæ fuissent vna supra aliam, & intra bilancem, vt certa experientia docet: atqui tunc vltima pars baculi non trudit aliam viciniorem bilanci, tum quia ambæ æqualiter distant à centro, & consequenter neutra in alterius locum conatur se ponere; tum quia æqualiter vna impedit ne altera cadat, ac è contrario: cur ergo ex medio baculo extanti extra bilancem vltima pars grauabit pænultimam æqualiter iacentem, quàm è contrario? grauant

aurem

autem omnes bilancem, ergo id non fit deriuato ex vnâ in alteram impulsu vsque ad vltimam. Confirmo : demus æqualiter baculum illum extare extra bilancem ex vtraque parte, veniat impulsus ad bilancem ex vnâ parte, ille est vt octo v. g. ex alterâ parte venit æqualis vt octo, neuter poterit ab alio intendi, quia simile non agit in simile, ergo non intendetur in vno puncto baculi ille impulsus, vt obiectio dicebat, sed immediatè grauabit bilancem. Confirmo Secundò clariùs : sint duo baculi non vniti in bilance, vnus non intendit impulsum in altero, & tamen eodem modo grauant bilancem ac si esset vnus baculus, ergo ea grauatio non fit per eam deriuationem impulsus ex vnâ ad alteram partem corporis grauantis, vsque ad eam quæ solùm tangit bilancem, sed immediatè fiet ab omnibus partibus corporis grauis in altero sustentante.

Multæ aliæ possent experientiæ pro hac parte adduci, sed hæ sufficiant. Hæsi aliquantulum in hac veritate suadendâ, quia nonnulli recentiores fortiter ei aduersari conantur, putantes nullum agens naturale operari, nisi in parte sibi immediatè vicinâ. Sed iam quid hi pro se afferant, videamus.

SVBSECTIO TERTIA.

Obiectiones aliquæ solutæ.

OBIICIVNT : Prima superficies ignis est tam calida ac secunda & tertia, ergo poterit tantum calorem producere in aëre sibi immediato, quantam omnes tres superficies coniunctæ, ergo sola illa, & non partes remotiores, produ-
63 cent calorem in aëre. Respondeo, non solùm conducere ad productionem caloris, intensionem agentium, sed etiam extensionem : nisi velis dicere, tantum illuminari cubiculum ab vnâ candelulâ, quantum à face ; vel tam procul & fortiter calefacere vnicum carbonem accensum, quàm innumerabiles æquales inter se & coniunctos. Cuius rei rationem si petas, non aliam dare teneor, nisi experientiam : dabo tamen, quia scilicet creata virtus est finita & limitata ; vnde quando non iuuatur aliis, minus potest quàm adiuta, partiuntur enim tunc operationem. Cur enim, etsi tu sis tam fortis quàm Petrus, non potes solus physicè columnam mouere, potes tamen cum Petro? vel cur vno homine solo clamante in foro, non auditur procul sonus, si autem omnes clament etiam æqualiter, auditur clamor ad magnam distantiam? Non liceat ergo de hac re dubitare, nisi sensibus carenti.

Obiicies Secundò : Ergo totus aër suâ humiditate agit in nos, ex quo sequitur, valdè nos ab illo humectandos, contra experientiam. Respondeo inprimis, hoc argumentum etiam esse contra aduersarios, ad mittentes, maiorem ignem magis calefacere quàm exiguum, siue hoc proueniat ex eo quòd agat in distans, siue aliunde : ergo aër quò maior fuerit, debet nos magis humectare, etiamsi non operetur in distans. Secundò re-
64 spondeo, à me ostendendum infrà, aërem non esse summè humidum. Tertiò, esse sub lite, an humor & siccitas sint qualitates operatiuæ ; imò, an sit quid distinctum à corpore fluido & non fluido. Quartò tandem, quidquid illud sit, dico, à calore solis, & à terræ accidentibus contrariis, aërem hunc retardari & impediri, ne in nos ita fortiter agat, imò ne in se ipso de facto qualitates habeat valdè intensas, quod experientia ostendit : aër enim nobis immediatus ita est temperatus quoad humorem & siccitatem, vt sæpè eum non sentiamus ; deberemus autem, saltem in tuâ sententiâ, aërem immediatum sentire, etiamsi qui distat non ageret in nos, vt tu contendis. Et idem communiter solet esse de calore & frigore.

Obiicies Tertiò : Actio est vnio inter passum & agens ; sed vnio requirit indistantiam, ergo & actio. Respondeo, actionem solùm metaphoricè esse vnionem, vnde non requirit idem quod vnio rigorosa. quare sufficit approximatio mediata, ratione effectus in medio producti, aut ratione alicuius partis ipsius causæ.

Obiicies Quartò : Ad operandum requiritur 65
existentia, ergo ad operandum hîc requiritur existentia hîc ; sicut ad operandum hoc tempore, requiritur existentia in eodem tempore ; ergo causa quæ est alibi, & non hîc, non poterit hic immediatè operari. In hoc argumento æquiuocationem grauem committunt hi Auctores, confundunt enim vocem illam *hîc* : certum enim est, illud *hîc* vbi est causa, non esse illud *hic* vbi est effectus, quia non sunt in eodem loco, sed in duobus, etiamsi vicinis, quæ propterea crasso modo possunt sub vno *hic* comprehendi, sed non Philosophicè. Ergo sicut hi, etiamsi operatio sit in puncto *A*, non requirunt, causam esse in puncto *A*, sed dicunt, sufficere si sit in puncto *B*, ita ego dicere possum, sufficere, etiamsi sit in puncto *C* distanti, dummodò operetur in puncto *B*, aut sit vnita cum agente existente in eo puncto *B*. Exemplum autem de duratione te iugulat, quia ad operandum debet causa in eodem instanti existere in quo est effectus, & non sufficit immediatè antè extitisse, aut immediatè pòst exstituram ; ergo nec sufficiet ad operandum, esse contiguum effectui, sed requiretur esse in eodem loco, & penetratum cum effectu, quod meritò à te negatur. Respondeo ergo, argumentum à duratione 66
ad vbicationem nullum esse. Disparitas est manifesta : quia nisi causa actu existat, non potest actu continere effectum, nec formaliter, nec virtualiter ; vnde non potest operari nisi sit in eo instanti, in quo est effectus. Vt autem causa contineat in se virtualiter vbicationem quam communicat effectui, illum hîc producendo, non requiritur vt ipsa causa existat hîc, sed sufficit si absolutè existat in rerum naturâ, vt patet in Angelo & in animali se mouente, quod habet virtutem ad ponendum se in alio loco, etiamsi proprioti naturæ, antequam se moueat, adhuc non habeat eam vbicationem in illo.

Sed hinc insurgit quinta obiectio : Ergo etiamsi nihil causa operetur in medio, neque coniuncta sit cum passo mediis aliis partibus ipsius causæ, poterit in distans immediatè operari contra primam Conclusionem. Probatur sequela, quia operatio in medio, vel coniunctio cum aliis partibus agentibus, nihil prorsus videtur conducere ad operandum in distans. Fateor, à me nullam reperiri sufficientem rationem disparitatis à priori ; verùm experientia illam docet : videmus 67
enim (vt constat ex dictis in primâ Conclusione) non posse agens immediatè in distans operari, propter

propter experientias ibi adductas, nisi aliquo modo continuetur cum effectu. Videmus præterea, eo ipso quòd continuetur cum effectu, posse immediatè in distans operari, vt in hac secundâ Conclusione probatum est. Quæ autem sit ratio harum experientiarum, nisi natura ipsorum agentium, ego non video: sicut, quæro à te, cur adamas non sit operatiuus alterius adamantis, sic verò ignis alterius ignis; certè non aliter respondebis, nisi quia istæ sunt harum rerum naturæ, quas experientia sola nobis ostendit. Idem ego tibi in præsenti respondeo.

Tandem obiicies Paulum 17. Actorum, ex operatione Dei in nobis probantem præsentiam illius in nobis: *Non longe* abest *ab vnoquoque nostrum, in ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus.* P. Vasquez 1. Parte, disputat. 18. num. 14. & Hurtadus suprà §. 86. rectè explicant hunc locum non de præsentiâ physicâ in nobis, sed de præsentiâ intentionali, quia facilè potest à nobis cognosci, cùm nos ab ipso dependeamus; causa
68 autem facilè cognoscitur ex effectu. Imò omnes tenentur admittere, ex prædicto loco non probari intimam præsentiam physicam Dei in nobis, quia nullus requisiuit causam esse intimè præsentem seu penetratam cum effectu, vt illum produceret, neque ipsi aduersarij, sed summùm requisiuere contiguitatem cum illâ. Deus autem intimè est omni creaturæ penetratus. Alius Psalmistæ locus coincidere videtur cum prædicto Pauli, Psalmo 138. *Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* vbi præsentiam Dei in omnibus locis intulit Psalmista ex operatione Dei in omnibus illis. Respondeo, non contendi à Regio Psalte his verbis, se non posse fugere præsentiam physicam Dei, sed non posse fugere vel à cognitione Dei, quod rectè probatur ex eo quòd vbique à Deo conseruetur; vel quòd non possit fugere Deum, ne ab ipso puniatur pro peccato, ad quod per accidens se habet, quòd Deus sit præsens vbique, dummodò vbique eum conseruet, ideoque & possit eum punire.

69 Rogabis, vtrùm agens possit producere in distans immediatè aliquem effectum, cuius similem non produxerit in medio, v. g. an sol, qui in corporibus cælestibus non produxit calorem, sed solam lucem, possit immediatè in aëre calorem producere. Negant aliqui, quia produxisse aliquid in medio, dummodò non sit eiusdem rationis cum eo quod in distanti producitur, videtur se habere omnino per accidens ad productionem in distanti, sed si nihil produxisset in medio, non posset in distanti operari, ergo nec poterit, etsi producat aliquid in medio, si tamen illud sit diuersæ rationis. Nihilominùs censeo, vt causa possit in distans operari, sufficere, produxisse aliquid in medio, etsi diuersæ rationis: nam quòd sit eiusdem vel diuersæ rationis effectus in medio productus, videtur se habere omnino per accidens, quia non addit causæ maiorem virtutem effectus similis, quàm dissimilis; sed producendo aliquid simile in medio, potest in distans operari, ergo & producendo aliquid diuersum.
70 Confirmatur in sententiâ adstruente gradus dissimiles inter se, potest sol producere in crystallo octauum gradum caloris v. g. etsi illum non produxerit in medio, sed solùm tertium vel quartum, qui sunt dissimiles octauo. Ad oppositam rationem nego, se habere omnino per accidens effectum in medio productum, etiamsi sit diuersæ rationis, conducit enim ad hoc, vt ratione illius causa aliquo modo approximetur passo, neque ad aliud conducit effectus similis in medio productus.

VLTIMA CONCLVSIO. De potentiâ absolutâ poterit produci aliqua causa tantæ virtutis, vt possit immediatè in distans operari, nihil operando in medio. Moueor, quia in causis, quæ de facto dantur, præcisè id requirimus experientiâ ducti, non quia aliqua ratio detur, probans, contrarium dicere repugnantiam; sed causas, quæ de facto dantur, id requirere, non est sufficiens fundamentum ad asserendum, id etiam requiri ab omnibus causis possibilibus (vt sæpè in simili 71
diximus) non ergo negandum est, posse de potentiâ absolutâ produci à Deo aliquam causam immediatè in distans operatiuam, quin aliquid operetur in medio; & hoc do Scotistis suprà impugnatis.

Non defuit nonnullus recentior, qui impatiens hanc nostram sententiam solâ experientiâ suaderi rationeque à priori destitui, cùm diu se torsisset, non aliquid peperit maius, quàm hoc. Ait ergo, partes spatij habere inter se essentialem connexionem, vnde infert, Ergo actio non potest transire ab extremo ad extremum sine medio. Hæc ille. Verùm quis non videat, hæc pura esse verba? In primis enim, spatium reale nullum aliud est, nisi corpora in ipso existentia, aër, lapis, &c. Atqui aër non habet necessariam connexionem cum lapide. Falsum ergo Antecedens de connexione partium spatij. Confirmo & explico: non quia ego sim iuxta ignem, vel quia inter nos stet murus, ego habeo cum igne maiorem aut minorem connexionem, cur ergo in vno casu actio poterit ab igne ad me saltare, in altero ve-
rò non? Vel si vis clariùs, tolle inde ex medio 72
corpus omne, & relinque vacuum, quid est ibi in medio quod habeat vel careat connexione? Demus, me per vacuum accedere, quomodo iam sunt partes spatij connexæ mecum, quæ anteà non erant? Secundò, hic Auctor se ipsum destruit, concedit enim nobiscum, remotiores partes ignis agere immediatè in distans, rogo ergo iam, Si partes spatij sunt essentialiter connexæ, quomodo illa actio ab igne distanti transiuit sine medio? Tertiò, quæ consequentia est, Partes spatij sunt inter se connexæ, ergo actio non potest transire ab extremo ad extremum sine medio? Si inferret, Ergo vna pars non potest separari ab altera propter connexionem, benè inferret. At quid ad actionem, quæ non curat eam connexionem partium spatij inter se, sed solùm attendit subiectum in quo debet recipi? Et vt certiùs tota hæc ratio ruat (si quando potuit stare) aduerte, approximationem localem nihil aliud esse, quàm vbicationes illas naturâ suâ sibi vicinas, quæ vbicationes non sunt vllo modo operatiuæ. Iam ergo quæro, quid conducit vt ignis produ- 73
cat in stupâ alium ignem, stupam habere vbicationem A. seu esse approximatam igni, quod idem est? quid, inquam, conducit magis, quàm habere vbicationem B. paululùm distantiorem? vel quæ ratio à priori huius potest dari, nisi sola

expe-

experientiâ ? vel quid huc facit connexio partium spatij, vt ex eâ inferatur, requiri magis hanc vbicationem quàm illam ? Constet ergo, huius Conclusionis à nobis rationem à priori non posse reddi, sed in experientiam reuocandam esse.

SVBSECTIO QVARTA.

An approximatio Causæ cum passo debeat esse in priori naturæ ante operationem.

VIX vllus est, qui in hac quæstione hæreat; omnes enim supponunt tamquam omnino certum, approximationem debere esse in priori naturæ ad effectum. Ego tamen puto, hîc esse maximam difficultatem : & quidem ferè euidenter contrarium ostendo. Et priùs duobus verbis fundamentũ commune propono. Est autem hoc: Ignis non potest calefacere passum, nisi sit illi proximus, vt ostensum est totâ hac Sectione; ergo approximatio est conditio, ergo debet esse
74 priùs naturâ ad operandum. Hic est totus discursus, ex quo ego sic argumentor : Sicut ignis non potest calefacere passum distans, ita neque animal potest mouere corpus distans, nisi aliquid producat in medio: eadem enim est de igne ad calefaciendum experientia, quæ de animali ad mouendum corpora: sed hoc non obstante, vt animal moueat corpus, non requiritur pro priori naturâ approximatio, sed sufficit si ea sit in toto eo instanti quo mouetur; ergo similiter, vt ignis calefaciat, non requiret pro priori naturæ approximationem, sed sufficiet si eam habeat in toto instanti reali. Maior & consequentia sunt euidentes. Minor probatur, quia pro priori naturæ, antequam corpus moueatur, non habet vbicationem, ergo nec approximationem, quia approximatio consistit formaliter in vbicatione.

Respondebis Primò, differentiam esse manifestam, quia per motum producitur ipsa vbicatio, & consequenter non potest præsupponi ad motum : at per calefactionem non producitur vbicatio, vnde hæc debet supponi priùs naturâ ad ipsam calefactionem. Sed hanc euasionem facilè ego præcludo : nam licet per motum producatur ipsum vbi, non propterea ego possum hinc mouere corpus existens Romæ, sicut ignis non potest calefacere etiam hinc passum existens Romæ; ergo etiam ad mouendum requiritur indi-
75 stantia, quæcumque illa sit. Dico ergo, sicut me ad mouendum corpus indigere indistantiâ ab illo, saluatur sine eo quòd ea indistantia sit pro priori naturæ, ita ignem indigere approximatione ad calefaciendum, saluabitur sine eo quòd talis approximatio sit pro priori naturæ. Tua autem solutio ostendit quidem, ante calefactionem posse intelligi approximationem, quæ non potest intelligi ante motum : at, quòd debeat necessariò præintelligi, eò quòd ignis non agit in distans, nullo modo ostendit; nam etiam ignis non mouet isi distans, & tamen non prærequirit approximationem priùs naturâ.

Respondebis Secundo, pro priori naturæ ante motum supponi mouens approximatum negatiuè, quatenus non supponitur distans. Sed contrà Primò, dic etiam idem in igne ad calefaciendum, scilicet illum supponi non positiuè approximatum passo, sed negatiuè, quatenus non supponitur distans : hinc autem ego infero, approximationem positiuam non esse requisitam in priori naturæ, vt contendo, & à te negatur. Se-76 cundò eam solutionem reiicio, quia etiamsi ego hinc mouerem corpus existens Romæ, pro priori naturæ essem indistans negatiuè ab illo : nam antequam illud mouerem, corpus illud non haberet vbicationem, eam enim acquirit per motum, ergo ante illum motum esset indistans negatiuè : nam distantia positiua prouenit ex positiuâ vbicatione, quæ in eo priori tam non est, si mouerem hinc corpus mihi Pragæ vicinum, quàm si mouerem Romanum, &c è contrario. Ergo ad mouendum aliquid ampliùs requiritur quàm ea indistantia negatiua. Videas iam tu, quid illud sit, quandoquidem non est ipsa positiua vbicatio, quæ posteriùs producitur. Et hoc etiam dicere poteris in igne in ordine ad calefaciendum passum, sine positiuâ approximatione pro priori naturæ.

Secundò idem intentum probo ex impulsu. Vt enim quis imprimat corpori impulsum, &c. debet esse approximatus non minùs, quàm vt calefaciat, at non propterea requiritur approximatio illa pro priori naturæ, ergo neque ad calefaciendum requiretur. Consequentia est bona ex proximè dictis, & adhuc melior quàm præcedens, quia impulsus est qualitas absoluta, sicut calor; neque est ipsamet vbicatio, sicut quæ producitur per motum. Minor autem probatur : nam si an-77 te productionem impulsus supponeretur corpus vbicatum, non posset eo instanti moueri, quod est manifestè falsum; nam per impulsum illum producitur motus in corpore recipiente, ergo ante impulsum non supponitur corpus approximatum.

Huic argumento posset responderi, corpus recipiens impulsum non moueri in eo instanti quo illum recipit, aliàs in eo instanti elongaretur à corpore producente, & tunc agens ageret eo instanti in distans, quod repugnat. Sed hæc solutio valdè est difficilis : nam ille impulsus naturâ suâ est productiuus motus, ergo illum producit in eo primo instanti in quo existit. Patet, quia in eo nullum inuenit impedimentum in passo, cur ergo non illud mouebit ? Ad illud verò de separatione posset responderi, corpus imprimens impulsum semper aliquantulùm moueri simul cum corpore quod recepit impulsum, ideoque etiamsi in primo instanti moueatur corpus, non ideò separandum ab impellente. Hæc tamen vltima solutio non videtur sufficiens : cur enim non poterit Angelus vel animal, immotum in se, producere impulsum in aliquid aliud ? Tunc autem 78 elongaretur corpus in eo instanti ab ipso impellente, & consequenter eo instanti produceretur impulsus in distãs; quod videtur repugnare dictis à nobis totâ hac Sectione de propinquitate inter causam & effectum. Ideò putarem veram esse solutionem paulò antè datam, scilicet non moueri corpus in eo instanti quo recipit impulsum. Et ad replicam factam contra illam, dico, tunc esse impeditum tale corpus, eò quòd, vt accipiat impulsum, debet eo instanti reali coniunctum esse impellenti, sicut eo instanti quo pila tangit murum, non recedit ab illo, sed in sequenti.

Addo tamen, adhuc meum secundum argumentum habere vim : nam licet ex eo capite non probetur,

probetur, pro priori naturæ ante impulsum non esse vbicationem corporis, probatur tamen, ex eo quòd eo instanti, quo quis habens in manu lapidem, est indifferens vt moueat lapidem simul cum manu, est etiam indifferens vt lapidem proiiciat à se; sed pro eo priori quo est indifferens ad se mouendum, non supponitur approximatus lapidi (vt ex primo argumento constat) ergo nec pro priori ad producendum impulsum supponi-
79 tur necessariò approximatus. Confirmo in Angelo, qui eo priori naturæ, quo vidit se esse potentem producere impulsum in lapidem, videt etiam se posse inde moueri, ergo nondum videt suam vbicationem quâ approximetur lapidi, ergo pro priori naturæ ad producendum impulsum non requiritur ea approximatio, ergo neque etiam requiretur ad calefaciendum vel illuminandum, iuxta dicta in primo argumento.

Vides communem sententiam non adeò esse certam, & magnum esse dubitationi locum. Ideò puto dicendum Primò, requiri ad operandum in passum approximationem saltem eo instanti reali, quo est operatio. hæc pars sufficienter probata est suprà in hac Sectione. Secundò dico, non requiri eam esse pro priori naturæ ante operationem. Hæc secunda pars meo iudicio probatur euidenter ex dictis in hac Subsectione, & confirmatur: Nam argumentum, quo probamus requiri approximationem, solùm est experientia, quâ videmus non fieri operationem in distanti; at ista experientia non suadet, eam approximationem debere esse priùs naturâ, aliunde autem non est vnde id possit probari, ergo.

80 Dices: Calefactio pendet ab approximatione, hæc autem è contrario non pendet à calefactione, ergo approximatio est prior naturâ; in hoc enim consistit prioritas naturæ. Respondeo Primò, calefactionem pendere ab approximatione non vt ab antecedente, sed vt ab aliquo concomitante; sicut vnio animæ ad corpus pendet ab approximatione vtriusque, non tamen vt ab aliquo antecedente naturâ: non enim priùs intelligitur vbicatio quàm intelligatur vnio; nam quando se mouet animal, vel quodlibet aliud ens mouetur, non est priùs naturâ motus & approximatio quæ per motum fit, quàm sit vnio, etiamsi vnio pendeat ab approximatione, hæc autem non pendeat ab vnione. & eiusmodi sunt multa exempla. Secundò respondeo, in eo sensu quasi independentiæ dici posse, approximationem esse priorem calefactione, id est, posse illam existere sine hac, non autem è contrario.
81 Nos autem non loquimur de prioritate in hoc sensu, sed vt debeat intelligi quando causa concipitur potens operari iam approximata passo; & hoc non esse necessarium, manifestè ostensum est à me, sicut voluntas in quodam sensu est prior quàm intellectio, quatenus magis necessariò connectitur cum animâ quàm ipsa intellectio, non tamen est prior prioritate naturæ spectante ad causalitatem; non enim concipitur necessariò ex parte causæ complentis illam in ratione potentis operari. Tandem respondeo, etiam calefactionem esse independentem ab hac vbicatione & approximatione: quæcumque enim sit approximatio, siue hìc siue alibi, calefactio erit eadem omnino.

Dices Secundò: Si ergo non requiritur priùs naturâ approximatio; cur non possum operari in passum distans? Respondeo, quia tunc non possum fieri præsens illi passo; ad operationem autem vel debet supponi approximatio, vel saltem concomitari. quando verò passum est distans, neutrum potest esse, & consequenter nec operatio poterit esse.

Tandem pro exactâ huius rei intelligentiâ ad- 82
uerte (quod & infrà iterùm notabo) ad motum localem, v. g. ad pontem Pragensem, pro priori naturæ non requiri approximationem, quia hanc acquiro per ipsum motum in pontem; requiri tamen vt pro instanti reali præcedenti fuerim prope pontem: vnde alibi infero, etiam esse conditionem ad operandum aliquid, quod iam non est quando fit operatio, quod pauci obseruant, vel vix vllus. Hinc infero, ignem qui in instanti A. fuit procul à me, non posse me calefacere in instanti B. non quia pro priori naturæ non sit mihi præsens, sed quia eò quòd præcesserit ita distans, non potest in eo instanti, nec pro posteriori naturæ mihi esse præsens, & consequenter nec potest tunc me calefacere. Vnde concluditur, ad calefaciendum sufficere, si eodem instanti sint simul, siue ea approximatio sit priùs naturâ, siue concomitanter, siue etiam posteriùs, sicut vnio requirit rerum vnitarum approximationem: non tamen est necessum, vt semper ea approximatio sit prior, vt ostendi suprà euidenter; sed sufficit, si vel priùs, vel simul, vel posteriùs naturâ sit. Nec magis actio petit approximationem, quàm eam petat vnio, vt ex terminis patet.

SECTIO VII.

De prioritate inter Causam & effectum.

PRIORITAS (& consequenter coëxistentia & posterioritas, sunt enim inuicem correlatiua) est triplex: alia *temporis*, quæ consistit in eo quòd vna res existat & duret in tempore ante aliam. Hæc prioritas etsi in causis respectu effectuum sæpè reperiatur, vt in Deo respectu nostri, habet se tamen per accidens ad causandũ: dummodò enim causa existat eo instanti quo operatur, parum refert anteà extitisse aut parum impedit non extitisse. Ideò hac prioritate omissâ, ad rem nostram deueniamus. Alia est ergo prioritas *originis*, seu *à quo*. Tertia est prioritas *in quo*, quas oportet explicare.

Quidam ex recentioribus docet Primò, prioritatem *originis* è regione opponi prioritati reali temporis. Hoc tamen mihi videtur apertè falsum, quia prioritati reali temporis opponitur directè posteritas realis temporis, prius enim & posterius opponuntur in suo genere; at duæ prioritates vna in vno genere, alia in alio, non opponuntur, sed habent se omnino disparatè & impertinenter (vt ex terminis constat.) Secundò idem docet, prioritatem *originis* dicere omnimodam simultatem naturæ, vt patet in diuinis, vbi Pater æternus, qui prior est origine Filio, est necessariò simul naturâ cum illo, quia non potest concipi Pater existens, nisi etiam Filius concipiatur existens. Hæc doctrina etiam displicet; aliud enim est prioritatem *originis* non petere priori-

tatem naturæ (quod admitto illi recentiori, & id probatur ex mysterio Trinitatis,) aliud verò, il-
84 lam excludere. Numquid omnes causæ creatæ non sunt priores origine suis effectibus, & tamen sunt illis naturâ etiam priores? Numquid generatio viuentium definitur *origo viuentis à viuente* (ne faciat mihi difficultatem in voce *origo*) ergo filius creatus originatur à suo patre, ergo est posterior origine suo parente, & tamen parens naturâ & tempore est prior suo filio? Vnde etiam conuincitur, falsum esse quod primò dixerat de oppositione è regione inter prioritatem originis & temporis, quandoquidem simul in vno respectu eiusdem coincidunt etiam omnes hæ tres prioritates.

Ergo prioritas *originis* ex se est idem ac prioritas *à quo*; solumque dicit, hoc esse ab illo id quod est, dicitur posterius, id à quo, prius. Hæc aliquando coniungitur cum prioritate *in quo*, vt in causis creatis; imò & cum prioritate temporis, etiamsi id per accidens sit causæ (vt insinuatum iam est) aliquando verò purè putè est prioritas originis, seu à quo, vt in actione etiam creatâ respectu sui termini, & in diuinis inter personas producentes & productas.

85 Circa prioritatem *in quo* est magna difficultas, in quo consistat. Hurtadus Disput. 8. à §. 127. ex Aristotele, P. Suarezio & Valquez conatur ostendere, consistere in eo quòd non valeat consequentia, *existit causa, ergo effectus*, valeat autem contrà, *existit effectus, ergo existit causa*. vnde infert, causam esse independentem ab effectu, & propterea dici illo priorem *in quo*; effectum verò pendere à causâ, & propterea dici posteriorem illâ, præbereq; intellectui fundamentum vt possit concipere causam existentem, non concepto effectu, non tamen contrà, quod explicat exemplo causæ liberæ.

Verùm hæc doctrina adhuc eget maiori declaratione, aliàs falsa est: & quidem de causis liberis nunc taceo, venio ad necessarias, solem v. g. respectu lucis, & argumentor sic: Vel loquimur de sole prout subit rationem causæ, & vt sic tam necessaria est hæc consequentia, *sol existit causans, ergo existit lux*, quàm è contrario, *existit lux, ergo existit sol*; ergo in hoc puncto non est differentia
86 quoad existendi consequentiam. Si verò loquamur non de sole prout causante, sed de illius entitate secundùm se (quo pacto necessariò debemus loqui, transeat) admitto non esse bonam & formalem consequentiam, *existit entitas solis, ergo existit lux*; verùm in hoc sensu etiam mihi debet fateri, neque è contrario istam esse bonam, *existit entitas lucis, ergo existit sol*, quia potest ea lux ab aliâ causâ prodire. ergo comparatis entitatibus secundùm se, causæ & effectus, æqualis est vis consequentiæ ab hac ad illam, vel, vt meliùs dicam, nulla est consequentia.

Vlteriùs id vrgeo: naturaliter loquendo tam non potest existere sol sine luce, quàm hæc sine sole, ergo tam benè valet, *existit sol, ergo existit lux*, quàm contrà, *existit lux, ergo existit sol*.

Respondebis, solem pendere à posteriori præcisè à luce, non à priori; lucem verò à priori pendere à sole. Sed contrà, quia si loquaris de dependentiâ à priori *à quo*, verum omnino dicis, quia hæc in formalissimo conceptu causæ includitur: at si loquaris de dependentiâ à priori *in quo*, reddis conclusionem pro ratione, quia ar-87 gumentum probat, hanc non esse, quia tam pendet sol à luce quàm contrà; tu verò respondes, eam dari, quia sol est prior *in quo*, lux verò posterior. das ergo ipsammet conclusionem pro ratione seu disparitate. Confirmo: in diuinis Pater non pendet à priori à Filio, Filius verò pendet à priori à Patre; & tamen, quia æquè non potest Pater esse sine Filio, ac Filius sine Patre, non datur prioritas *in quo* (vt tu benè admittis) ergo licet lux pendeat à priori à sole, quia tamen naturaliter tam non potest esse sol sine luce, quàm hæc sine sole, diuinitus autem tam lux sine sole, quàm contrà, potest existere, non erit vlla prioritas *in quo* inter lucem & solem, quoad existendi consequentiam.

Idem clariùs cernitur in causis vniuocis, v. g. in calore A. producente calorem B. qui naturaliter potuit contrà producere ipsum A. cur ergo ex eo, quòd de facto hîc & nunc concurrat, valebit consequentia, *existit calor B. ergo & calor A.* & non contrà, quandoquidem ex naturâ suâ æquè sunt illæ entitates inuicem inter se independentes, vel dependentes?

Respondebis, eam connexionem inter solem & lucem non prouenire ex eo, quòd sol sit causa (nam causa libera est vera causa, & non habet talem connexionem) sed prouenire aliunde. Sed contrà, quia hinc euidenter probas, aliquam 88 causam habere hanc prioritatem *in quo*; at non probas, eam reperiri in omnibus: quia licet causa vt sic non habeat eam connexionem, tamen causa necessaria illam habet ex conceptu specifico. vnde infero, de conceptu causæ vt sic non posse esse petere contrarium, scilicet eam independentiam, sed summùm præscindere ab illâ; sicut licet animal vt sic non petat rationalitatem (brutum enim sine illâ est verum animal) at quia quoddâ animal eam petit, non potest ratio communis animalis vt sic petere carentiam rationalitatis, sed præcisè ab eâ præscindere. Propterea multi in causis liberis concedunt hanc prioritatem, non in necessariis; ideò & ego suprà dixi, me non loqui de liberis, sed de necessariis.

Secundò affero instantiam ad hominem, ex hac eadem materiâ: Principium vt sic, prout est quid commune ad causas & ad principia in diuinis, non excludit hanc prioritatem *in quo* (eam enim habent principia creata) & tamen, quia aliqua principia, scilicet diuina, eam prioritatem non habent, licet id non proueniat ex conceptu communi principij, non tamen potest definiri principium vt sic, vt quid commune omnibus 89 causis ac puris principiis, vt sit *id, quod est prius in quo respectu principiati*, excluderentur enim principia Diuina; ergo propter eamdem rationem nec causa vt sic potest definiri, quæ habet prioritatem *in quo*, excludentur enim omnes causæ necessariæ, iuxta dicta.

Ergo pro explicatione dico, hanc differentiam inter causam & effectum, non ponderandam, neque inter causam vt causantem, & ipsum effectum vt talem; quia hoc modo (vt dixi) neque causa sine effectu, neque contrà effectus sine causâ possunt concipi, vt ostensum est. Neque item debet comparatio fieri inter entitatem causæ, & effectum secundùm se & in ratione entitatis; quia vt sic tam potest concipi entitas ignis

producti

producti sine entitate ignis, qui de facto producit, quàm contrà (vt etiam obiectione factâ ostensum est.) Considerandа ergo est entitas causæ medio modo, id est, *vt potens causare in actu primo*: in hoc autem sensu quantumcumque necessaria sit, potest concipi existens conceptu adæquato, sine effectu actu existente. Dico *actu existente*, quia saltem tunc debet concipi exigentia illius: hæc autem benè potest saltem diu initus manere, etiamsi non sequatur effectus, Deo scilicet ei denegante eum effectum quem petit. At 90
effectus non potest concipi existens, nisi concipiatur causa aliqua dans illi esse; quia cùm non habeat esse à se, sed ab alio, necessariò debet concipi actu existens illud aliud quod ei dat esse: hoc autem est causa, siue sit hæc siue illa. Et licet ego ignorem quæ de facto sit, tamen ex parte obiecti illa correspondet existens, à quâ de facto habet esse.

Vnde respondetur ad obiectionem, quæ poterat vlteriùs fieri, scilicet, Hic effectus potuit esse sine causâ hac, ergo de facto non est posterior ad illam. Mala consequentia, quia arguitur à possibilitate ad actualem existentiam: benè enim valet, Potuit hic effectus causari ab aliâ, ergo potuit non esse posterior ad hanc; sed non valet, Ergo non est posterior, quia ad hoc deberet supponi, quòd actu non causetur ab hac. vnde si dicerem, *Petrus existit*, & adderem, *neque hæc neque illa est eius causa*, & solùm vnam relinquerem, benè valeret, Ergo hæc illum causat, ergo hæc existit; & hæc consequentia etiam Metaphysicè est necessaria. At hæc non est necessaria diuinitus, Hæc entitas ignis existit, & non existit ille effectus, ergo existit alter, quia potest diuinitus existere sine vllo effectu. His positis,

91 PRIMA CONCLVSIO sit. Causa libera est prior naturâ *in quo* suo effectu. Hæc negatur à nemine, & probatur facilè, quia causa libera est, quæ positis omnibus prærequisitis ad operandum, potest adhuc non operari, ergo potest cognosci existens, imò & esse sine suo effectu; est ergo prior naturâ *in quo* ad illum, effectus autem posterior naturâ *in quo*, quia non potest intelligi existens nisi à causâ liberâ illum producente. Et hîc propriissimè habet locum ratio Aristotelica de existendi consequentiâ: valet enim, *Est amor liber, ergo est voluntas*; non contrà, *Est voluntas, ergo est amor liber*. neque aduersus hanc Conclusionem video quid possit opponi. Si quid tamen opponitur, ex dicendis in secundâ Conclusione facilè dissoluetur.

SECVNDA CONCLVSIO. Etiam causa necessaria, & consequenter omnis causa, est prior naturâ *in quo* suo effectu. Hæc negatur à nonnullis, propter paulò antè dicta, sed immeritò. Eam non probo cum aliquibus, eò quòd causa, quantumuis necessaria, debeat intelligi præhabens 92
esse, quod communicat effectui: hæc enim ratio etiam vrget in principio producente, & tamen certum est, in diuinis Patrem æternum producentem, etiamsi debeat habere in se aliquo modo quod producit, non tamen debere id præhabere, id est præcedere priùs *in quo* ad Filium; ergo ex hoc principio nihil infertur de prioritate *in quo* causæ. Meliùs ergo id suadetur, quia causa, etiamsi naturaliter & necessariò operatiua sit, adhuc tamen potest tota manere saltem diuinitus, etiamsi non sit effectus, nec necessum est, vt Deus fortiori concursu causam conseruet, sed præcisè vt illi neget aliquid quod petit; ergo quando videtur existens causa etiam necessaria, adhuc non videtur existens ipse effectus, sed præcisè videtur existens exigentia connaturalis effectus pro posteriori naturæ, vt paulò antè ostensum est. Et in hoc præcisè differt causa necessaria à liberâ in eo priori, quòd in liberâ non præuidetur nec existentia effectus, nec exigentia illius determinata; in necessariâ verò præuidetur hæc determinata exigentia. Imò ad hominem contra aduersarios id confirmo, quia causa libera, v. g. voluntas in probabili sententiâ, non potest manere omnino suspensa sine aliquâ operatione hac vel illâ, & tamen per te est prior *in quo* suo effectu, eò quòd non est determinata ad hanc potiùs quàm ad illam; ergo etiam causa, quantumuis necessaria 93
erit prior *in quo* suo effectu, quia non est determinata ad hunc potiùs quàm ad illum, etiamsi differant in eo quòd libera se ipsam determinat, quod non habet necessaria, sed hoc ad punctum præsens per accidens est. Ergo hi Auctores cùm ex vnâ parte negent puram omissionem, malè aliunde causis liberis concedunt prioritatem *in quo*, eamque negant causis necessariis.

Dices: Etiam effectus est prior prioritate *in quo* sua causâ, quia potest etiam effectus intelligi existens, quin intelligatur existens eius causa, quod patet in homine cognoscente calorem, & nihil cogitando de causâ caloris. Respondeo, sensationem de calore existente, & non de eius causâ, esse inadæquatum conceptum illius, effectus enim non potest conceptu adæquato cognosci existens, quin aliqua causa saltem sub diiunctione intelligatur illum producere, quia non potest intelligi existens à se, sed ab alio, vt ostensum est.

Aduerte vlteriùs, prioritatem *in quo* dicere duo, & id quod est prius, posse concipi existens, sine posteriori, & vlteriùs ab ipso produci id quod est posterius. Vnde ex defectu huius cau- 94
salitatis, licet ego possim cognosci existens sine Ioanne, non tamen sum prior naturâ *in quo* illo, quia non producitur à me: similiter effectus, quia non producit causam, licet possit cognosci conceptu inadæquato existens, quin concipiatur causa, non tamen est prior naturâ *in quo* respectu illius.

TERTIA CONCLVSIO. Omnis causa est prior *à quo* respectu sui effectus. Hæc est certissima, & solâ eget explicatione terminorum, quia omnis causa producit suum effectum, sed esse priùs *à quo*, nihil est aliud, quàm esse id à quo aliud producitur; ergo omnis causa est prior *a quo* suo effectu, & propterea suprà num. 85. dixi, non opponi inter se has duas prioritates *à quo*, & *in quo*.

QVARTA CONCLVSIO. Omnis causalitas distincta ab effectu, est prior *a quo*, non verò *in quo* respectu illius. Quoad primam partem probatur, quia causalitas est id, medio quo effectus recipit esse, quod formalissimè est esse priorem *à quo*. Vnde miror, nonnullos in hac re dubios esse, cùm in diuinis, vbi persona producens constituitur per actualem productionem, absolutè ipsi concedant prioritatem *a quo*. Quòd si fortè fa- 95
ciunt difficultatē in præpositione à, eò quòd effectus nō dicatur ab actione, sed à causâ vt à prin-

cipio procedere, ideoque locum habet in diuinis, vbi persona producens est etiam principium *quod*, voca eam prout volueris, rem tantùm intellige. Quoad secundam partem probatur: nam causalitas, quia essentialiter est productio actualis termini, nequit intelligi existens sine ipso termino; ergo non est prior *in quo* respectu illius. Et hinc intelliges, Patrem æternum non esse priorem *in quo* Filio, quia Pater constituitur formaliter per ipsam actualem productionem Filij, vt suppono ex Theologiâ.

SECTIO VIII.

Vtrùm duæ Causæ possint esse sibi inuicem causæ.

DVPLEX potest esse in præsenti difficultas. Prima, an duæ causæ quoad primum esse possint inuicem causari, vel in eodem genere, vt duæ causæ efficientes, aut duæ materiales; vel in diuerso, vt vna materialis, & altera efficiens. Secunda, an possint duæ causæ saltem quoad secundum esse inuicem produci. Vtramque difficultatem breuî expediemus.

SVBSECTIO PRIMA.

An in eodem ordine possint esse inuicem causæ.

96 PRIMA CONCLVSIO. Non possunt duæ res simul esse inuicem causæ quoad primum esse in eodem genere, id est, non possunt duo ignes v.g. mutuò se primò producere efficienter. Hæc à nullo negatur quod sciam, sed fortè etiam à nullo satis efficaciter suadetur. Arguunt pro illâ nonnulli recentiores, Quia nihil potest se ipsum neque mediatè causare; sed si duæ causæ essent inuicem causæ, vtraque se ipsam mediatè causaret, quia causaret id à quo ipsa causaretur, (quod enim est causa causæ, est causa causati) ergo repugnat hæc mutua causalitas. Repugnare autem, aliquid se ipsum etiam mediatè causare, probatur ab his, quia, etsi Spiritus sanctus non procederet à Patre æterno immediatè, adhuc distingueretur ab illo, eò quòd mediatè produceretur ab illo, Pater scilicet produceret Filium, & hic Spiritum sanctum, ergo productio etiam mediata arguit
97 distinctionem. Hæc probatio non vrget, quia in diuinis non est distinctio, nisi vbi est oppositio immediata, vt in materiâ de Trinitate ostendi. Vnde benè posset paternitas identificari cum spiratione passiuâ, si mediatè solùm eam causaret; distingueretur tamen ab eâ virtualiter, quia paternitas non oriretur à Filio, sic verò spiratio actiua: imò (vt in eo loco ostendi) difficillimè etiam de facto explicatur, cur opponatur paternitas cum spiratione passiuâ. Secundò, etiamsi id ita sit, iam in præsenti non tam agimus de Conclusionis veritate, quàm de illius ratione: tu à solo exemplo id probas, rationem verò nullam reddis.

Secundò arguunt: Quia causa independenter ab omni fictione intellectus est verè & realiter prior suo effectu, siue prioritate *in quo*, siue prioritate *à quo*; sed nihil potest esse prius se ipso absolutè & simpliciter, vt per se manifestum videtur, ergo nec potest esse mutua causalitas. Probo hanc consequentiam, quia si daretur mutua causalitas, quælibet causa, v. g. ignis A, se ipso esset prior igne B, quatenus hic est effectus illius, & B. erit prior igne A. quia illũ causat; ergo ignis A. qui prior est quàm B. erit prior se, quia B. est prior quã A. si enim sum prior priore te, à fortiori sum prior te. Neque hoc argumentum vrget: possunt 98
enim aduersarij respondere, in eo casu non dari prioritatem *in quo* in eis causis, sed *à quo*, quæ nihil aliud est, quàm effectum produci à causâ, & causam ab effectu; quod non videtur repugnare: imò difficultas hæc etiam habet locum in diuinis, vbi non est prioritas *in quo*, & tamen repugnat mutua productio. Non ergo hîc redditur ratio vniuersalis.

Tertiò, alij recentiores eam repugnantiam, vt aliquid se vel mediatè causet, inde probant, quia causa dicit relationem ad effectum, nihil autem potest nec mediatè ad se ipsum dicere relationem. Sed facilè possunt aduersarij ab hoc argumento se expedire, quia non repugnat aliquid se ipsum mediatè respicere, materia enim prima respicit essentialiter formam, quæ respicit essentialiter materiam: similiter Pater æternus respicit essentialiter Filium, & Filius essentialiter Patrem, neque mutuus hic respectus vllatenus repugnat; ergo propter illum non est neganda mutua causalitas.

Res hæc omnibus est certissima, difficile ta- 99
men est ostendere repugnantiã: ea tamen sit, quia nihil potest constituere actum primum Physicum productiuum suiipsius, iuxta dicta suprà Sectione 2. sed si daretur hæc mutua productio, res producta constitueret actum primum productiuum sui, ergo repugnat ea mutua productio. Consequentia est euidens. Maior suprà probata, eò quòd nihil possit esse productiuum suiipsius, saltem quoad primum esse, quod videtur lumine naturæ notum. Minor probatur, quia actus primus Physicus includit existentiam causæ, hæc enim operatur in quantum existens (vt Sectione 4. dixi) ergo ex parte actus primi causæ includitur existentia ipsius causæ, ergo & includuntur causæ dantes existentiam ipsi causæ, quia non potest includi existentia causæ, quin etiam includantur ea omnia quæ illi dant existentiam; ergo includitur ex parte actus primi eius causæ ipse etiam effectus ab illâ productus, cùm hic effectus sit causa dans existentiam suæ causæ propriæ; ergo si datur mutua causalitas, ipse effectus productus constituet actum primum Physicum productiuum sui ipsius, quod omnino repugnat. Confirmatur conclusio à posteriori, quia 100
ipsum lumen naturæ dictat, sistendum esse in quolibet ordine in aliquo primo, quod non sit ab alio, & à quo sint reliqua; ideoque probamus, debere dari aliquod primum principium omnium creaturarum, quod à nemine sit: si autem admitteretur hæc mutua causalitas, non esset locus prædicto discursui; posset enim responderi, omnes creaturas mutuò produci hanc ab illâ, & illam ab hac, vnde non esset necessariò recurrendum ad aliquod principium distinctum ab omnibus creaturis, quod sit Deus. Cùm ergo omnes Philosophi, solo lumine naturæ ducti, Dei existentiam & improducibilitatem ex hoc principio collegerint, certum est, ipsum naturæ lumen

men dictare, omnino esse impossibilem eam mutuam causalitatem. Simili argumento vtuntur Theologi, ad probandum, Patrem non produci à Filio, quia hic producitur à Patre : repugnat
101 autem, duo mutuò produci. Idem potest ostendi in actibus intellectus ; vitiosum enim est, nec ab vllo negatur, duas res mutuò tantùm explicare vnam ex aliâ, vt si quis diceret, rogatus quid sit homo, *est animal rationale*, & rogatus quid sit animal rationale, diceret esse hominem ; nam in his explicationibus sistendum necessariò est in aliquo termino per se noto, alioquin nihil explicabitur : ergo similiter in causis committetur vitiosus circulus, si dicatur hanc habere esse, quia producitur ab illâ ; & illam, quia producitur ab hac. ergo sistendum erit, reiecta illâ mutuâ causalitate, in aliquâ causâ, quæ non accipiat esse à suo effectu, sed vel à nullo, vel aliunde.

SVBSECTIO SECVNDA.

An in diuerso ordine possit esse mutua causalitas.

SECVNDA CONCLVSIO. Nec in diuerso genere causæ potest dari hæc mutua causalitas. Hæc non est adeò communis, ac præcedens ; nihilominùs tamen arbitror eamdem esse rationem pro illâ ac pro præcedenti, quia in priori causæ debent intelligi existentes omnes causæ, quæ in quocumque genere illi dant esse verè & realiter, & à quibus dependet quoad suam existentiam, & quantum ad hoc per accidens se habet, quòd
102 causa sit materialis vel efficiens. Non enim ideò debet intelligi in priori causæ, quia efficiens sit, aut quia materialis, sed quia ab eâ dependet effectus vt à producente : ergo si non potest dari mutua prioritas in causis eiusdem ordinis, nec poterit in causis diuersi ordinis. Vnde eo ipso, quòd materia producat materialiter formam equi, nequit hæc producere materiam efficienter. Idem est in dispositionibus, quæ si sint priores in genere causæ materialis ipsâ formâ, nequeunt ab illâ efficienter produci. Confirmatur & explicatur, quia ex parte actus primi causæ omnia intelliguntur quæ requiruntur vt causa existat, quod per se est euidens ; sed vt causa existat, non minùs requiritur efficiens ipsius causa, quàm materialis, & è contrario ; ergo vtraque intelligitur in eo priori, & constituit actum primum physicum productiuum sui, vt Subsectione præcedenti argumentabamur contra mutuam causalitatem in eodem genere.

103 Sed respondent Thomistæ : Quando causæ sunt sibi inuicem causæ in diuerso genere, non posse argui ab vno ad aliud genus ; neque enim, quando materia intelligitur prior forma in genere causæ materialis, debet tunc intelligi genus causæ efficientis, vnde nec debet intelligi tunc ipsa forma, licet sit causa efficiens materiæ. similiter, quando forma intelligitur in priori causæ efficientis ante materiam, non debet tunc intelligi genus causæ materialis. Sed contrà, quia in quocumque priori intelligatur materia, siue vt causans materialiter, siue vt efficienter, debet intelligi existens, quia nihil potest realiter præstare, nisi existat realiter ; ergo etiam debet tunc intelligi existentes omnes causæ à quibus ipsa dependet, quia non potest intelligi existens effectus à solâ causâ inadæquatâ ; ergo etiamsi materia non sit causa efficiens, sed materialis formæ, in eo priori in quo intelligitur materia, debet intelligi & forma à quâ materia causatur. cùm ergo illud prius sit ante formam, sequitur, ipsam formam esse ante seipsam. Confirmatur : actio & passio in sententiâ etiam Thomistarum realiter sunt idem, ergo in priori, quo intelligitur ea passio procedens à materiâ, debet etiam intelligi causa efficiens. Patet euidenter, quia non potest in aliquo priori intelligi entitas actionis existens sine causâ efficiente, à quâ essentialiter pendet, ergo, cùm in nullo priori possit existere passio sine actione, quia sunt idem, & actio sine causâ efficiente, in nullo etiam priore ; poterit intelligi causa materialis producens, nisi tunc sit & efficiens, aut è contrario.

Obiicies Primò contra hanc Conclusionem 104
Aristotelem 1. Physicorum cap. 3. hæc aientem: *Sunt præterea, quæ sunt sibi mutuò causæ, vt exercitium est causa bonæ habitudinis, & hæc est causa exercitij, at non eodem modo ; sed hæc vt finis, illud vt principium motus.* Non vrget : nam causa finalis non est propriè & physicè causa, sed solùm secundùm quid ; neque vt existens, sed vt apprehensa, quæ non requirit existentiam ad causandum, nisi in cognitione. Conclusio autē solùm intelligitur de veris causis. Explico. Quando quis ob sanitatem v.g. mouetur ad deambulandum, cùm sanitas non existat, non potest physicè causare deambulationem ; sed hanc causat amor sanitatis, deambulatio autem non causat amorem sanitatis à quo procedit, sed sanitatem : vnde inter amorem sanitatis & deambulationem, quæ sunt propriè causæ, non datur mutua causalitas. Difficiliùs loquitur D. Thomas 1. 2. quæst. 113. art. 8. in corpore, vbi expressè videtur stare pro Thomisticâ sententiâ. Aduerto tamen, eum ibi non tam videre mutuam causalitatem ponere, quàm gratiæ infusionem priùs naturâ, quàm actum contritionis collocare. Nisi fortè per gratiæ infusionem non gratuam habitualem, sed auxilia gratiæ exeitantis intelligat. Sed quidquid sit de eius mente, non est à nostrâ sententiâ discedendum.

Obiicies Secundò : Actio creatiua causatur ab 105
ipso termino per illam creato, ergo datur mutua causalitas. Nego Antecedens, de quo infrà.

Hìc poterat quis argumentari ex opinione P. Vasquez de actu contritionis, quem putat à gratiâ procedere & ad eam disponere, ex quo mutuam ibi admittit causalitatem. Sed hanc sententiam reieci in materiâ de Pœnitentiâ, vbi proprium habet locum ; ideò hìc eâ supersedeo.

Item argumentum quoddam, desumptum ex actu charitatis à Deo imperato pro instanti A. homini iusto, qui actus etiam procedere videtur à gratiâ, ad quam simul est dispositio, vt in hoc instanti conseruetur, remitto ad materiam de Merito, vbi proprium habet locum. Interim talem mutuam causalitatem, siue physicam siue moralem, omnino reiicio, quia eadem est de vtraque ratio, vt ex dictis facilè notari potest.

TERTIA CONCLVSIO. Non video apertam contradictionem in eo, quòd duæ causæ possint esse inuicem causæ, si vel vtraque vel aliqua illarum duplici actione totali producatur. Pone v.g.

ignem A, productum à solo Deo, vnâ actione totali producere ignem B. tunc poterit ignis B. quasi secundò producere de potentiâ absoluta ignem A.
106 nouâ aliâ actione ab ipso & à Deo ortâ. Et ratio est, quia rectè poterit ignis A, vt productus à solo Deo, per vnam actionem adæquatam præintelligi ad ignem B. & ad productionem secundam sui ipsius ortam ab igne B, quem ipse producit, ita vt illæ productiones seruent hunc ordinem, vt primò sit productio ignis A. à solo Deo, deinde productio ignis B. ab igne A, & tandem secunda productio ignis A. ab igne B.

Sed dices: Ergo non est vlla ratio ad probandum, non posse Patrem æternum saltem secundò produci à Filio producto à Patre. Nego consequentiam, quia licet repugnantia non oriatur ex mutuæ causalitatis contradictione, oritur tamen ex eo, quòd secunda productio esset omnino superflua, nec ad aliquid vtilis; ideoque Deo deneganda, quia nihil potest in Deo reperiri superfluum vel otiosum. Eam autem futuram superfluam, inde patet, quia si semel conceditur, vt debet concedi, Patrem æternum à se ipso perfectè & adæquatè habere esse, vt quid illud idem esse producendum est quasi secundò à Filio, cùm nihil det Filius Patri, quod ipse à se non haberet anteà? esset ergo illa secunda productio superflua.

107 Hanc solutionem recentiores nonnulli valdè acriter reiiciunt, sed tenentur tandem ipsi necessariò ad eam confugere, quod euidenter ostendo. Hi enim omnes fatentur libentissimè contra P. Vasquez, eumdem effectum diuinitus posse produci per duas actiones totales. Rogo ergo illos, cur non dicunt in diuinis esse duas totales generationes Filij etiam ab eodem Patre? sicut enim ipsi argumentantur cõtra nos, *non repugnat mutua productio per secundam actionem, ergo datur in diuinis*, ita ego dico contra illos, *siue mutua siue non mutua, non repugnat secunda productio totalis in creatis, ergo datur in diuinis.*

Dices: Secunda est otiosa, si est alia prima totalis. Hoc ego volo, vt venias ad nostram solutionem: sicut enim secunda non mutua repugnat, quia otiosa, ita ob eamdem rationem repugnat secunda mutua; & vno verbo, quod tu de secundâ totali productione ab eodem principio dixeris, nos dicemus de secundâ totali ab ipso ef-
108 fectu. Secundò respondeo, quando effectus procedit à causâ per semetipsum sine actione distinctâ, non posse vllo modo eum produci duplici actione totali: quia si actualis productio est ipsa essentia effectus, sicut essentia tota est essentialis & necessaria ipsi rei, ita & actio tota est necessaria, ergo non est duplex, quarum quælibet sine alterâ sufficiat, ergo nec duplex totalis. Eo autem ipso, quòd non possit esse duplex actio, non est locus huic mutuæ productioni, quæ tota innititur in duplici actione totali.

Hinc constat Primò, non benè nonnullos recentiores discurrere, qui dicunt, ideò nullam rem posse se ipsam producere, vel non posse se mutuò duas causas totales producere, quia actio est ab eis distincta, fore verò vt possent, si sine actione distinctâ produceretur; cuius rei nullam video rationem. Oppositum autem manifestè debet dici, quia non est locus duplici actioni, quando actio non distinguitur: tunc ergo solùm est vnica productio, quam voco *primam negatiuè*, eò quòd ante illam nulla præcessit. Primò autem 109
non potest causa à suo effectu vel à se ipsa produci; potest verò, quando est duplex actio, vt ostensum est. Secundò hinc fit, in diuinis repugnare, vt persona producta rursus producat ipsam producentem, aut se ipsam, quia ibi, eò quòd productio actualis est essentialis personæ productæ, non est locus duabus actionibus totalibus, & cõsequenter nec mutuæ productioni; & multò minùs, vt eadem persona se ipsam producat, quod nota pro Sectione sequenti.

SECTIO IX.

Vtrùm idem possit esse causa sui ipsius.

QVO ad primam actionem, nihil posse à seipso produci, est certo certius, constatque à fortiori ex dictis Sectione præcedenti. Si enim etiam inter duas res distinctas repugnat mutua productio, quoad primam actionem, quia nihil potest esse prius & posterius alio; à fortiori repugnabit respectu sui ipsius. Est ergo difficultas, vtrùm ignis v. g. primò à solo Deo productus in instanti A, possit in eodem instanti se ipsum secundò producere, vt de facto contingere in Eucharistiâ docetur à P. Suarezio, aiente Christum Dominum existentem adæquatè per primam actionem à solo Deo, se ipsum producere physicè secundò sub speciebus Sacramentalibus.

Negat Vasquez cum nonnullis recentioribus, 110
Primò, quia nihil potest esse subiectum seu forma sui ipsius (quod per se manifestum videtur) ergo nec poterit esse vllo modo causa sui ipsius; quia tam videtur repugnare, se ipsum producere efficienter quàm materialiter. Non vrget hæc ratio: nam materia non potest assumi ad sustentandam materialiter aliam materiam similem, neque vna forma equi ad informandam aliam formam (vt omnes fatentur) & tamen hæc repugnantia non oritur ex defectu distinctionis inter materiam & aliam materiam; ergo, licet non possit materia assumi ad sustentandam se ipsam materialiter, non id debet probari ex defectu distinctionis: neque inde debet inferri, non posse assumi ad producendum efficienter seipsam; sicut non potest inferri, eò quòd anima rationalis v. g. nõ possit nec diuinitus esse forma alterius animæ rationalis, non posse etiam instrumentaliter producere alteram animam. Et hoc argu- 111
mentum euidens est ad hominem contra recentiores eos, qui potentiam obedientialem in ordine ad productionem seu creationem alterius animæ concedunt in qualibet aliâ. Ratio discriminis inter causam efficientem & materialẽ esse potest, quia causalitas materialis vel est vnio, vel requirit essentialiter vnionem, quæ non potest esse nisi inter res distinctas; causalitas autem efficiens non requirit vnionem, ideoque rectè videtur posse esse respectu sui ipsius, si aliunde non repugnat.

Arguunt Secundò: Quia si idem posset seipsum producere, non esset cur negaretur, Patrem æternum esse productum; posset enim dici, Patrem æternum, vt existentem à seipso, seipsum secundò producere. Hoc argumentum solutum est in simili paulò antè, vbi ostendi, eam secun-

dam

dam productionem totalem siue ab eodem principio, siue ab ipso termino producto, non habere locum in diuinis, quòd multò magis applicatur ad productionem secundam sui ipsius.

Tertiò: Quia causa definitur esse *ad aliud*, ergo nihil seipsum potest producere. Sed contrà Primò, quia illud *aliud* ponitur à te ad libitum in
112 differentiâ causæ. Contrà Secundò, quia licet nõ possit esse causa sui (quia causam tu vocas illam quæ producit aliud à se, vnde probas, non posse seipsum physicè producere, licet ob defectum distinctionis non dicatur causa, quod iam erit de nomine,) certè ex illo modo loquendi non ostendis mihi repugnantiam in re ipsâ.

Quartò: Quia causa debet esse prior *in quo* suo effectu; sed nihil potest esse prius seipso, ergo neque causa. Respondeo facilè, non esse vllam repugnantiam in eo, quòd aliqua res, vt producta per vnam actionem, sit prior se ipsâ vt productâ per aliam (sicut Sectione præcedenti de duabus causis se quoad secundum esse producentibus, diximus) nec requiri vt ipsa entitas effectus absolutè & simpliciter sit posterior entitate causæ, sed entitate actionis: cumque hæ sint duæ, non repugnat vt effectus sit prior respectu vnius, & posterior respectu alterius, siue tunc causa dicatur prior præcisè respectu actionis, siue etiam respectu effectus, quod multum habet de quæstione de nomine, de quâ propterea non sum valdè sollicitus. Porrò doctrinam hanc ipsi aduersarij defendunt, admittentes eumdem effectum posse duplici actione totali à duabus causis produci, & vnam actionem esse priorem alterâ; quo casu certè secunda causa, quandoquidem iam inuenit productum effectum, non potest absolutè dici prior illo, sed præcisè prior actione, quia illum producit. Hoc autem ego dico in præsenti, vbi tuamet doctrina tibi non placet.

113 Quintò: Quia sicut hæ denominationes Domini, Regis, patris, &c. sunt ad res distinctas, (neque enim quis potest esse Dominus aut Rex sui ipsius) ita hæc denominatio causæ videtur esse ad aliud. Respondeo, negando paritatem, quia Dominus & Rex debet esse superior, cui ceteri obediunt, ad quod requiritur distinctio voluntatum, vnde nullus potest esse Dominus aut Rex sui ipsius; hanc autem distinctionem requiri etiam inter causam & effectum quoad secundum esse, non potest his exemplis probari; aliunde ergo petenda est repugnantia, vel fatendum id non esse impossibile.

Ex ipsis terminis videtur manifestum, producens & productum esse correlatiua, & consequenter necessariò debere distingui, nec posse idem seipsum producere. Tamen quia non video vllam rationem quâ id efficaciter probetur, & quia, licet actus & obiectum videantur correlatiua, nihilominùs potest aliquando idem actus esse obiectum sui ipsius; non audeo improbare sententiam P. Suarezij, imò dum fortius contra illam non video argumentum, eam reputo pro-
114 babiliorem. In quâ obseruandum est, eam secundam actionem, quâ quis seipsum produceret, necessariò futuram dependentem à primâ, quâ produceretur ab aliâ causâ; vnde illa secunda actio non posset sola subsistere, nec esset adæquata in omni sensu, sicut esset si non à seipso sed ab aliâ causâ distinctâ oriretur.

Hîc aduerto, minùs consequenter recentiores nonnullos admittere, Christum esse causam moralem sui ipsius, cùm tamen negent, posse physicè aliquid seipsum causare: omnia enim argumenta, quæ contra causalitatem physicam fieri possunt, vrgentur in causâ morali, hæc enim etiam definitur ad aliud, & etiam est prior suo effectu. Quod enim possunt dicere, causam moralem non immediatè in effectum influere, sed solùm quasi allicere Deum vt producat effectum, hoc (inquam) parum prodest, quia in primis difficultas de prioritate per hoc non minuitur, sed augetur; quia si nihil potest esse prius seipso, multò minùs poterit antecedere id quod ipsum antecedit. Deinde, causa moralis est & dicitur causa 115
in suo genere, non solùm respectu voluntatis, sed respectu sui ipsius, & tamen non est *aliud à se*, ergo. Tenenda ergo consequentia; & quod de morali affirmas, dicendum de physicâ, vel negandum idem de vtraque.

SECTIO X.

Vtrùm duæ Causæ totales possint simul in eumdem effectum influere.

NON est sermo de causâ totali in actu primo, id est, de causâ ex se habente virtutem sufficientem in suo genere ad producendum effectum se solâ: certum enim est, posse in hoc sensu simul multas causas totales concurrere ad eumdem effectum, attemperando influxum in actu secundo, etiam naturaliter. Deus enim habet virtutem ad producendum se solo ignem, & tamen de facto eum producit simul cum alio igne. Est ergo difficultas, vtrùm duæ causæ totales possint simul, quælibet per influxum totalem, & sufficientem ad producendum hîc & nunc effectum, etiam ablato altero influxu alterius causæ, simul ambæ concurrere. In hoc sensu duplex potest esse difficultas, alia de potentiâ ordinariâ, alia de absolutâ.

PRIMA CONCLVSIO. De potentiâ ordi- 116
nariâ nequeunt duæ causæ totales simul per duas actiones totales in effectum influere. Hæc facilè suadetur, quia vna actio ex illis omnino esset superflua, cùm per quamlibet sufficienter & adæquatè effectus reciperet esse: sæpè autem docuimus, naturam à superfluo abhorrere, quod axioma in præsenti certissimum est; vnde quotiescumque duæ causæ totales concurrunt ad eumdem effectum naturaliter loquendo, dicendum est, quamlibet concurrere inadæquato influxu. Quo argumento vtitur quidam non satis consequenter ad ea quæ alibi dixit, non esse curandum de multiplicitate entitatum sine necessitate, nisi quando ex multiplicitate sequitur positiuum aliquod absurdum, quod proculdubiò hîc non sequitur, etiamsi essent decem actiones totales; oportet ergo istud principium fixum vbique tenere, vt loquamur consequenter.

Obiicies: Potest quis propter duos fines tota- 117
les, v. g. propter sanitatem & propter recreationem, eligere deambulationem; ergo non implicant, etiam naturaliter loquendo, duæ causæ totales respectu eiusdem effectus. Respondet P. Suarez, actionem exteriorem ex se non respicere eos

duos fines totales, sed se habere extrinsecè ad illos, ideoque rectè posse ab illis procedere; actionem verò voluntatis, scilicet electionem, non respicere adæquatè quemlibet ex illis finibus, sed inadæquatè, quolibet enim illorum deficiente, necessariò deficiet ea electio, sicut actus intellectus, quo cognoscitur Petrus & Paulus, non habet quemlibet illorum pro obiecto adæquato, sed inadæquato.

Aliter nonnulli respondent, actionem exteriorem pendere tunc ab imperio voluntatis, imperium autem non pendere adæquatè, sed inadæquatè à quolibet illorum finium, vnde de primo ad vltimum neque ipsam actionem exteriorem adæquatè pendere à quolibet illorum. Neutra ex his solutionibus satisfacit. Secunda supponit principium falsum de necessitate imperij distincti ad actus externos, de quo Disputatione VIII.

118 de Animâ, num. 15. Prima verò P. Suarezij supponit, semper vnico actu amari eos duos fines, quod falsum est: nam possunt esse duæ electiones deambulationis, vna propter sanitatem, altera propter recreationem, qualibet autem est sufficiens & adæquata ad causandam electionem, & tamen non sunt otiosæ, ergo idem erit in causis physicis.

Respondendum ergo est, non licere in his rebus de superfluitate arguere à rebus physicis ad intentionales, vt in multis aliis exemplis ab hac materiâ diuersis facilè ostenditur: repugnant enim duæ quantitates, quia otiosæ in eodem subiecto duæ adæquatæ vniones, duæ vbicationes in eodem loco, &c. non tamen repugnant duæ visiones eiusdem speciei, vna de Petro, altera de Paulo; duo amores de eisdem, complacentia, amor efficax, gaudium, &c. de eodem obiecto. Ratio disparitatis est manifesta, quia actio v.g. purè putè requiritur vt existat effectus, hoc autem tam benè habetur per vnam adæquatam, quàm per duas: similiter quantitas, vt reddatur subiectum extensum, id autem tam benè præstatur per vnam ac per duas; ergo vna sufficit, duæ sunt superfluæ.

119 At actus vitales requiruntur, non propter obiectum præcisè, sed propter perfectionem quam tribuunt subiecto vitali, vnde idem obiectum potest amari multis actibus diuersis, & consequenter propter multos fines imperari sine otiositate: effectus autem physicus non potest sine superfluitate per duas actiones totales produci.

SECVNDA CONCLVSIO. De potentiâ absolutâ rectè potest idem numero effectus simul produci à duabus causis totalibus, vel ab vnâ totali & aliâ partiali. Hanc tenet P. Suarez Tomo 1. Metaphysicæ, disputat. 36. sect. 4. estque communis inter recentiores. Probatur Primò, quia possunt duæ causæ materiales de potentiâ absolutâ simul sustentare eamdem formam materialem (potest enim eadem forma equi educi ex duabus materiis, vt & aduersarij fatentur) ergo similiter poterit produci idem effectus à duabus causis efficientibus totalibus. Consequentia est certa, Primò, quia causæ materiales sunt veræ causæ in horum sententiâ, ergo etiam poterunt duæ causæ efficientes totales absolutè & simpliciter eumdem effectum simul causare. Deinde, quia non est maior repugnantia in duplici causalitate materiali adæquatâ, quàm in duplici efficiente.

120 Dices, Forma, si ponatur in distinctis subiectis, constituit in illis distincta composita saltem inadæquatè, vnde non pendet ab illis diuersis subiectis secundùm idem esse, sed secundùm diuersum, quod non repugnat. Sed contrà, quia, licet composita sint inadæquatè distincta in prædicto casu, forma tamen causata omnino est eadem; & quod dependet propriè & causatur ab illis subiectis, vnicum & idem omnino est, nempe entitas formæ, quod non benè consideratur à multis Auctoribus; ergo iam eadem res potest causari simul à duabus causis totalibus, & per duas totales causalitates, quod intendimus.

Secundò probatur eadem Conclusio, quia nulla potest adduci repugnantia in ordine ad potentiam absolutam in hac duplici causalitate adæquatâ, ergo non est neganda omnipotentiæ Dei. Patet Antecedens, quia tota repugnantia potest à superfluitate peti; sed hæc non vrget in ordine ad potentiam absolutam, ergo.

Dices cum P. Vasquez oppositum asserente 121
Tomo 1. in 3. Partem, disputatione 29. cap. 4. Actio essentialiter est dependentia effectus à causâ: sed eo ipso quòd adæquatè producatur effectus per vnam actionem, non potest dependere ab aliâ, quia dependentia significat indigentiam; qui autem adæquatè & sufficienter ab vno habet suum esse, non potest alio, quoad hoc, indigere, ergo nec poterit per duas actiones totales produci. In primis hoc argumentum retorquetur ad hominem in causis materialibus, quarum causalitas etiam est dependentia effectus à causâ, & nihilominùs admittunt, posse eamdem formam materialem simul ex duobus subiectis educi. Respondeo ergo, actionem siue causalitatem non ita esse dependentiam effectus à causâ, quasi nequeat effectus sine illâ existere: nam certum est, ignem productum ab igne A. v.g. posse etiam naturaliter produci ab altero diuerso igne, ergo non indiget igne A. vt existat: est igitur illa dependentia idem quod productio ipsius effectus, quæ in hoc sensu dici potest indigentia, quòd effectus saltem disiunctiuè pendet egetque aliquâ causâ hac vel illâ. vnde ad argumentum nego, illas duas actiones totales, & quamlibet seorsim, esse indigentiam effectus ab vtraque causâ, hoc enim benè ostensum est repugnare; est ergo indigentia disiunctiuè ab hac vel illâ, determinatè tamen est productio entitatis ab vtraque causâ, quod non repugnat.

Aliter huic argumento respondet nonnullus, 121
actionem totalem ideò esse dependentiam ab hac causâ, quia illa actio petit ne sit altera actio, & consequenter vt effectus indigeat, & hac causâ & hoc influxu. Sed hæc responsio non satisfacit; quia si actio totalis non excludit essentialiter alteram, sed solùm connaturaliter, non potest esse actualis dependentia, sed summùm radicalis, quia actualis dependentia dicit necessariò carentiam actualem alterius causæ vel influxus sufficientis, actualis autem carentia non est de conceptu actionis, sed summùm exigentia illius carentiæ; sicut quantitas non est actualis extensio, sed radix illius.

Aduerte, quando dicimus, quamlibet ex illis causis esse totalem (idem est de actionibus) non ita intelligendum esse *in totalem*, vt nulla alia causa sit præter illam, in hoc enim sensu implicat, quamlibet esse totalem, si sint duæ. Idem ergo est

totalis

totalis quod *sufficiens, etiam in actu secundo*, & potens nullo maiori adhibito conatu effectum conseruare sine consortio alterius.

123 Sed rogabis, casu quo dentur illæ duæ actiones, an futuræ sint supernaturales in substantiâ. Affirmant nonnulli recentiores, sed valdè inconsequenter. Nam vel ex his supernaturalibus vna potest esse sine aliâ, vel non. Si non; ergo non sunt totales, quia neutra sola potest effectum cõseruare, & vt sic destruit casus quęstionis. Si verò vna potest esse sine aliâ, iam facio argumentum: Sicut Deus potest duas eas actiones inter se disparatas & independentes, licet supernaturales, simul ponere, cur non etiam poterit simul ponere duas quæ in substantiâ sint naturales? Respondeo ergo, eas posse esse in substantiâ naturales, miraculum autem futurum in modo, id est, in coëxistentia vtriusque, eò quòd, cùm natura peteret ne altera esset, Deus tamen vult illam dare perinde ac si vni materiæ duas daret naturales formas substantiales, vel vni corpori duas naturales vbicationes; tunc enim daretur illi res quidem naturalis, sed quæ hîc & nunc non deberet dari, quæ doctrina per se est satis clara.

SECTIO XI.

Diuisio Causarum.

EXPLICVIMVS huc vsque Causam in com- 124
muni, oportet iam eam in suas species diuidere: & quia de illis in particulari sequentibus Disputationibus agendum est, in hac Sectione præcisè enumerabo eas species, de quibus posteà acturi sumus.

Primò diuiditur Causa in *formalem, materialem, efficientem, & finalem.* Secundò diuiditur in *primam & secundam*; illa est Deus, hæc creaturæ. Tertiò in *mediatam* seu remotam, & in *proximam* seu immediatam; hæc attingit effectum ratione sui, illa ratione alterius rei à se productæ. Quartò in *totalem & partialem*; hæc producit effectum simul cum aliâ, illa verò se solâ. Quintò in *moralem & physicam*; hæc est quæ verè & realiter producit effectum, illa quæ solùm consulendo, impetrando, imperando, &c. Sextò in *instrumentalem & principalem*, quæ vltima membra hîc non possunt commodè explicari, sed infrà, vbi de eis singulariter agendum erit.

DISPVTATIO OCTAVA.

De Causâ materiali, formali, finali, & exemplari.

SECTIO I.

De Causâ materiali.

1 NOMINE causæ materialis comprehendo omne subiectum in se sustentans formam aliquam, vel accidentalem, vel substantialem, vel modalem. Hæc causa definitur esse id *ex quo aliquid fit ita vt insit.* ita Aristoteles in præsenti cap. 3. textu 28. Per *τὸ ex quo aliquid fit*, excluduntur causæ efficientes: neque enim dicitur ex efficientibus, sed ab efficientibus produci effectum. Per *τὸ ita vt insit*, excluditur terminus *à quo*: licet enim ignis dicatur fieri ex ligno, lignum tamen non ineſt igni, ideoq; non est causa materialis ignis. Aliter tradi solet hæc definitio, scilicet causa materialis est ea, *quæ in composito recipit aliam compartem.* Vtraque hæc definitio non videtur exacta, quia *τὸ ita vt insit* sonat idem, ac rem causatam materialiter debere esse vnitam cum formâ; & hoc non est necessum ad rationem causæ materialis. Suprà enim ostendi, posse de potentiâ absolutâ dari causalitatem materialem sine vnione. & ob eamdem rationem non videtur bona secunda, quia non est de ratione causæ materialis, constituere
2 actu compositum. Præterea, etiam materiæ primæ respectu animæ rationalis conuenit illam recipere; vnde in homine vna pars recipit aliam compartem, & tamen non est causa materialis, quia non producit nec causat animam, vnionem autem etiam causat ipsa anima, ergo non benè definitur, *causa materialis est quæ in composito recipit aliam compartem.*

Ob hanc secundam rationem omnino displiceret ea secunda definitio. Prima autem rectè potest in verum sensum explicari, ita vt *τὸ insit* non significet actualem vnionem cum ipsâ causâ materiali, sed indigentiam huius vnionis, scilicet causalitatem materialem exigere necessariò, naturaliter loquendo, vnionem sui termini cum causâ materiali; quo differt à causalitate efficienti, quæ ex conceptu suo non exigit eam vnionem cum effectu, vt patet in Deo producente efficienter creaturas, in igne producente efficienter alium ignem, cum quo tamen non vnitur, vt cum formâ. Verum est, aliquas causas efficientes etiam exigere suos terminos sibi inesse, qualia sunt omnia principia vitalia, cognoscitiua & appetitiua; id tamen non exigunt quia causę efficientes, sed quia simul sunt causæ materiales, coincidit enim in illis hoc duplex genus causæ, materialis & efficientis.

De effectu causæ materialis nihil occurrit di- 3
cendum; ille enim est forma ipsa sustentata à subiecto, totum autem compositum non est effectus causæ materialis propriè & in rigore, ob rationem sæpè factam, quia compositum non producitur sed constituitur à partibus, ideoque diximus suprà, vnionem non esse propriè causalitatem, sed rationem formalem, quâ partes per sui communicationem componunt, non tamen efficiunt totum.

In præsenti occurrit grauis difficultas circa causam materialem: videmur enim sine vllo fundamento confinxisse prædictum genus causæ; tota enim ratio, quæ à nobis stat, desumitur ex eo, quòd aliquæ formæ naturaliter nequeant conseruari sine subiecto. Sed hinc non probatur, illud subiectum debere causare materialiter prædictas formas: anima enim rationalis in primo instanti suæ creationis, naturaliter loquendo, non

potest

potest esse extra materiam, & tamen nec in illo instanti causatur à materia; similiter actio creatiua nullo modo potest esse extra suum terminum, & tamen ab illo non causatur, ergo non habemus fundamentum vllum, ad ponendum in rerum naturâ genus causæ materialis, quia non habemus fundamentum ad ponendam diuersam dependentiam in formis materialibus substantialibus respectu materiæ, & in omnibus accidentalibus quàm in actione respectu sui termini; in ordine enim ad nos tam hæc non potest esse sine termino, quàm ille sine subiecto. Hanc difficultatem vix vllus tangit, sed omnes tamquam rem omnino certam supponunt, dari causalitatem materialem: verùm cùm hæc res non sit ex se nota, sed discursu probanda, oporteret aliquam rationem, quæ eam suaderet, afferre.

Postquam rem hanc dictaueram, vidi in P. Lessio lib. 3. de Summo bono, à num. 49. hanc quæstionem occasione accidentium Eucharisticorum fusè satis disputatam, vbi in negantem partem absolutè inclinat, eamque defendit hac nostrâ ratione, quia scilicet nulla est necessitas ponendi talem verum influxum ex parte subiecti; ostenditque sine illo saluari posse differentiam inter generationem & creationem, quòd scilicet ea res creetur, quæ nec vt à conditione neque alio modo pendet in suo esse & conseruari à subiecto, qualis est Angelus & anima rationalis; illa verò generetur, quæ à subiecto dependet, saltem à poste-
4 riori, etiamsi ab eo non causetur. Hæc sententia potest ampliùs confirmari, quia videtur prorsus incredibile, in materiâ primâ v. g. esse virtutem causandi tot diuersas formas substantiales, tot propè infinita accidentia specie diuersa, & inter se etiam contraria; similiter, aquam habere virtutem causandi etiam calorem, & ea accidentia, quibus ipsa aqua destruitur; neque vlla res est inter creaturas omnes, quibus virtus causandi sit ac tanta diuersa entia concedatur, quàm materiæ primæ, quæ tamen aliunde ita solet floccipendi, quasi esset vilissima omnium entium. Video, communiter responderi, causalitatem materialem esse valdè imperfectam, ideoque non arguere magnam virtutem in causâ materiali. Sed & video, hanc solutionem nullam prorsus esse; nam differentia causalitatis materialis ab efficienti solùm assignatur in hoc, quòd efficiens causat sine mutatione sui, materialis ve-
5 rò eam mutationem petit. Iam autem rogo, in ordine ad continendos tot ac tam diuersos effectus, quid facit petere vel non petere vnionem cum illis? ergo si non potest probabiliter materiæ tribui virtus causandi tot effectus, non petendo seu præscindendo ab vnione cum illis, nec poterit dari virtus ad eos causandos, petendo vnionem ad illos; ergo talis virtus productiua materialiter omnino videtur fictitia & Chimærica.

Hæc aliis propono meliùs consideranda; ego tamen interim dico, licet non sit adeò efficax ratio quæ hanc causalitatem materialem persuadeat, sicut nec quoad efficientem respectu creaturarum, posse tamen in primis dici, sicut non est improbabile, concedere materiæ primæ virtutem recipiendi tot formas, ita nec esse improbabile, dicere eas ab ipsâ materialiter causari, & imperfecto modo. Quia, licet causalitas materialis vt sic, non dicat eum imperfectum modum quem alij sibi fingunt, tamen non illum excludit; materiæ autem tribuitur quidem aliqua causalitas, sed valdè exigua: quo pacto, si experientia quid simile in aliis ostenderet, non esset durum, etiam ad causandum efficienter alicui tam amplam virtutem tribuere, quo responderetur obiectioni in contrarium à me factæ.

Secundò, non potest negari, meliùs & rationi 6
conformiùs saluari generationem per causalitatem veram à subiecto, quàm per solam dependentiam vt à conditione. Quod sic ampliùs vrgeo. Ponamus, distingui potentias in Angelo; Angelus crearetur, potentiæ verò non, sed generarentur: at tam Angelus non posset conseruari sine potentiis, quàm hæ sine Angelo, cur ergo magis substantia Angeli creatur, quàm potentiæ, si neutra educitur ab alterâ, & vtraque pendet à posteriori ab alterâ? clariùs ergo id explicatur per productionem materialem.

Tertiò satis probabiliter ea causalitas à simili colligitur. Sicut enim, quia videmus in passo, v. g. in ligno, ad præsentiam alterius ignis produci ignem, colligimus, illum ignem, ad cuius præsentiam alter producitur, non se habere vt meram conditionem, sed vt veram causam alterius ignis: ita similiter, quia aliunde probatur, accidentia pendere à subiecto, colligimus, pendere ab illo non vt à conditione, sed vt à causâ intrinsecâ. Quòd si eam causalitatem non colli- 7
gimus respectu animi rationalis, & respectu actionis creatiuæ, id oritur ex speciali repugnantiâ, quam hîc agnoscimus, quæ non relucet in aliis causalitatibus materialibus. In animâ enim rationali, quia cùm sit creata, non potest dependere ab vllo subiecto materiali: in actione autem creatiuâ, quia si produceretur materialiter à suo termino, daretur mutua causalitas, quam repugnare suprà ostendimus. Et sicut, licet eodem modo videamus ad præsentiâ ignis alium ignem produci, sicut producitur ex repercussione silicis, quia tamen apparet specialis repugnantia in eo quòd silex sit causa ignis, quæ non apparet in igne, ideò dicimus, silicem percussum se habere vt conditionem, ignem autem vt causam veram alterius ignis; ita etiam debemus dicere, materiam respectu animæ rationalis, & terminum respectu actionis quâ producitur, propter repu- 8
gnantiam in eis repertam, non esse causas materiales; reliqua verò subiecta, quia non dicunt eam repugnantiam, non esse solùm conditiones, sed etiam causas materiales respectu formarum. Quare in omnibus subiectis, in quibus aliqua specialis repugnantia in causatione formæ non apparuerit, concedenda est eiusmodi causalitas materialis.

Iste discursus satis videtur probabilis: sed posset fortè aliquis assignare disparitatem inter causam efficientem & materialem, dicereque, rectè inferri, ignem, ad cuius aduentum alter in stupâ v. g. producitur, esse causam efficientem, eò quòd res creata debet habere causam efficientem, & commodissimè hoc tribuitur igni æquali in virtute & perfectione; quia tamen non est vlla ratio naturalis, neque experientia probans, causalitatem materialem esse in aliquibus ponendam, non licet inferre, ex eo quòd accidens pendeat à subiecto, illud produci ab ipso subiecto mate-

materialiter, sufficit enim, si ab eo pendeat, sed sine causalitate, vt suprà dictum est.

9 Rogabis, Vtrùm Deus possit supplere munus causæ materialis, id est, vtrùm possit sustentare materialiter aliquam formam. Causa materialis dat esse formæ, quod quidem rectè potest à Deo præstari, & de facto præstatur respectu accidentium Eucharistiæ. Præterea, causa materialis perficitur & mutatur per suum terminum, & hoc non potest Deus exercere, qui est incapax omnis nouæ perfectionis, & omnis mutationis: quare absolutè & simpliciter non potest Deus exercere munus causæ materialis, secundùm totum, quod dicit causa materialis, nisi fortè facias quæstionem de nomine, dando aliam significationem causæ materiali.

SECTIO II.

De Causalitate materiæ.

MATERIAM primam causare formam, supponimus ex Sectione præcedenti: in hac inquirimus, vtrùm eam actu causare, sit aliquid distinctum ab ipsâ & à formâ causatâ, & quid illud.

10 PRIMA CONCLVSIO. Causalitas materiæ est distincta ab ipsâ materiâ, & à formâ causatâ, quando forma non pendet essentialiter à materiâ. Hæc probatur eisdem rationibus, quibus Disputatione IV. Sectione I. ostendimus distinctionem vnionis ab vtroque extremo, quia potest materia & forma existere in rerum naturâ saltem de potentiâ absolutâ, quin forma causetur à materiâ: ergo hoc, quod est de facto causari, aliud est ab vtraque entitate materiæ & formæ. Dixi, *quando forma non pendet essentialiter à materiâ:* quia, sicut suprà diximus in simili de vnione, licet materia & forma vniatur vnione distinctâ, ipsam tamen vnionem, quia essentialiter petit vniri cum materiâ, non vniri vnione distinctâ, sed per se ipsam; ita etiam iam dico, ipsam causalitatem, quâ materia causat formam, non causari per aliam causalitatem distinctam, alioquin daretur processus in infinitum, sed per se ipsam. quod intelligendum est de quacumque formâ, quæ vt talis dependeat essentialiter à materiâ aut subiecto. Quæ dixi de materiâ in ordine ad formam, intelligenda sunt de quocumque subiecto sustentante quamlibet formam.

11 SECVNDA CONCLVSIO. Causalitas materiæ in compositum, quæ iuxta dicta suprà non est propriè causalitas, eò quòd nihil propriè producit, sed tantùm componit; hæc, inquam, causalitas, qualiscumque sit, consistit formaliter in vnione: probaturque manifestè ex dictis, quia per vnionem formaliter constituitur compositum.

TERTIA CONCLVSIO. Causalitas materiæ in vnionem, est distincta ab ipsâ vnione & à materiâ. Hanc probant nonnulli recentiores, quia nihil potest esse causalitas in se ipsum, ergo vnio distinguitur à causalitate in ipsam. Sed hæc ratio nulla est; quia (vt sæpè dixi) actio quâ producitur quicumque terminus, est etiam suiipsius productio; & in probabili sententiâ, actio creatiua Angeli identificatur realiter cum Angelo: actio enim distincta à termino non ideò ponitur, quia id exigat conceptus actionis vt sic, sed propter separabilitatem actionis ab effectu: vnde hac cessante separabilitate, eadem res potest esse actio suiipsius, sicut & vnio suiipsius, & vbicatio est vbicatio suiipsius. Meliùs ergo probatur sic: 12 perseuerante eadem vnione & materiâ, potest deficere causalitas materiæ in vnionem; ergo ea causalitas distinguitur à materiâ & vnione. Consequentia est euidens. Antecedens probatum est Disputatione IV. à num. 74. vbi ostendi, de potentiâ absolutâ posse manere vnionem sine eo quòd causetur à materiâ. Secundò probatur, quia mutatis agentibus mutatur causalitas materialis, & tamen non mutatur vnio, ergo vnio non est causalitas materialis. Consequentia est certa. Maior constabit ex Conclusione, quâ probabo, causalitatem materialem & efficientem esse idem realiter. Minor autem probatur, quia non est distinctus ignis in secundo instanti, ab eo qui est in priori, ergo non habet in secundo instanti distinctam vnionem ab eâ quam habuit in primo, cùm tamen in secundo habeat diuersam actionem, conseruatur enim à solo Deo; in priori autem instanti, quo productus est, à Deo simul & ab alio igne causabatur. Suppono enim, quando forma ignis ab alio igne producitur, etiam produci vnionem substantialem illius cum materiâ, aliàs nullum esset argumentum: nam agens non intendit formam ignis in abstracto, sed primariò & per se in subiecto vt producat ignem.

QVARTA CONCLVSIO. Causalitas, quâ materia causat vnionem, non est eadem cum eâ quâ causat formam. Probatur ex dictis suprà de Vnione, vbi ostendi, eam subiectari in vtroque extremo, & vtrumque esse causam materialem illius; ergo vtrumque extremum intelligitur præexistens ad vnionem, & vtrumque recipit in se causalitatem in illam vnionem: sed forma non præintelligitur ante suam causalitatem, neque est causa materialis illius (alioquin esset causa sui ipsius) ergo causalitas in vnionem alia est à causalitate in formam, vna enim oritur à solâ materiâ, & in eâ solâ recipitur, altera à materiâ & formâ procedit, & in vtraque subiectatur. 13

QVINTA CONCLVSIO. Causalitas materiæ in formam, etiam transacto primo instanti generationis, non est vnio. Patet ex suprà dictis: quia vnio subiectatur in formâ, causalitas autem, quâ formâ etiam in secundo instanti producitur, nequit in ipsâ formâ subiectari, alioquin in secundo instanti se causaret forma, quod repugnat; ergo vnio non est causalitas materiæ in formam, nec in fieri nec in facto esse. Confirmo: vnio ma- 14 teriæ & formæ est eadem in secundo quæ in primo instanti, aliàs non esset idem equus aut ignis in primo & in secundo instanti, mutaretur enim essentialiter vnio, quæ est de essentiâ illius: sed ea vnio in primo instanti non fuit causalitas, ergo neque erit in secundo. Patet euidenter consequentia, quia esse causalitatem, est prædicatum essentiale, quod conuenit rei per se ipsam, nec potest iam in hoc instanti esse causalitas, posteà verò non.

SECTIO

SECTIO III.

De differentiâ inter actionem & passionem.

SEXTA CONCLVSIO. Causalitas seu actio, quâ efficiens producit formam, est idem realiter cum causalitate seu passione quâ subiectum eamdem formam sustentat seu producit materialiter. Hanc tenet P. Suarez Disputatione 40. Metaphysicæ, sect. 1. & communiter recentiores. Pro eâ arguunt nonnulli Primò, quia actio causæ efficientis non distinguitur à motu; sed motus est idem realiter cum causalitate materiali, seu cum passione, quæ sunt idem; ergo actio & passio e-
15 runt etiam idem. Consequentia est euidens. Minor probatur, quia de ratione motus est, facere vt subiectum se habeat aliter ac anteà, quod formaliter fit per passionem, ergo motus & passio erunt idem. Deinde probatur Maior, scilicet, motum & actionem esse idem, quia productio formæ in subiecto formalissimè est motio ipsius subiecti, quod non aliter mouetur nisi per formam in se productam & receptam, sed hoc argumentum non vrget vllo modo; quia motus formaliter non consistit in actione aut passione, sed in receptione formæ. Vnde etiam illi fatentur, si diuinitus vnio animi rationalis creetur, adhuc materiam primam tunc mutandam, sicut de facto etiam mutatur formalissimè per animum rationalem, quem tamen non causat. Ergo motus formaliter in vnione consistit; ergo argumento à motu petito non potest vllo modo probari, actionem efficientis & causalitatem subiecti esse idem. Secúdò respondeo, adhuc admissâ Minori, motum scilicet & passionem esse idem, posse negari Maiorem, scilicet actionem esse idem cum motu.
16 Quando verò in probatione dicitur, *productio formæ in subiecto est motus*, respondendum est, iam ibi coniungi duo, scilicet *productionem formæ, & in subiecto*; primum est actio, secundum prouenit à passione, illa autem inter se non esse idem. sicut *homo in hoc loco* dicit duo distincta, & hominem, & vbicationem, quod adhuc ampliùs declarabitur ex secundo argumento.

Secundò arguunt: Quia alterans subiectum producit calorem in subiecto, ergo eius actio est productio caloris in subiecto, ergo & passio. Patet consequentia, quia idem est, formam recipi à subiecto, & formam produci in subiecto. Sed neque hoc argumentum vrget: posset enim quis respondere, productionem caloris in subiecto duo dicere realiter in se distincta, & productionem caloris, de se indifferentem ad hoc vt calor esset vel non esset in subiecto, & hanc esse actionem causæ efficientis; deinde dicere etiam receptionem ipsius caloris producti in subiecto, & hanc esse passionem, quod non impugnatur prædicto argumento. Imò adderet quis, eas duas causalitates esse inter se realiter separabiles, & posse manere productam formam efficienter etiam per hanc numero actionem, licet non daretur causalitas subiecti in eam formam, sed altera actio huius defectum supplens.
17 Aduerte, idem esse, formalissimè producere formam in subiecto, & formam produci in subiecto; sicut idem est, me videre obiectum, & obiectum à me videri; non tamen ideò debet censeri productionem formæ in subiecto esse actionem solam: nam in hoc includuntur duæ entitates, scilicet & productio formæ, & receptio in subiecto, vt paulò antè dixi, quæ duæ entitates etiam includuntur in productione passiuâ formæ in subiecto, ex quo solùm licet inferre, productionem actiuam formæ in subiecto non distingui realiter à productione passiuâ eiusdem formæ in subiecto; non tamen infertur, productionem efficientem actiuam & passiuam formæ esse idem cum productione materiali actiuè & passiuè consideratâ eius formæ in subiecto. Ratio à priori est, quia hîc sunt duæ causæ realiter concurrentes; possum ergo ego considerare duos influxus, à qualibet vnum; ille, qui ab efficienti esset actio, quâ effectus diceretur productus, solùm tamen ab efficienti, sicut & solùm hæc denominaretur 18
agens, seu causans, per eam actionẽ; alter verò influxus qui esset à subiecto, diceretur passio, & per illum etiam forma denominaretur causata, non ab efficienti, sed à subiecto: sicut etiam per eamdem passionem ipsum subiectum diceretur causans, ex vtraque autem causalitate simul sumptâ integrari motum, illas autem inter se esse realiter distinctas. Denique, Antecedens esse falsum, dicam infrà, ostendens, motum in solâ vnione formaliter consistere, quod & in primo argumento notaui.

Tertiò arguitur: Quia si distinguerentur actio & passio, ipsa actio deberet subiectari in ipso subiecto, neque enim potest recipi in termino aut in agente; vel ergo ea actio dependet se ipsâ à subiecto, vel per aliam actionem distinctam. Non per aliam, quia daretur processus in infinitũ, ergo per se ipsam; ergo illa actio se ipsâ dependet à subiecto. Sed nõ dependet ab illo vt terminus in quo sistat subiectum, ergo dependet vt causalitas illius, & vt via ad ipsam formam; ergo per illam causatur forma à subiecto, ergo actio causæ efficientis est etiam causalitas materialis seu passio. Huic argumento facilè quis posset respondere, 19
eam actionem pendere à subiecto non vt viam & causalitatem ipsius, imò neque vt terminum productum ab eo subiecto, sed solùm vt à subiecto adhæsionis (ad modum quo de creatione dicemus infrà) vnde nullatenus infertur, subiectum per eam actionem aliquid producere, quia nullatenus ea actio oritur ab eo subiecto, sed solùm in eo recipitur.

Quartò quidam arguunt: Quia in conceptu actionis generatiuæ, prout distinguitur à creatiuâ, includitur dependentia à subiecto, ergo actio generatiua est formaliter passio. Quo argumento volunt probare, nec ratione distingui actionem eductiuam à passione. Verùm, neque identitatem realem probant, quia negabit aduersarius actionem generatiuam esse formaliter dependentiam termini à subiecto, sed solùm radicaliter; quia vt differat à creatiuâ, sufficit eam exigere associari cum causalitate subiecti, quam exigentiam non habet actio creatiua, quæ vt talis excludit consortium causalitatis à subiecto.

Quintò: Quia vel causalitas materiæ in formam dependet à solâ materiâ, vel etiam ab agente. Si à solâ materiâ, ergo illa causalitas non est facta, quia non habet causam efficientem; nam materia solùm est causa materialis: dicere autem, 20
eam

eam causalitatem non esse factam, omnino est Chimæricum; ergo fatendum, illam causalitatem materialem dependere à causâ efficienti: sed non dependet ab illâ vt terminus, ergo vt via & actio illius, ergo causalitas materialis est etiam actio causæ efficientis. Hoc argumentum coincidit cum tertio: discrimen autem solùm est, quòd tertium ab actione, hoc verò à passione desumitur. Est autem hoc aliquantò difficilius, quia ibi poterat actioni negari dependentia à subiecto vt à causâ, quia hæc dependentia à subiecto non conuenit omni rei: at non possumus negare passioni seu causalitati materiali dependentiam immediatam saltem à Deo vt à causâ efficiente; vn-
21 de videtur inferre, & Deum per illam passionem efficienter producere formam. Nihilominùs tamen posset quis respondere, eam passionem se ipsâ pendere à Deo, non vt viam ad formam, sed vt terminum; habere autem Deum aliam actionem quâ illum terminum producat. Neque videtur inconueniens vt, quæ est actio respectu vnius causæ, sit terminus respectu alterius, sicut dicunt omnes illi, qui actionem creaturæ distinguunt ab actione Dei. Quæ etiam solutio suo modo tertio argumento potest applicari.

Licet autem hæc omnia argumenta vtcumque possint solui, nõ dubium quin maximè probabilem reddãt nostram Conclusionem, & quòd facilius percipiatur productio formæ ex subiecto, si dicatur realiter esse idem causalitas subiecti, cum causalitate efficientis, & dependere, sicut & ipsa forma, materialiter à subiecto, & ab efficiente efficienter. Quibus argumentis potest addi aliud, quo sæpè vtimur, desumptum ex superfluitate; quia nulla est necessitas realiter distinguendi eas duas causalitates, non sunt ergo distinguendæ, nec multiplicandæ frustrà.

22 Dices: Manente eadem causalitate materiæ, mutatur causalitas efficientis, ergo hæ causalitates distinguuntur. Probatur Antecedens, quia manente eadem materiâ sustentante formã ignis, mutantur causæ efficientes; nam in primo instanti forma ignis producebatur ab alio igne, in secundo autem instanti producitur à solo Deo. Respondeo, mutatâ causâ efficiente mutari etiam causalitatem materialem, quia hæc dependebat etiam à causâ efficiente siue vt terminus, siue vt via: & hoc verum est, etiamsi illæ causalitates distinguantur, vt in solutione quinti argumenti dixi.

Secundò obiicies: Actio & passio constituunt duo Prædicamenta, ergo distinguuntur realiter. In Metaphysicâ ostendam, plura Prædicamenta neque etiam ratione distingui inter se: vnde, quia actio & passio constituant duo Prædicamenta, non infertur, debere distingui non solùm realiter sed nec ratione.

23 Tertiò obiicies: Actio vt actio debet habere subiectum, sed hoc non potest esse ipsum passum, quia in hoc solùm recipitur passio, ergo debet assignari aliud, ergo actio & passio distinguuntur, siquidem habent diuersa subiecta. Respondeo, actionem eductiuam, de quâ in præsenti, subiectari in passo, etiamsi distinguatur à passione; quia illa actio non potest habere aliud subiectum nisi ipsum passum, nam in agẽte non subiectatur, vt infrà ostendam: in termino autem nequit subiectari, ne detur mutua causalitas, ergo solùm est subiectanda in passo, ergo hinc non potest deduci, eam distingui realiter à passo.

Obiicit rursus quidam Neotericus: Actio non est respectus ad agens, alioquin ipsum agẽs denominaretur ab illâ procedens à se ipso, quo nihil absurdius. Passio etiam non est respectus ad subiectum, aliàs denominaret subiectũ recipiens se ipsum, ergo distinguuntur realiter. Patet consequentia, quia habent prædicata contradictoria, actio enim non respicit agens, illud verò respicit passio. Hoc argumentum nullius est momenti, &
Primò quidem in eo hic Auctor sibi contradicit: 24
ipse enim benè obseruat alibi, formam non cuilibet subiecto tribuere omnem suum effectum formalem, sed vni vnum, alium alij; ergo actio, licet sit respectus ad agens, non tribuet ipsi agenti denominationem respicientis agens, sed respicientis passum & effectum. Similiter è contrario, passio non reddet subiectum respiciens se ipsum, sed respiciens agens & terminum, & hunc tandem constituet respicientem subiectum & agens. Idem ampliùs vrgeo: Actio, etiamsi non respiciat agens, est tamen ex se emanatio termini; ergo quandoquidem ab illâ denominatur ipsum agens, debebit denominari emanans, si forma præcedentis argumenti bona est. Constet ergo, actionem & passionem respicere realiter omnia tria, scilicet agens, terminum, & subiectum. Imò etsi realiter distinguerentur, quælibet tamen ea tria deberet respicere, vt dixi suprà in tertio & quinto argumento.

Rogabis, vtrùm saltem ratione nostrâ distin- 25
guantur inter se actio & passio. Negant nonnulli, quia sicut idem est, etiam ratione nostrâ, obiectum videri à me, & me videre obiectum; ita idem est, formam educi à materiâ passiuè, & eam educere actiuè; ergo actio & passio etiam ratione sunt idem. Fuge æquiuocationem, fateor, idem esse ignem producere calorem, & hunc produci ab igne, sicut idem est me videre Petrum, & Petrum à me videri, vbi solùm est differentia penes vocem actiuam & passiuam, non tamen est idem ratione nostrâ, imò nec realiter, me videre Petrum, & Petrum videri à Ioanne; quia non fit comparatio in ordine ad eosdem terminos. Ita similiter, licet idem sit, materiam producere formam, & formam produci à materiâ, non tamen est idem, formam produci à materiâ, & Deum producere formam; quia fit comparatio in his diuersis vocibus actiuis & passiuis ad diuersas causas, vnde propter hoc argumentum rectè posset dici eas distingui etiam realiter.

Censeo igitur, eas distingui ratione, quia non 26
est idem ratione nostrâ, concipere effectum productum ab hac causâ, & concipere illum productum ab alterâ: imò addo, in ordine ad potentiam absolutam non apparere manifestam repugnantiam in eo quòd detur aliqua passio realiter distincta ab actione, quod constat ex solutione contradictionum quæ afferri possunt, de quibus suprà.

Hi Auctores cùm hanc suam sententiam in scriptis traditam meritò displicuisse multis vidisset, dixere, se locutos de actione eductiuâ, quæ vt talis non videtur distincta, nec ratione, à passione. Sed quis dubitat, sermonem eis solùm fuisse de actione eductiuâ? nam creatiua non solùm ratione, sed & realiter distinguitur à causa-

litate subiecti. Quæstio ergo est in actione eductiuâ, quæ simul est realiter actio & passio, & in hac dubitabatur, an hi essent duo conceptus saltem ratione nostrâ inter se distincti, integrantes vnam actionem eductiuam. Hoc ab his negatum est propter exempla illa, *idem est me videre Petrum, & Petrum videri à me*, &c. ego autem apertè ostendo, eos conceptus esse ratione distinctos, propter comparationem cum diuersis principiis, quia actio comparatur cum efficiente, pas-
27 sio cum subiecto: ex quo capite etiam realiter poterant distingui, sicut, licet homo dicat animalitatem & rationalitatem, hæ tamen inter se ratione distinguuntur. ergo, licet actio eductiua sit quasi quoddam totum, in eâ tamen includitur emanatio ab efficienti, & emanatio à materiâ, quæ inter se ratione nostrâ adæquatè distinguuntur: & saltem debebant hi dicere, actionem eductiuam in hoc sensu inadæquatè distingui ratione nostrâ à passione, tamquam includens ab incluso, & sicut homo ratione nostrâ distinguitur ab animalitate solâ. Sed rem intellige, quid autem voluerint hi dicere, non multum curo.

SECTIO IV.

De Causâ formali.

CAVSA formalis communiter definitur, *quæ per vnionem sui cum subiecto illi denominationem tribuit.* De hac definitione suprà egimus Disputatione III. de causâ formali, vbi ostendimus, eam non esse propriè causam respectu compositi; imò nec respectu subiecti, quia nihil in illo producit. Dixi, hanc definitionem communiter tradi, quia in re non videtur sufficiens.
28 Ostendi enim suprà, non esse proprium conceptum formæ, tribuere denominationem, quia etiam subiectum tribuit denominationem formæ, vel saltem potuit: vt enim ostendi ex aduersariis, tribui vel non tribui denominationes formæ à materiâ, purè pendet à voluntate hominum; animam autem esse formam, & materiam esse illius subiectum, non pendet à voluntate hominum. Respondeo tamen, licet hoc non sit proprium formæ, esse tamen proprium illius, tribuere denominationem subiecto: per hoc enim verbum differt ab ipso subiecto, quod non tribuit subiecto denominationem, sed formæ. quid autem sit subiectum, dictum est suprà, vbi subiectum per se, non in ordine ad formam (ne detur vitiosus circulus) definitum est.

De vnione formæ cum subiecto etiam egimus suprà Disputatione IV. quâ ostendimus, eam vnionem distingui à formâ, & in illâ recipi vt in subiecto sustentationis: vnde respectu vnionis eodem modo est subiectum forma, sicut ipsa materia; & respectu vnionis applicanda sunt formæ, quæ Sectione 1. & 2. huius Disputationis de causâ materiali in communi diximus.

SVBSECTIO PRIMA.

Quomodo forma expellat sibi contrariam.

29 QVIA forma expellit aliquando per sui introductionem alteram formam, calor v. g. frigus, oportet explicare, quâ ratione contingat hæc expulsio formæ præcedentis ad ingressum nouæ illi contrariæ. Ratio dubitandi est, quia ex vnâ parte videtur expulsio formæ præcedentis, esse dispositio ad formam subsequentem, ideoque & prior propter rationem communem omnibus dispositionibus, quæ præcedunt priùs naturâ: ex aliâ verò parte expulsio formæ præcedentis videtur esse effectus formæ introductæ, & consequenter videtur posterior illâ.

PRIMA CONCLVSIO. Expulsio formæ præcedentis, & introductio subsequentis, sunt simul tempore. Probatur clarè, quia si priùs tempore esset expulsio præcedentis, daretur in aliquo instanti reali subiectum sine vllâ formâ, quod prorsus repugnat: si verò expulsio esset posterior tempore ad introductionem nouæ, ergo in instanti ante illam expulsionem fuere simul in subiecto forma de nouo introducta, & forma antiqua illi contraria, quod naturaliter omnino repugnat. Imò, si pro vno instanti illæ duæ formæ 30
inter se cohærerent, non esset cur & non cohærerent in sequentibus. Igitur dicendum est, illud instans reale, quo primò incipit esse forma noua, esse etiam illud quo primò incipit etiam non esse antiqua; ergo expulsio antiquæ, & introductio nouæ, sunt simul in eodem instanti reali temporis.

SECVNDA CONCLVSIO. Expulsio formæ præcedentis non est prior naturâ, sed posterior, ad introductionem subsequentis. Hæc est communior inter recentiores, & facilè probatur, quia non ideò introducitur forma noua, quia antiqua expellitur, sed potiùs contrà ideò expellitur antiqua, quia introducitur noua; ergo priùs naturâ est nouam introduci, quàm antiquam expelli. Sed respondent nonnulli, oppositum opinantes, concedendo in ordine ad præuisionem Dei, & in futuritione priùs esse introductionem nouæ expulsione antiquæ, negant verò in facto esse. Pro quo aduertunt, Deum, qui per cognitionem 31
operatur simul cum omnibus agentibus naturalibus, eo ipso quòd videat introducendam formam nouam præcedenti contrariam, teneri ei formæ locum præparare, expellendo contrariam: vnde, licet priùs quasi in intentione sit introductio nouæ, in executione tamen priùs est expulsio præcedentis, quàm introductio nouæ: sicut si quis Regis aduentum sperans, domo eiiceret habitatores illius, vt hospitium Regi præpararet, tunc in intentione & præuisione prior esset aduentus Regis, in executione autem prior esset expulsio aliorum è domo.

Hæc doctrina omnino displicet, tum quia durum in Theologiâ videtur concedere, Deum eiicere priùs naturâ gratiam, vt locum faciat peccato, quando aliquis iustus à gratiâ decidit; tum quia in instanti reali prioritas seu posterioritas naturæ sclùm est prioritas independentiæ & causalitatis. Certum autem est, causam expulsionis formæ præcedentis esse introductionem nouæ, & non è contrario; ergo prior est naturâ, etiam in executione, introductio nouæ, quàm expulsio antiquæ, quia causa in executione debet esse prior suo effectu; imò solùm requirit prioritatem in executione non autem in intentione.

Vrgeo & explico hanc impugnationem: Quia 32
non potest à Deo præuideri existens non solùm

de

de præsenti, sed nec de futuro aliquis effectus, quin præuideantur existentes seu futuræ eius causæ physicæ, & dispositiones, quibus egent causæ ad productionem illius effectus; ergo si expulsio formæ præcedentis est dispositio physica ad introductionem nouæ formæ, non potest Deus videre futuram introductionem nouæ formæ, nisi videat futuram expulsionem præcedentis; ergo nouæ formæ introductio, etiam vt futura, nequit esse causa expulsionis, cùm hæc iam videatur etiam futura. Huic rationi posset responderi, à Deo videri non quidem introductam formam, sed agentia naturalia proximè disposita ad introducendum, solumque desiderare, vt cesset forma contraria. Sed contrà, quia vt causæ proximè potentes ad operandum producant formam actu in subiecto, non indigent vt priùs naturâ expellatur forma contraria præcedens, vt statim ostendam; ergo ex hac parte non expectant voluntatem Dei actu expellentis contra-
33 riam. Contrà Secundò: quia causa expellens formaliter contrariam, non est agens extrinsecum efficiens, sed ipsamet noua forma; ergo hæc debet à Deo præuideri præexistens, antequam decernat destruere actu formam, quia non potest videri existens effectus, antequam causa videatur existens.

Ad rationem in oppositum, desumptam ex intentione finis & executione, respondeo, posse quidem priùs intendi effectum quàm causam, v.g. sanitatem priùs quàm medicinam; verùm non posse præuideri existentem priùs effectum quàm causam. Ratio est, quia aliquid etiam non existens potest amari, vnde & potest amari antequam videantur eius causæ existentes, non tamen potest existere sine suis causis, quia est posterior *in quo* respectu illarum; quod verum est
34 etiam in futuritione. Sicut enim effectus existens est posterior causis existentibus, ita etiam effectus futurus est posterior causis futuris; nam esse futurum, & præsens, est idem esse comparatum ad diuersa tempora: Deus autem non expellit præcedentem formam præcisè quia vult nouam producere, sed quia videt nouam producendam. Ergo priùs naturâ non solùm in intentione, sed etiam in præuiâ executione est introductio nouæ, ergo non potest esse ea introductio posterior naturâ ad expulsionem.

Sed obiicies: Expulsio formæ præcedentis prærequiritur ad introductionem nouæ, ergo est dispositio ad illam. Consequentia est bona. Antecedens probatur, quia non minùs videtur prærequiri ad introductionem formæ ignis, expulsio formæ ligni, quàm calor, vel siccitas, vel aliæ dispositiones ad formam ignis. Pro solutione huius difficultatis aduerto, ad hoc vt forma, v.g. calor, introducatur in passum, non requiri vt priùs naturâ expulsum fuerit ab eo passo frigus, sed sufficere, si non reperiatur tunc frigus in ipso
35 passo, quando intrat calor. Ex quo infero, non debere expulsionem formæ præcedentis antecedere introductionem nouæ, sed sufficere si eam concomitetur, id est, si sint simul. Et ratio est, quia si, dum contrarium ingreditur in passum, ibi non reperiat alterum contrarium, parum interest, quod fuerit antè expulsum, vel quòd tunc primò expellatur, quod lumine naturæ notum videtur. In dispositionibus autem aliis positiuis longè est diuersa ratio, quia licet ignis spectatâ propriâ exigentiâ, videatur contentus, si cùm primùm ingreditur, inueniat ibi suas dispositiones, & ex hac parte non sit necessum vt illæ antecedant; verùm quia ignis inducitur ad illarum exigentiam, oportet ipsas tamquam causas petentes ignem, & determinantes materiam, priùs naturâ præcedere. At, vt suprà dixi, non introducitur forma, quia expellitur antiqua, sed potiùs è contrario, vnde neque ex hoc capite requiritur vt expulsio sit priùs naturâ.

Deinde addo vlteriùs, nec requiri vt ipsa expulsio sit simul naturâ cum introductione nouæ formæ, sed sufficere, & debere esse posteriorem naturâ; causatur enim expulsio ab introductione nouæ formæ, & non contrà, vt dixi.

Vrgebis: Expulsio formæ præcedentis est 36
posterior ad introductionem nouæ, ergo priùs est in illo subiecto forma noua quàm expellatur antiqua; ergo simul saltem naturâ sunt & noua & antiqua, quod omnino repugnat, propter earum contrarietatem. Sequela verò probatur, quia, quamdiu forma præcedens non est destructa, adhuc manet. Sed pro illo priori nondum est corrupta, ergo manet adhuc; sed tunc etiam est forma noua, ergo simul natura vtraque est. Respondeo, etiamsi formæ antiquæ expulsio sit posterior ad introductionem nouæ, adhuc non sequi, simul naturâ coincidere vtramque formam. Ratio est, quia, cùm hæc prioritas naturæ solùm sit prioritas causæ, seu dependentiæ, & forma præcedens eiusque expulsio non sit vllo modo causa introductionis nouæ formæ, inde fit, vt in priori naturæ, quo noua introducitur, non concipiatur neque expulsio antiquæ, neque ipsa antiqua; quare nego, nouam & antiquam esse simul naturâ.

Sed vrgebis rursus: Forma antiqua non con- 37
cipitur in illo priori, ergo in illo priori iam non est, ergo pro illo priori & non pro posteriori est expulsio antiquæ. Respondeo, negando sequelam: quia pro illo priori neque est forma antiqua, neque eius carentia, quia neutrum est causa expulsionis, vnde ab vtroq; præscinditur pro illo priori; sicut in priori quo concipitur voluntas potens amare, vel odio habere, non intelligitur amor aut carentia amoris, neque odium aut eius carentia, sed præscinditur ab vtroque, quia neutrũ est causa amoris aut odij; illud autem signum solùm est signum causæ, ergo ex eo quòd in illo priori non intelligatur expulsio formæ, non sequitur, debere intelligi ipsam formam existentem, ergo non sequitur, simul coincidere vtramque formam nouam & antiquam, vt contendebat obiectio. Quod 38
autem dicebatur, semper durare formam antiquam, quamdiu non destruitur, verum est in duratione reali, non tamen de prioritate naturæ, in quâ solùm considerantur ea quæ se habent vt causa: cumque nec forma antiqua, nec eius expulsio sit causa vt noua adueniat, inde fit, vt neutrum tunc concipiatur, neque pro illo priori existat.

Aduerte, totam hanc doctrinam solùm intelligendam inter formas reales oppositas inter se contrariè: nam si loquamur de formis oppositis priuatiuè v. g. de luce & tenebris, dicendum est, non esse priùs naturâ introductionem lucis expulsione tenebrarum, aut è contrario. Et ratio est aperta: quia cùm tenebræ nihil aliud sint quàm

carentia lucis, carentia autem alicuius rei formalissimè tollatur per positionem ipsius rei, nec potest intelligi ipsa res existens, quin etiam intelligatur non esse carentiam illius: sicut neque è contrario nequit intelligi carentia illius, quin intelligatur ipsa expulsa. inde fit, non posse intelligi existentem lucem, nisi intelligantur etiam expulsæ tenebræ, quæ sunt carentia lucis. Et ratio à priori est, quia idem est lux & carentia tenebrarum, & è contrario idem est carentia lucis & tenebræ; quare lux non est propriè causa carentiæ tenebrarum, neque tenebræ sunt causa carentiæ lucis, sicut homo non est causa animalis rationalis, nec è contrario animal rationale causa hominis. 39

SVBSECTIO SECVNDA.

Quid de expulsione formæ substantialis, & duæ aliæ difficultates.

EST tamen hîc non exigua difficultas; an idem dicendum in formis substantialibus: Conclusio enim, & ratio præcedens, solùm videntur habere locum in formis contrariis, quarum vna expellitur immediatè ad ingressum alterius. At forma ligni v. g. non expellitur quia introducitur forma ignis, sed quia deficiunt dispositiones pro ligno: priùs autem corrumpuntur dispositiones ligni, quàm introducatur forma ignis, ergo priùs corrumpitur forma ligni quàm introducatur ignis.

Propter hoc argumentũ sentiunt quidam moderni, in formis substantialibus priorem esse corruptionẽ antiquæ generatione nouæ. Arbitror tamen, hæc non dici consequenter; ego enim retorqueo argumentum contra illos? Dispositiones ad formam ignis sunt priùs naturâ, quàm corruptio dispositionum ligni, vt ipsi fatentur, & ex dictis in præcedenti Subsectione constat manifestè, quia illæ dispositiones sunt inter se immediatè contrariæ; inter contraria autem priùs est naturâ generatio nouæ, quàm corruptio antiquæ. Tunc vlteriùs: ergo & generatio formæ ignis est prior naturâ quàm corruptio formæ ligni. Probo euidenter consequentiam; quia ad introductionem caloris vt octo v. g. immediatè sequitur forma ignis in secundo signo: at corruptio formæ ligni sequitur in tertio signo, ergo tardiùs quàm productio. 40

Probo Minorem: nam post calorem vt octo, primò sequitur expulsio frigoris requisiti pro ligno, & post expulsionem frigoris sequitur in tertio signo expulsio ligni, ergo posteriùs ad productionem formæ ignis. Fateor tamen, lignum etiam expellendum, licet forma ignis non produceretur, dummodò producerentur dispositiones ad eam formam ignis: & ex hac parte posse dici, formam ignis non esse causam expulsionis formæ ligni, nec priùs naturâ; sed tamen non propterea deberet dici generatio ignis posterior naturâ, sed concomitanter solùm. Potest tamen adhuc dici priùs esse generationem, propter rationem à nobis datam, quia generatio immediatè sequitur ad dispositiones, corruptio autem sequitur mediatè, licet in alio ordine, habentque se quasi patruus & nepos respectu v. g. Petri, qui est parens vnius, & alterius auus, sed in diuersâ lineâ. 41

Tertia conclvsio. Forma opposita expellens aliam è passo, non est causa efficiens illius expulsionis. Et probatur: quia dupliciter potest aliquid dici causa efficiens expulsionis: vel quia ab ipso conseruabatur efficienter, re destructâ, & per cessationem influxus in illam eam corrumpit, quomodo Deus est causa efficiens destructionis omnium rerum. In hoc sensu certum est, formam introductam non esse causam efficientem expulsionis antiquæ, quia forma antiqua non conseruabatur efficienter à formâ nouâ illi contrariâ, & nondum existenti. Alio modo potest aliquid esse causa efficiens destructionis, quatenus scilicet producit efficienter aliquid incompossibile cum formâ expulsâ: quâ ratione ignis producens calorem efficienter in meâ manu, est causa efficiens expulsionis frigoris incompossibilis cum calore ab igne producto. Hoc autem modo etiam forma noua non potest esse causa efficiens expulsionis antiquæ: nam forma noua ipsa per se, & non ratione alicuius effectus ab ipsâ producti, est incompossibilis cum præcedenti, ideoque eam solùm expellit formaliter, quatenus, dum ipsa ponitur in subiecto propter contrarietatem cum præcedenti, cogit causam efficientem cessare à conseruatione præcedentis. 42

Obiicies: Eodem modo vna forma expellit aliam è subiecto, quo vnum corpus expellit aliud è loco; sed hæc expulsio est efficienter, ergo & illa. Respondeo, etiam in ipsis corporibus quoad locum, eodem modo discurrendum esse. Si enim v. g. lapis mouetur ab alio, & ponitur loco aëris, tunc lapis non efficienter sed formaliter expellit aliud corpus, id est, per vbicationem quam in se habet, non tamen productam à se. Si verò lapis se ipsum moueat, tunc quia efficienter producit suam vbicationem, expellet efficienter inde aliud corpus; vbicatio verò propria lapidis expellit formaliter aërem, quia hæc est quæ formaliter repugnat cum vbicatione aëris, sicut frigus cum calore. Potest etiam dici, vnum corpus semper, dum se mouet vel mouetur, producere impulsum in aliud corpus, qui impulsus est causa vt moueatur corpus expulsum; vnde semper expellit efficienter aliud corpus, forma autem non expellit producendo aliquid contrarium præcedenti, sed per se ipsam, quæ est præcedenti contraria. 43

Qvarta conclvsio. Causalitas, quâ forma expellit sibi contrariam, non est ipsa forma expulsa, nec expellens, quia saltem de potentiâ absolutâ possunt existere ambæ formæ, quin detur expulsio vnius propter aliam; causalitas autem nec de potentiâ absolutâ potest esse sine effectu. Et hinc etiam colligitur, neque expulsionem præcedentis esse causalitatem nouæ, quia potest de potentiâ absolutâ expulsio præcedentis fieri ratione alterius formæ diuersæ introductæ in subiectum, vel à solo Deo volente sine introductione alicuius formæ expellere antiquam; ergo sola expulsio antiquæ non est causalitas nouæ, quia (vt dixi) causalitas nec de potentiâ absolutâ potest esse sine causâ à quâ oritur: est ergo ea causalitas expulsionis antiquæ, actus voluntatis diuinæ, quo, attendendo ad contrarietatem nouæ cum præcedenti, & visâ existentiâ nouæ, vult cessare à conseruatione antiquæ. Et hic actus voluntatis nequit esse sine expulsione, quæ est effectus 44

fectus illius, & sine introductione formæ nouæ, quæ est causa.

SECTIO V.

De Causâ finali.

SVBSECTIO PRIMA.

Definitio & diuisio Finis.

45 FINIS in præsenti accipitur, iuxta Aristotelem, pro eo cuius gratiâ fit aliquid, vel propter quem aliquid fit: sicut sanitas est finis medicinæ, quia medicina propter sanitatem amatur.

Aduerte, voluntatem, quodcumque amat, vel amare propter se, vel propter aliud; id est, vel sistere in illo obiecto, vel illud ordinare ad aliud. Id in quo sistit, dicitur finis; quod verò ordinatur ad aliud, dicitur medium.

Aduerte deinde, posse idem obiectum esse simul & medium & finem, v.g. cùm quis amat potum, quia delectabilis, sub quâ ratione est finis; & quia vtilis ad sanitatem, sub quâ ratione est medium. Idem potest in aliis obiectis contingere: & ratio est, quia in eodem obiecto possunt coincidere, & bonitas honesta aut delectabilis, quæ constituit finem; & vtilis, quæ constituit media.

46 Finis diuiditur in *finem cui*, & in *finem qui*. Finis *cui* est persona cui amatur bonum: v.g. amo mihi sanitatem, ego sum finis *cui*, sanitas verò est finis *qui*, quia est bonum quod amo mihi. Vbi aduerte, finem *qui* amari amore concupiscentiæ, quia amatur alteri; finem autem *cui* amari amore amicitiæ, seu beneuolentiæ. Hic poterat esse dissidium cum Gabriele, vtrùm finis *qui* sit nécne propriè finis; negat enim Gabriel, posse dici propriè finem, quia non sistitur in illo, sed in personâ cui amatur: ideò enim amo sanitatem, quia amo me ipsum cui est bona sanitas, ergo vltimò sisto in me ipso, & non in sanitate, ergo sanitas non est propriè finis. Quæstio hæc solùm est de voce: certum enim est quod docet Gabriel, sanitatem amari propter personam cui est bona, & in hoc non potest esse dissidium de re; ceterùm ad
47 hoc vt dicatur finis *qui* ex communi acceptione vocis *finis*, solùm requiritur, vt res amata per se ipsam, & non per aliquid à se productum, sit bona personæ cui amatur; & in hoc differt à mediis, quæ non à seipsis, sed ratione alterius rei ab ipsis productæ sunt bona personæ amatæ.

Finis *qui* vlteriùs diuiditur in finem *qui strictum*, & in finem *quo*. Finis *qui strictus* dicitur res illa, quæ amatur alicui, vnio autem illius rei cum personâ cui amatur, dicitur finis *quo*: v.g. beatitudo seu visio Dei, est finis *qui* omnium nostrûm; vnio autem huius visionis cum intellectu, est finis *quo*, quia illa vnio est id quo possidetur ipsa visio, quæ est finis *qui*.

Deinde finis diuiditur in *vltimum*, & *non-vltimum*. Finis *vltimus* est ille in quo sistitur, v.g. sanitas est finis vltimus medicinæ, quia in eo sistit vltimò medicina. Finis *non-vltimus* propriè sunt media intermedia, v.g. scissio venæ, quæ est medium ad sanitatem, si comparetur cum aliis mediis ad ipsam prærequisitis, v.g. cum inquisitione & vocatione Chirurgi, potest etiam dici finis. Finis *non-vltimus* propriè non est finis, vnde à 48 nonnullis nullatenus finis dicitur. Sed quæstio est de solo nomine, & parui momenti.

Rogabis, vtrùm in mediis detur aliqua bonitas distincta à bonitate finis, an verò media præcisè dicantur bona per denominationem extrinsecam à finis bonitate. Respondeo, vtilitatem seu conducentiam ad finem esse intrinsecam ipsis mediis, neque illis prouenire à fine, sed à propriâ naturâ mediorum: neque enim scissio venæ constituitur vtilis ad sanitatem per ipsam sanitatem, sed id habet per se à propriâ naturâ. Ratio à priori est, quia ea vtilitas est quasi virtus causatiua eius effectus, seu finis: ostendi autem suprà, in causis virtutem causatiuam non constitui per ipsum effectum formaliter, sed per entitatem causæ, cum respectu tamen seu ordine ad effectum; ergo vtilitas mediorum non prouenit ab ipso fine formaliter, sed id habent ex se. Quòd autem hæc vtili- 49
tas & conducentia, quæ reperitur in medijs, dicatur bona, prouenit ex eo quòd finis sit bonus: nam conducentia seu vtilitas ad malum finem, non potest dici bona, nisi lato modo. ergo quòd vtilitas medij dicatur bona vel mala, prouenit ex eo, quòd eius finis sit bonus vel malus. Et in hoc sensu intelligendi sunt, qui dicunt, bonitatem vtilem prouenire mediis per extrinsecam denominationem à fine: nam si intelligantur non solùm de vtilitate in quantum bona, sed de illâ absolutè & simpliciter, omnino falsum est, eam prouenire mediis, per extrinsecam denominationem à fine, vt probatum est.

SVBSECTIO SECVNDA.

De ratione formali causatiuâ finis.

NON disputo, vtrùm finis sit verè causa, de 50
hoc enim infrà agetur; sed quæ sit ratio, quâ finis in actu primo siue impropriè siue propriè causat. Pro quo aduerte, voluntatem non posse ferri in incognitum, de quo in libris de Animâ. Et hinc nascitur ratio dubitandi, vtrùm scilicet ipsa cognitio finis sit quæ mouet voluntatem, an verò finis ipse terminans cognitionem.

Quæstio hæc, ni fallor, magnâ ex parte est de solo nomine: nam de re dubitari nequit, cùm quis amat sanitatem v.g. non amare cognitionem sanitatis, neque secare venam, aut sumere potionem amaram, propter cognitionem sanitatis, tum quia eam cognitionem iam habet de facto, tum quia ea media non sunt vtilia ad cognitionem sanitatis, tum quia ipsa cognitio sanitatis non proponitur reflexè voluntati, etiamsi cognoscat ipsũ finem; vnde ex cognitione præcisâ finis, non potest reflexè cognitionem amare; ergo quod amat 51
voluntas, quod illam delectat, quod eam allicit *vt quod*, non est cognitio finis, sed finis ipse, qui est obiectum cognitionis, siue finis ille sit quid reale, siue quid fictum, apprehensum tamen vt bonum: nam sicut intellectus potest cognoscere ea quæ non sunt, ita & voluntas ea potest amare, & ab illis allici intentionaliter media cognitione, non tamquam re amatâ aut alliciente, sed tamquam conditione quasi applicante illud obiectum voluntati. Hæc quæ sunt de re omnino videntur certa; de nomine autem potest esse difficultas, vtrùm cognitio dicenda sit ratio motiua,

an conditio, an causa formalis. Re intellectâ, voca illam vt volueris, dummodò non dicas, ipsam cognitionis bonitatem esse quæ mouet & allicit voluntatem ad amorem sui. Benè dixeris, si cognitionem tantùm vocaueris conditionem, non verò rationem formalem motiuam; est enim ea cognitio idem quod in causis physicis approximatio causæ ad passum, quæ pura est conditio.

52 Rogabis, vtrùm cognitio finis, licet non alliciat & attrahat voluntatem ad se, alliciat tamen & attrahat ad amorem finis quasi impellendo voluntatem vt amet, non quidem vt amet ipsam cognitionem, sed obiectum illius.

Nonnulli recentiores affirmant, Primò, quia finis propriè non impellit voluntatem, sed attrahit ad se (impulsus enim est pellendo *extra se*, attractio verò è contrario est *ad se*) ergo finis attrahet, & cognitio impellet ad finem. Sed hæc ratio valdè debilis est, & quæ præcisè innititur allegorico cuidam modo loquendi, quòd voluntas dicatur impelli ad finem, qui fortè non est in vsu, communiter enim solùm dicitur attrahi ad obiectum. Quòd si aliquando dicitur impelli, nihil aliud significatur, quàm extra se pelli voluntatem ad obiectum, siue per attractionem, siue
53 per impulsum. Malè autem hi dicunt, obiectum attrahere, non verò mouere voluntatem, quasi trahere ad se non fiat mouendo voluntatem; tam enim moueo eum quem ad me attraho sicut magnes ferrum, quàm eum quem à me expello: ergo adhuc ex hoc modo loquendi nihil inferri potest pro his. Adde è contrario, præmissæ dicuntur impellere intellectum ad assensum conclusionis, cùm tamen intellectus attrahat ad se obiectum, non verò pellatur ad illud; ergo ex his allegoriis nihil solidum deduci potest in Philosophiâ.

Secundò mouentur, quia si cognitio finis non esset causa impellens, sed pura conditio, non variaretur actus voluntatis circa finem, ex præcisâ variatione cognitionis, quod apertè falsum est: quò enim perfectiùs cognoscitur bonitas finis, eò magis attrahitur voluntas, vt in Beatis patet, qui ex clarâ Dei cognitione rapiuntur sine libertate ad amorem Dei. Confirmatur hæc doctrina exemplo præmissarum, quæ respectu conclusionis non se haberent vt pura conditio, sed etiam vt motiuum, ergo idem erit de cognitione finis.

54 Neque hoc argumentum vrget: falsum enim est, ex variatione conditionis non variari effectum. quò enim maior est approximatio in causis physicis, eò perfectiùs & intensiùs illæ operantur, approximatio autem pura est conditio. Sed licet id verum non esset in approximatione locali, quia consistit in contactu physico cum passo, qui si sit rigorosus, non potest esse maior & minor; adhuc sunt aliæ conditiones, vbi idem possum ostendere. Nam carentia contrarij non est causa operans, sed conditio pura: certum autem est, citiùs & intensiùs operari causas si passum inueniant sine contrario, quàm si cum illo; & in approximatione intentionali, quæ fit per intellectum, res est clarior. Cùm enim obiectum possit magis aut minùs proponi voluntati, inde fit vt ex eâ maiori cognitione, solùm tamquam ex meliori approximatione seu conditione, magis
55 obiectum ipsum attrahat. Et ostendo in hoc non loqui consequenter hos Auctores, ipsi enim meritò docent, id quod allicit, quod delectat voluntatem, nõ esse cognitionem, sed obiectum ipsum, propositum per cognitionem; ergo (ita infero contra illos) quod magis delectat & magis attrahit, non erit cognitio, sed obiectum ipsum magis propositum per intellectum.

Neque contra hoc potest nobis obiici, in nostrâ sententiâ omnes formalitates ex parte obiecti attingi per quamcumque cognitionem, ergo obiectum semper est idem, ergo maior vel minor attractio oritur solùm à maiori vel minori cognitione. Huic enim replicæ ego facilè respondeo, etiamsi ex parte obiecti verè nulla appareat noua vel maior bonitas, addo tamen, in ordine ad nos quasi apparere nouam bonitatem: sicut quando de aliquo cognosco esse rationale, quod anteà non poteram dignoscere, videor nouam formalitatem, nouum prædicatum cognoscere, quod anteà non noueram. neque ad hoc interest, an per præcisiones obiectiuas, an solùm per formales id fiat. Dico ergo, illa noua vel maior bo- 56
nitàs, quæ ex perfectiori & clariori cognitione videtur de nouo apparere in obiecto, illa est quæ de nouo magis attrahit, non autem ipsa cognitio eam proponens, sicut hi ipsi & nos respondemus eis, qui argumentantur contra nos hoc modo: Aliquando obiectum in se nullam habet bonitatem vel malitiam, ergo quod attrahit voluntatem, non est ipsum obiectum, sed cognitio; respondemus (inquam) illis, etiamsi obiectum nõ habeat in se veram, habere tamen apparentem bonitatem, illamque esse quæ mouet; cognitionem autem esse conditionem vt appareat bonitas illa. Ita similiter, licet in obiecto verè non sit noua bonitas, quæ per clariorem cognitionem proponatur; quia tamen apparet quasi noua & maior, illam dico esse quæ magis mouet, & aliquando etiam necessariò, vt in Beatis, vnde prima petebatur confirmatio.

Secunda confirmatio ex præmissis desumpta, eodem modo soluitur: dico enim, connexionem illam quæ ex parte obiecti apparet inter prædicatum & subiectum, necessitare vel inclinare intellectum ad assensum, præmissas autem se habere vt conditionem.

Hanc recentiorum sententiam, quam leuibus 57
niti fundamentis ostendi, reiiciunt aliqui, eò quòd per id constituitur finis causans in actu primo, per quod de facto causat in actu secundo: sed non causat propter cognitionem, quia media non amantur propter cognitionem, sed propter obiecti bonitatem, ergo cognitio non se habet vt causa, sed vt pura conditio. Hæc ratio non est contra Auctores prædictæ sententiæ, qui (vt suprà diximus) non volunt, cognitionem esse id, propter quod media eligimus, sed præcisè contendunt, eam impellere & inclinare voluntatem ad amorem finis, & quidem non efficienter, supponunt enim ipsi, cognitionem non concurrere efficienter ad amorem. Possunt ergo argumento respondere, finem dupliciter causare: vel tamquam id propter quod aliquid fit, & ad hoc cognitionem solùm esse conditionem; vel tamquam id quod inclinat & impellit voluntatem, idque prouenit à cognitione vt causâ formali.

Ego in hoc toto puncto Primò censeo, influ- 58
xum effectiuum non tribuendum cognitioni, in quo cum his conuenio, & de quo alibi. Secundò,

sine

sine inclinatione seu influxu formali ex parte ipsius cognitionis, posse difficultatem hanc intelligi, vt ex solutione argumentorum clarè ostensum est. Tertiò, posse probabiliter dici, cognitionem formaliter per se ipsam esse quasi quoddam pondus, quod voluntatem aliquo modo ad amorem propellat, ad modum quo de habitu voluntatis suo loco dicemus, illum in genere causæ formalis inclinare voluntatem. Ita tamen hæc dicta putes, vt præcipua attractio intentionalis ab ipso obiecto sit, vt dixi suprà. Neque video in hoc modo dicendi difficultatem aliquam, nisi fortè de voce, quam non adeò curo. Quomodo autem cognitio determinet voluntatem, fusiùs in libris de Animâ dicetur.

SECTIO VI.

De his quæ operantur propter finem.

HOMINES & Angelos operari propter finem, est extra controuersiam. De hominibus id suadet experientia, de Angelis paritas rationis. Est ergo difficultas de Deo, & de brutis, de quibus breuiter nonnihil dicemus.

SVBSECTIO PRIMA.

Deus operatur propter finem.

59 ET quod attinet ad Deum, Primò certum est, actus voluntatis ipsius Dei non fieri propter finem: quia cùm eiusmodi actus sint idem cum essentiâ diuinâ quæ nullo modo fit, neque ipsos fieri certum est; vnde neque à fine fient, ergo volitio diuina, prout se tenet ex parte Dei, non habet causam finalem, sicut neque eius cognitio habet causam obiectiuam.

Sed potest hinc insurgere difficultas, vtrùm scilicet, etsi volitio diuina non habeat propriè causam finalem, sicut cognitio illius non habet causam obiectiuam, nihilominùs tamen eius volitio habeat propriè finem, sicut eius cognitio propriè habet obiectum formale. Neque enim videtur esse idem finis & causa finalis, sicut non sunt idem obiectum & causa obiectiua: causa enim finalis videtur includere duo, & esse id quod amatur propter se, & efficere aliquo modo amorem sui; sicut causa obiectiua intellectus dicit esse id quod cognoscitur, & alterius efficere cognitionem; finis autem solùm dicitur esse id
60 quod vltimò amatur, sicut obiectum formale solùm dicitur esse id quod cognoscitur: Dei autem volitio, licet nullo modo causetur, ideoque non habeat causam finalem, verè tamen amat aliquod obiectum vltimò, ideoque videtur habere finem propriè. Fateor, si quis nomine *finis* præcisè intelligeret obiectum vltimò amatum, posset dicere, Deum habere propriè finem: verùm, quia in quæstione de nomine, standum est communi acceptioni, & Philosophi communiter cum Aristotele pro eodem vsurpant *finem* ac *causam finalem*, dicendum est, actus voluntatis diuinæ propriè non habere finem, quia nec causam finalem, etiamsi eius cognitio habeat obiectum. Disparitas est, quia ex communi acceptione distinguitur obiectum à causâ obiectiuâ, finis autem non distinguitur à causâ finali.

Circa effectus autem diuinæ voluntatis est ma- 61
ior difficultas: illi enim propriè videntur fieri propter finem, id est propter ipsum Deum, iuxta illud Ecclesiastici, *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* & iuxta illud Apocalypsis; *Ego sum α & ω, principium & finis.*

Nonnulli recentiores, quibus acquiesco, affirmant, propriè operationes Dei ad extra habere causam finalem: qui modus loquendi confirmatur ex phrasi communi Scripturæ, Patrum, & Theologorum, absolutè concedentium causam finalem effectibus diuinæ voluntatis, negantium eamdem ipsis actibus diuinis: quod etiam Hurtadus defendit Disp. 13. de Animâ, §. 22.

Obiicies tamen contra nos: Finis solùm est causa mediata respectu mediorum, respectu autem voluntatis est causa immediata; ergo si finis nullam habet vel exercet causalitatem circa voluntatem, non poterit exercere causalitatem circa media: sed nullus finis potest exercere causalitatem circa actus & voluntatem Dei, ergo nec poterit eam exercere circa opera, ab eâ voluntate causata; ergo neque ipsa opera Dei habebunt propriè causam finalem. Respondeo, de ratione 62
finis solùm esse, vt ob amorem illius aliquid fiat; ad quod non requiritur, vt ipse amor finis causetur à fine, sufficit enim si ab amore finis media causentur. Licet autem amor diuinus in se non causetur vllo modo, & consequenter amor ille non habeat propriè causam finalem, neq; finem, quod idem est (vt suprà dixi,) ob amorem tamen de Deo, & ab illo amore causantur verè creaturæ, vnde hæ propriè sunt propter finem amatum. Hinc nego obiectioni, necessariò requiri, vt aliquod medium sit propter finem, amorem de illo medio causari à fine; sufficit enim, si ille amor feratur in illum finem vltimò, ideoque etiam causet media. Idem dicendum est de ipsis effectibus creatis inter se, v.g. vocatio habet pro causâ finali conuersionem; ex amore enim conuersionis, Deus vocat hominem ad pœnitentiam, licet id fiat vnico actu, & qui (vt dixi) non causetur ab ipsâ conuersione, quæ hîc & nunc dicitur finis eius vocationis.

SVBSECTIO SECVNDA.

Quid de brutis.

GRAVIOR difficultas est circa bruta, an ea 63
operentur propter finem. In quâ quæstione communis sententia negat, ea operari vllo modo propter finem. Ratio autem, quæ etiam communiter affertur, est, quia vt operentur propter finem, deberent comparare finem cum mediis, & discernere inter bonum, vtile, & delectabile; quod non potest fieri, nisi per discursum vel actum iudicij: vterque autem repugnat brutis, ergo & operari propter finem.

Hanc difficultatem iubet diligentiùs examinare. Et quidem duo possunt hîc disputari: vnum de re, alterum de modo loquendi, quæ oportet distinguere. De re potest esse quæstio, an hirundo v.g. dum paleas colligit, aquâ lutoq; permiscet, aliquid cogitet de nido, vel de ouis excludendis in nido; an verò præcisè proponatur ei bonitas in eâ collectione palearum, sine aliâ tunc vlteriori cogitatione. hæc est quæstio de re. De

64 nomine autem erit, an, quia non faciunt reflexam comparationem, & per discursum mediorum cum fine, dicenda sint necne operari propter finem. Si prima quæstio benè explicetur, de secundâ, quæ ad modum loquendi spectat, non sum sollicitus.

Recentiores communiter docent, nullo modo bruta tunc operari propter finem, nec cognoscere aut appetere vtilitatem mediorum; sed hirundini primò proponi collectionem palearum secundùm se, vt bonum delectabile; collectis verò paleis, proponi commixtionem cum aquâ & terrâ; factâ verò commixtione, proponi volatum ad nidum, &c. & numquam vnum obiectum propter aliud appetere. Quod confirmat Hurtadus, quia bruta appetunt cibum quo sustentant vitam, & tamen nihil cogitant de vitæ sustentatione; idem ergo erit in aliis obiectis.

65 Hæc sententia & mihi olim placuit, quia eam putaui omnium esse, non quia à ratione in eâ non sentirem difficultatem: iam verò puto omnino dicendum, etiam bruta cognoscere (licet imperfectè) conuenientiam mediorum cum fine. Et quidem hæc est manifestissima sententia D. Thomæ, 1. Parte, quæst. 78. art. 4. vbi probat ex professo, animantia non solùm percipere præsentia, sed etiam absentia, propter quæ mouentur motu processiuo: & ex contrario infert tamquam absurdum, quòd animal non moueretur ad inquirendum aliquid absens; statimque addit, animantia non solùm appetere ea quæ sunt conuenientia sensui, sed alia propter alias vtilitates, & ponit exemplum in aue colligente paleas, his verbis: *Similiter auis colligit paleas, non quia delectet sensum, sed quia est vtilis ad nidificandum.*
66 Vnde concludit: *Necessarium ergo est animali quòd percipiat eiusmodi intentiones, quas non percipit sensus exterior.* & hinc infert necessitatem sensus alterius, quem vocat *vim æstimatiuam.* De mente ergo D. Thomæ dubitari in hac parte non licet. Eum ibi sequitur Caietanus.

Ratione verò hanc sententiam persuadere est difficile, agitur enim de actu existente in bruto, de quo nos nullam possumus habere experientiam. Et si quis dicat, Brutum non habet talem actum, non facilè poterit conuinci. Ceterùm si quis prudenter rem consideret, dicet sanè, Conclusionem nostram esse manifestissimam: & quidem non iam pono exemplum in hirundine paleas colligente, sed adhuc in re clariori. Quis enim, quando panem cani v. g. ostendo, & ille ad me accedit, quis, inquam, poterit sibi persua-
67 dere, quando canis vult se mouere, nihil cogitare tunc de pane, nec velle se mouere vt panem, quem intuetur, & quo viso incipit tripudiare, accipiat; sed præcisè tunc cogitare de motu, posteà verò, quando iam est approximatus pani, tunc primò proponi ei comestionem panis? Certè qui hoc dicat, poterit etiam eodem modo dicere, quod nonnulli alij somniarunt, animalia nihil appetere ex cognitione, nec habere actionem vllam ex attractione obiecti, sed præcisè tamquam lapides in centrum ferri in obiecta proposita, quod erroneum meritò à Suarez & ab omnibus iudicatur: posset, inquam, hoc eadem facilitate docere, quia tam videtur incredibile, canem non se mouere propter panem in præsenti casu, sed solum motum propter se appetere, quàm quòd nihil verè appetat. Idem est in innumeris aliis experientiis æquè manifestis, vt v. g. quando baculo illum à me repello, quis credet, illum non timere baculum, & propter illum vitandum fugere; sed solùm cogitare de fugâ? & quando 68 vocatus ascendit ad aliquem, quis dicet, eum non cogitare primò nisi de primo gradu, cùm autem iam est in primo, tunc cogitare de secundo? Imò neque de ascensu deberet cogitare, sed solùm de eleuando pede, & posteà de figendo, quæ omnia prorsus sunt incredibilia; ergo negari nequit, bruta aliquo modo cognoscere vtilitatem, & ab eâ moueri.

Neque erit iam difficile respondere his quæ pro contrariâ parte afferri possent. Ad illam instantiam de bruto comedente, & non propter conseruãdam sanitatem, præstò est solutio. Concedo enim, id ibi ita contingere; sed quid mirum, si etiam in nobis ferè semper ita res se habet? non enim comedimus, nisi quando famemus: tunc autem sola fames nos vrget, non motiuum conseruandæ vitæ, neque propterea in aliis rebus nos non operamur propter finem. Ita dico, 69 quando brutum famet vel sitit, benè video ego vnde moueatur ad comedendum vel bibendum, nec tunc debeo recurrere ad vtilitatem cognitam conseruandæ vitæ. At in aliis casibus, vt in exemplo à nobis posito de cane se mouente vt accipiat panem, quis dicet non aliter canem cogitare aut attrahi à pane, quando se mouet vt illum accipiat, quàm cogitet de conseruandâ vitâ quando comedit? Ergo in vno casu mouetur propter finem, etiamsi in alio non.

Neque ad hoc vllo modo requiritur, vel brutum discurrere, vel esse rationis capax: nam (vt benè D. Thomas eo loco vbi suprà subiunxit) ea comparatio vtilitatis & honestatis medij cum fine, &c. quæ in nobis fit cum discursu & rationis vsu, fit in brutis naturali instinctu, sine vllo discursu aut reflexâ comparatione; non tamen propterea negandum est, ab eis cognosci vtilitatem.

Dices: Per sensus non percipitur ea vtilitas, 70 ergo per discursum. Et hoc maiorem videtur habere difficultatem in aliis casibus, v. g. in hirundine quæ fortè numquam vidit nidum, nec vidit modum quo is fiat, vnde ergo proponitur ei constructio nidi, & palearum vtilitas, &c. ergo vel non debet operari propter vtilitatem, vel debet discurrere. Sed in primis hoc argumentum omnes premit: siue enim operetur propter vtilitatem, siue non, omnes concedunt quòd appetat hirundo paleas vt sibi conuenientes. Iam ergo rogo, quandoquidem non videt hirundo nisi colorem & figuram, paleæ, color autem & figura non habent eam conuenientiam, nec ad nidum nec cum hirundine, quomodo cognoscet conuenientiam paleæ cum se ipsâ? Certè conuenientia non est obiectum visus, alioquin & nos eam conuenientiam videremus. Idem est in oue fugiente lupum. quomodo enim cognoscit disconuenientiam, quandoquidem hæc non consistit in coloribus, vel saltem non est obiectum visus? Et hoc vrgeo manifestè, etiamsi maneat 71 idem obiectum, scilicet lupus, si ouis fuisset cum eo educata, & simul pacificè commorata, tunc non fugisset ouis lupum, & tamen idem prorsus vidisset in eo casu quod iam videt; ergo vel in vtroque

vtroque videt disconuenientiam, vel in neutro, vel ea disconuenientia non percipitur per sensus externos.

Propterea puto dicendum, etiam in brutis dari species, quas multi vocant *insensatas*, rerum quas per sensus formaliter non percipiunt: nego tamen, eas acquiri per discursum vllo modo, sed solùm illas produci in æstimatiuâ potentiâ, hîc & nunc sic dispositâ, adiutâ speciebus ipsis externis; sicut in omnium sententiâ in sensu interno bruti producuntur species de obiectis visis, ita etiam de eis insensatis, & per eas immediatè cognosci sine discursu vllo eam conuenientiam
72 vel disconuenientiam. Idem dico de vtilitate ad finem in exemplo à me suprà allato, de bruto accedente ad cibum visum, vel fugiente ab imminente baculo, &c. in hirundine etiam excitari speciem de nido, quæ excitaretur si eum vidisset, Deumque (vt ait D. Thomas) non defuisse, dando his animantibus tales species & cognitiones etiam de obiectis absentibus, & quæ à sensu non percipiuntur, quia necessariæ sunt vt animal & suam vitam tueatur, & propagationi suæ speciei attendat. Neque quia bruta sint, ideò nihil aliud debemus dicere ab eis cognosci, quàm colorem & qualitates, sonum, cibos, &c. habent enim itam & concupiscentiam, quæ proculdubiò supponunt cognitionem aliorum accidentium quàm quæ per sensum percipiuntur. Idem est de fame, &c. quæ non videtur percipi per vllum è quinque sensibus, quia nec est color, nec sonus, nec qualitas prima, nec odor, nec sapor. Idem in siti, &c. Idem, quando sentiunt dolorem, & volunt illum vitare.

73 Respondent huic vltimæ instantiæ de dolore nonnulli, bruta non cognoscere suum dolorem, sed obiectum dissonum, & illud velle vitare. Sed contrà, ergo fugam illius obiecti appetunt seu carentiam doloris, ergo illam noscunt: carentia autem non percipitur per sensus, per te; ergo habent aliquas species insensatas.

Secundò iidem dicunt, canem non velle dimittere lupum quem apprehendit, & quia delectatur sanguine, & quia timet dilaniationē ab eo. Vnde ego arguo: Ergo apprehendit dilaniationē; sed hæc non intrat per sensus, ergo aliquid, quod non intrat per sensus, percipitur à brutis, ergo potest etiam percipere vtilitatem medij cum fine.

Cetera agentia insensibilia nullatenus operantur propter finem: cùm enim careant cognitione & appetitione, non possunt vnum propter
74 aliud appetere aut ordinare. Quòd si aliquando dicimus, finem ignis disponentis passum, esse introductionem formæ ignis; id intelligendum est de fine impropriè, vel de fine in ordine ad auctorem naturæ, nempe Deum, qui potest eas dispositiones ordinare, vt ad finem propriè ad formam ignis, licet ipse ignis producens propriè non eas ordinet, quia caret cognitione & appetitione finis.

SECTIO VII.

De effectibus & causalitate finis.

PRIMÒ dubitatur, Vtrùm primus amor seu complacentia in fine, sit illius effectus. Negant nonnulli, quia terminare & mouere intentionaliter ad amorem sui, non est proprium finis, aliàs etiam bruta operarentur propter finem, quia etiam illa mouentur intentionaliter ad appetendum obiectum bonum, ex bonitate obiecti cognitâ per phantasiam. Hoc argumentum parum nos vrget, concedentes bruta operari propter finem. Confirmant suam sententiam, quia finis est cuius gratiâ aliquid fit, id est, ob cuius amorem aliquid fit; ergo quod fit à fine, non est illius amor, sed reliqua quæ fiunt medio illius amore. Hæc confirmatio statim dissoluetur.

Alij recentiores è contrario censent, etiam 75
eum primum amorem esse effectum finis, non quidem solum, sed simul cum voluntate mediorum: quare licet appetitus bruti causetur intentionaliter à bono cognito, non tamen dicitur esse propter finem, quia ex illo appetitu deberet rursus causari mediorum appetitus, quæ duo includuntur in causalitate finis.

Ad confirmationem de amore primo, respondent, verba illa, *cuius gratiâ*, posita in definitione finis, non sonare idem, ac *cuius amore*, sed, *ob cuius bonitatem aliquid fit*; cum quo primus amor finis, licet non fiat ob amorem finis, fiat tamen ob bonitatem finis, ideò absolutè dicitur fieri gratiâ finis. Quo respondetur cōfirmationi pro contrariâ sententiâ. Quæstio hæc ferè de vocibus, in quâ placet secundus modus loquendi, quem tenet Hurtadus & alij plures.

Secundò dubitatur, vtrùm electio mediorum, 76
& ipsa media, sint effectus finis. Ferè omnes affirmant: & ratio est aperta, quia in primis electio oritur ex amore finis, media autem oriuntur ex electione, ergo sunt effectus finis. In contrarium stant nonnulli arbitrantes, electionem non esse effectum finis, quia non amatur reflexè ipsa electio vt vtilis ad finem, sed medium electum per illam. Cùm enim quis vult medicinam propter sanitatem, non cogitat reflexè de ipsâ voluntate medicinæ, neque illam amat, sed præcisè medicinam ipsam, quam solùm apprehendit vt vtilem ad sanitatem; ergo sola medicina, non verò voluntas ipsius, erit effectus finis. De re non potest esse in præsenti dubitatio, certum enim est quod in hac obiectione docetur, scilicet ipsam electionem mediorum non amari reflexè propter finem, vel saltem id non esse necessum. Ceterùm 77
vt dicatur illa electio effectus finis, non videtur requiri vt ametur reflexè propter finem, sed vt causetur à fine mediâ intentione illius; quod rectè potest fieri, etsi reflexè non cognoscatur nec ametur ipsa electio. Imò potest ad hominem argui contra aduersarios, ideò negantes, proprium finem Deo, quia licet media propriè causentur à Deo, amor tamen finis & electio mediorum, quia sunt idem realiter cum ipso, non causantur à fine, ergo supponunt aduersarij, in aliis agentibus propter finem, à Deo distinctis, causari à fine & amorem de illo, & electionem mediorum: alioquin si hoc non requireretur ad rationem finis, malè ex solo defectu huius in Deo negarent proprium finem. Iam ergo supponunt, intentionem & electionem causari à fine, ergo sunt effectus illius, quia causari ab illo, & esse effectus illius, idem est.

Dices Primò: Electio non causatur ab inten- 78
tione finis, ergo electio non est effectus finis. Respondeo, electionem causari à voluntate determinatâ,

terminatâ, siue incitatâ per intentionem finis.

Sed hinc dices Secundò: Ergo etiam assensus conclusionis debet esse effectus obiecti præmissarum, quia fit ab illo obiecto cognito per præmissas, seu ab intellectu determinato per cognitionem obiecti præmissarum; ergo debet assignari quintum genus causalitatis respectu assensus conclusionis. Respondeo, & causam finalem, & obiectiuam respectu intellectus, solùm esse Metaphoricè causas, vnde in rigore neque quartum genus causæ deberet assignari. Quòd si causa finalis absolutè numerata est inter causas, obiectum verò intellectus, non ideò est, quia finis mediâ causalitate Metaphoricâ progreditur ad causationem propriam mediorum: at verò obiectum intellectus sistit præcisè in causatione impropriâ assensus conclusionis, qui etiam est actus intellectus; vnde non enumeratur inter causas, licet in rigore non minùs sit causa impropria assensus conclusionis obiectum præmissarum, quàm finis sit causa electionis mediorum, & è contrario.

79 Hinc inferes, etiam gaudium de fine obtento esse effectum finis, quia ideò quis gaudet de eâ possessione finis, quia illum intenderit: & licet gaudium non sit medium ad finem, non ideò excluditur à ratione effectus finis, vt proximè diximus de ipsâ electione mediorum.

Tertiò potest dubitari, vtrùm finis ipse executioni mandatus, sit effectus suiipsius prout intenti. Negant nonnulli, quia finis est *cuius gratiâ cetera fiunt*, iuxta Aristotelem; ergo propter finem non fit finis, quia hic non clauditur inter *cetera à fine*. In contrarium videtur stare communis modus loquendi, scilicet, finem in intentione esse causam suiipsius in executione, quatenus finis ipse amatus, est causa vt ponantur media, à quibus ipse finis physicè causatur. Neque huic sententiæ Aristoteles repugnat, qui cùm dixit, finem esse, *cuius gratiâ cetera fiunt*, non negauit fieri etiam ipsum finem: nec valet argumentum ab au-
80 ctoritate negatiuâ. Sed transeat, id negauerit Aristoteles: in contrarium stat, vt diximus, communis modus loquendi, qui in quæstionibus de voce, qualis hæc est, præponi debet vnius Doctoris auctoritati.

Explicatis effectibus finis, restat de eius causalitate disputare: circa quam Primò dubitatur, vtrùm sit vera & realis. P. Suarez Disputatione 23. sect. 1. absolutè docet, finem esse veram causam realem. Quod probat Primò ex communi consensu Philosophorum, loquentium de fine vt de verâ causâ, & reali. Deinde ratione, quia effectus tam per se pendet à fine, quàm ab efficienti, ergo finis tam est vera causa, quàm efficiens. Censeo, hac in re non posse esse quæstionem nisi de solo nomine. Nam si per causam veram & realem intelligatur causa physicè producens effectum, nec P. Suarez, nec prudens vllus affirmauit, finem esse veram causam & realem, quia res non existens, imò & aliquando impossibilis, non potest physicè aliquid producere, ergo neque esse causa vera & realis in hoc sensu.

81 Si autem per causam realem intelligatur causa mouens, non quidem physicè, sed intentionaliter, mediante cognitione; non dubium, finem, esse causam realem, quia realiter attrahit eius bonitas existens intentionaliter in animâ, mediâ cognitione, quæ cognitio realis est; vnde mediâ illâ realiter delectat bonitas finis (& hoc dicitur intentionaliter realiter mouere, & attrahere ad se) est ergo finis in hoc sensu vera causa, & realis. Hæc de re: de modo autem loquendi non est multùm curandum. Ego finem non vocarem absolutè & simpliciter causam, quia causa absolutè prolata supponitur pro producente physicè & realiter effectum, quod non conuenit fini.

Secundò potest quæri, in quo consistat finis causalitatis, quæcumque illa sit. Inprimis, si loquamur de causalitate finis respectu complacentiæ de illo, dicendum est, eam esse ipsam complacentiam circa finem, factam dependenter à cognitione finis: quod idem dicendum est de causalitate circa electionem & gaudium de possessione finis, scilicet horum causalitatem esse ipsam electionem & gaudium, vt facta ex amore finis.

Sed dices: Hæc eadem electio deambulatio- 82
nis, quæ modò causatur à fine sanitatis, potuit causari à fine recreationis v. g. ergo hæc electio non est causalitas finis sanitatis. Patet consequentia, quia causalitas non est indifferens ad hanc vel ad illam causam. Respondeo, eamdem electionem non posse iam respicere hunc finem, iam illum, quia (vt ostendam libris de Animâ) electio habet pro obiecto ipsum finem; nullus autem actus potest mutare obiectum, ad quod dicit respectum transscendentalem: vnde nego obiectioni Antecedens. Quia verò non amo rem terminis confundere, volo tibi explicare, quid sit illud, *prout facta dependenter à fine*, in quo dixi eam causalitatem consistere.

Dico ergo, hoc nihil esse aliud, quàm actionem ipsam physicam, quâ ea complacentia producitur, quæ per suammet essentiam dependet à propositione illius finis, id est ab illo fine cognito, siue hæc siue alia sit cognitio diuersa de eo fine: neque enim variatio cognitionis variat actionem, quia (vt suprà diximus) cognitio non est causa, sed ipse finis.

Si verò loquamur de causalitate finis circa me- 83
dia, dicendum est Primò, eam causalitatem non consistere neque in entitate finis, neque in eius intentione, quia hæc omnia possunt esse, quin mandentur executioni media: nulla autem causalitas potest, etiam de potentiâ absolutâ, esse sine suo effectu, ergo finis, & eius intentio, non sunt causalitas circa media. Secundò, neque etiam consistit hæc causalitas in electione mediorum, quia etiam potest manere electio voluntatis, quin de facto ponantur media: vel quia mutatur voluntas, vel quia impeditur ne exequatur media quæ intendit. Tertiò, non consistit eiusmodi causalitas in effectione exteriori mediorum, quia eadem actio exterior, v. g. deambulatio, potest fieri & ob hunc & ob illum finem: causalitas autem non est indifferens vt fiat ab hac vel illâ causâ. Hinc colliges, malè à nonnullis doceri, ipsam solâm actionem agentis esse causalitatem finis: ipsi enim docent, & meritò, causalitatem non posse esse sine causâ at hæc actio agentis, v. g. deambulatio, potest esse sine fine sanitatis propter alium finem, ergo ea actio physica sola non est causalitas finis.

Si verò dicas, eam actionem, vt fit ab inten- 84
dente finem, esse causalitatem, iàm includis ipsam inten-

intentionem in ratione causalitatis, quod tamen priùs negaueras. Dicendum ergo est, consistere eiusmodi causalitatem & in ipsâ actione exteriori mediorum, & in voluntate interiori eligente ea media propter talem finem; quæ duo nequeunt existere, etiam de potentiâ absolutâ, quin detur causalitas finis circa illa media. Est ergo illa causalitas denominatio sumpta ex intentione finis, ex electione mediorum, & ex ipsis mediis executioni mandatis.

85 Sed obiicies: Stante eâ intentione & electione mediorum, ipsâque eorum executione, potest simul poni altera voluntas eorum mediorum propter alium finem: tunc autem ibi non esset causalitas à primo fine, ergo causalitas illius finis non consistit in illis tribus suprà enumeratis, cùm possint ea manere sine causalitate. Respondeo, negando, in eo casu non esse causalitatem primi finis: quia etiamsi ponatur alius finis adæquatus, verè tamen media causantur propter primum finem, etsi non propter illum solum, quia (vt suprà diximus) rectè possunt dari simul duo fines adæquati, respectu eiusdem medij; est ergo in illo casu duplex causalitas, vna includit executionem mediorum, & primam intentionem finis, altera includit eamdem executionem mediorum, & secundam intentionem alterius finis: quare tunc illæ duæ causalitates solùm inadæquatè distinguerentur quâ parte dicerent, diuersas intentiones finis, quâ verò parte includerent ipsam productionem exteriorem mediorum, identificarentur etiam inter se.

86 Dices: Si duo hi fines amentur vnico actu, & ab eo imperetur ambulatio, tunc externa ambulatio erit eadem, fines in se erunt iidem, & tamen non erit duplex causalitas finalis, ergo duplex causalitas non consistit in eo quòd sint duo fines circa idem medium. Respondeo, propterea me dixisse, causalitatem etiam conflari ex ipsâ intentione vel electione; in isto autem casu iam non est nisi vnica intentio, & consequenter non sunt duo fines totales in actu secundo. quando verò sunt duæ electiones adæquatæ, tunc iam sunt duæ causalitates totales in actu secundo, etiamsi ipse effectus vnus sit.

Vrgebis: Ipse effectus est pars causalitatis, & hic vnus est, ergo causalitates non sunt duæ. Respondeo, non esse duas, quâ parte includunt ipsum effectum, esse tamen duas, quâ parte & finem & electionem includunt; ab his autem absolutè denominari causalitatem eam duplicem, quod ad modum loquendi præcisè pertinet.

SECTIO VIII.

De Causâ exemplari.

87 DE causâ exemplari seu ideali disputant ex professo Theologi 1. Parte, quæst. 15. & in Metaphysicâ P. Suarez Disputatione 25. per totam. Nos in præsenti nonnulla breuiter dicemus.

Aristoteles 7. Metaphys. cap 7. textu 32. sic definit exemplar: *Est illud, in quod artifex inspiciens operatur.* Ex quâ definitione constat, non dari exemplar nisi respectu operantium per cognitionem: nam quæ carent cognitione, nequeunt aspicere exemplar. Imò nec videtur sufficere quæcumque cognitio, sed requiritur intellectualis; bruta enim non operantur attendendo ad exemplar.

Sed contrà obiicies, simias aliquando attendere ad actiones humanas vt eas imitentur, ergo habent exemplar suarum operationum. Ideò respondeo, in talibus posse concedi quamdam imperfectam imitationem & rationem exemplaris, nisi dicas, ad hoc requiri vt fiat comparatio inter exemplar & opus, hancque non fieri à simiâ; ideò non esse ibi propriè rationem exemplaris. Sed in hoc multum est de quæstione de 88
nomine. puto tamen, eodem modo hîc discurrendum, sicut paulò antè de fine in eisdem brutis discurrimus, scilicet, non posse illis aliquam rationem exemplaris denegari modo dicto.

Duplex est exemplar, aliud *internum, externum* aliud. Hoc est, quod proponitur exteriùs alicui potentiæ cognoscitiuæ, vt ad imitationem ipsius artifex operetur, quale communiter habent pictores, statuarij, &c. & quale fuit propositum Moysi in monte, vt iuxta illud fabricaretur arca: *Inspice, & fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.* Exemplar internum est, quod soli intellectui obiicitur, & dici solet idea rei faciendæ.

Aduerte, de ratione vtriusque exemplaris esse, 89
vt non casu, sed ex intentione operantis effectus oriatur similis illi. vnde si casu quis depingeret, ad viuum, vultum Cæsaris, non esset Cæsar exemplar illius picturæ, quia defecit in artifice intentio eum exprimendi.

Rogabis, vtrùm requiratur ad rationem exemplaris, artificè imitari illud liberè. Affirmant nonnulli, alij verò negant. Quæstio est de nomine, coincidirque cum eâ quam Disputatione 1. Logicæ Sect. 4. Subsect. 2. tractauimus de scientiâ practicâ. Quod ibi diximus, hîc dictum puta, scilicet, non requiri libertatem in artifice. Pone enim, à Deo necessitari artificem ad operandum iuxta exemplar propositum, cùm tamen absente exemplari non posset operari; non dubium, quin in eo casu dirigeretur artifex ab eo exemplari, quod non se haberet tunc per accidens ad opus artificiosum, sed per se; ergo ad rationem exemplaris non requiritur libertas in artifice operante. Ratio est, quam in eo loco te- 90
tigi, quia potest exemplar dirigere, etiamsi eo posito non ampliùs maneat libertas ad non operandum, quia cum hoc constat, vt absente exemplari nihil possit artifex facere.

His positis dubitatur Primò, vtrùm cognitio ipsius exemplaris, v.g. cathedræ, fit id ad quod attendit artifex in suis operationibus, an verò cathedra ipsa, quæ est obiectum illius cognitionis. P. Suarez vbi suprà Sectione 1. docet, ipsam cognitionem esse exemplar; PP. verò Molina 1 Parte, quæst. 15. art. 1. Disput. 2. & Vasquez Disput. 71. cap. 2. docent, respectu artificis creati exemplar esse obiectum per cognitionem repræsentatum; respectu verò Dei, suam essentiam esse ideam & exemplar ad producendas creaturas. Placet hæc sententia P. Molinæ quoad pri- 91
mam partem de artifice creato, quam sic probo: quia rogatus artifex, quid velit exprimere & imitari, dum depingit imaginem, respondebit, se velle exprimere imaginem exteriorem, quam ante oculos habet, nec verbum faciet de cogni-

tione

tione exemplaris; tum quia fortè non reflectit se supra ipsam cognitionem, tum quia, licet reflectat, non tamen intendit assimilare picturam cognitioni, sed imagini cognitæ. Nec video in hac re posse esse controuersiam de re; videtur enim hæc quæstio coincidere cum eâ, quam de Fine tractaui, an cognitio an verò ipsum obiectum moueat. Vnde sicuti ibi dixi, non amari cognitionem finis, sed finem ipsum; ita hîc dico, artificem non velle imitari cognitionem cathedræ, sed cathedram cognitam. Quoad secundam verò partem, de Deo, displicet P. Molina, quia etiam Deus, cùm producit creaturas, non intendit eas producere instar suæ essentiæ vel cognitionis, sed instar creaturarum quas per suam cognitionem nouerat, ergo etiam exemplar Dei erunt creaturæ ipsæ cognitæ, quod amplius infrà confirmabitur.

92 Sed obijcies contra hanc secundam partem assertionis: Nihil potest esse causa sui ipsius; sed obiectum cognitum à Deo est idem quod de facto producitur, ergo illud non potest esse exemplar sui. Confirmatur: nihil fit ad imitationem sui ipsius, ergo nihil est exemplar sui. Respondeo, suprà ostendi, non esse impossibile, finem intentionaliter existentem in voluntate esse causam finalem, seu producere seipsum quoad existentiam physicam, quod idem dico de exemplari. Ad confirmationem respondeo, non esse de ratione exemplaris vt fiat opus ad imitationem rigorosam illius, ideoque Aristoteles definiuit exemplar esse id, *ad quod respiciens operatur artifex*, vbi ne verbum fecit de imitatione: rectè autem potest quis in productione physicâ alicuius rei inspicere ad ipsam rem cognitam in esse possibili, imò ita quotidie contingit, cùm artifex priùs mente concepit opus aliquod artificiosum, quod posteà vult de facto producere eo modo quo il-
93 lud apprehendit. quod idem contingit in Deo, qui etiamsi careret per impossibile cognitione reflexâ supra suam cognitionem de creaturis, dummodò cognosceret directè ipsas creaturas, adhuc posset eodem modo illas producere quo iam. Et ratio à priori est, quia Deus solùm eget cognitione illius rei quam producit; non autem producit cognitionem quam habet de creaturâ, sed creaturas, ergo solùm eget cognitione harum, non verò cognitione reflexâ supra propriam cognitionem, ergo cognitio reflexa de suâ scientiâ in Deo omnino se habet per accidens ad productionem creaturarum, ergo exemplar non est ipsa scientia, sed creaturæ ipsæ, quo confirmatur Conclusio suprà posita.

Dices Secundò: Etiam cognitio est repræsentatio obiecti, ergo etiam poterit fieri obiectum ad similitudinem cognitionis. Primò respondeo, cognitionem solùm esse repræsentationem intentionalem obiecti, quæ repræsentatio physicè loquendo exiguam valdè similitudinem habet cum re repræsentatâ: nam cognitio est quoddam accidens, etiamsi terminetur ad Deum; Deus au- 94
tem est substantia perfectissima & infinita, ergo cognitio exiguam conuenientiam dicit cum suo obiecto, ergo non sufficit, vt possit sortiri rationem exemplaris, quia in hoc requiritur magna conuenientia cum re factâ instar illius. Secundò respondeo, etiamsi cognitio possit esse aliquo modo exemplar propter aliquam similitudinem cum obiecto, adhuc tamen perfectiùs id posse præstari ab ipso obiecto, non est ergo recurrendum ad cognitionem illius.

Dices Tertiò: Deus non pendet à creaturis, ergo creaturæ non sunt exemplar & idea diuina. Sed do tibi creaturas non esse exemplar; rogo, an poterit Deus illas producere, nisi eas cognoscat. Pendet ergo in productione illarum ab illis cognitis, ergo ex hoc capite non est negandum, eas esse ideas diuinas.

Dices Quartò: A multis Patribus doceri, 95
Deum nihil extra se respicere, vt operetur. Respondeo, à Patribus solùm negari, Deum respicere extra se aliquas ideas realiter existentes, quales finxit Plato; non autem negari non posse, à Deo cognosci creaturas ipsas possibiles, quas Deus de facto producit, quod verum est, & ab omnibus necessariò dicendum, siue illæ sint ideæ siue non.

Secundò dubitatur, vtrùm exemplar sit vera causa, & in quo genere. Hæc quæstio facilè decidi-tur ex dictis suprà de Fine: sicut enim ibi ostendi, finem non posse esse causam physicam, sed solùm intentionalem, quatenus applicatur per cognitionem mouet voluntatem; ita similiter in præsenti dicendum est, exemplar non concurrere physicè, quia nec requirit existentiam physicam vt sit exemplar, neque si eam habeat est approximatum physicè cum opere artificioso. solùm ergo erit causa intentionalis, ad modum quo finis 96
respectu voluntatis; respectu autem operis exterioris, est causa mediata directiua, quia cognitio quę immediatè intentionaliter causatur ab exemplari, solùm concurrit directiuè, sicut suprà diximus de Arte.

Causalitas exemplaris non est solùm opus exterius artificiosum, quia hoc potest esse sine exemplaris causalitate, vt si efficeretur casu: deinde neque est sola cognitio exemplaris, quia hæc potuit esse, quin opus artificiosum fieret; est ergo ipsum opus exterius, coniunctum cum cognitione & directione exemplaris, ac volitione faciendi ad imitationem illius. quæ omnia simul sumpta non possunt separari à causalitate exemplaris, sicut in simili dixi de causalitate finis.

DISPV-

DISPVTATIO NONA.

De Causâ efficiente in communi, & de eius causalitate.

IN vltimum locum reiecimus causam efficientem, vtpote principaliorem, & ad quam ordinatur aliarum causarum cognitio, & de quâ ex professo longiùs erit disputandum.

SECTIO I.

Definitio & diuisio Causæ efficientis.

1 ARISTOTELES in præsenti capite 2. & 3. definiuit causam efficientem, scilicet esse, *vnde primum principium est mutationis aut quietis*. Hæc definitio non conuenit causæ creanti, quæ vt sic non est principium motus & quietis: item nec conuenit causis creatis, quæ non sunt prima principia.

Sed dices, non debere causam efficientem esse primum principium, sed id à quo est primum principium. Contrà, ergo solùm causa producens materiam & formam, erit causa efficiens, quia solùm materia & forma sunt prima principia mutationis, quare nullum accidens habebit causam efficientem, quod est falsissimum. Deinde, etiam materia respectu formæ materialis erit causa efficiens, quia est id vnde est forma, quæ est primum principium mutationis.

Alij verò eam sic definiunt: *Causa est quæ per se tribuit extrinsecè esse effectui*. Sed contrà, quia plures causæ efficientes non dant extrinsecè esse effectui, scilicet causæ immanenter operantes.

2 Nec potest responderi, eas causas non id habere ex conceptu causæ efficientis vt sic; non, inquam, hoc potest dici, quia siue ex conceptu causlæ efficientis vt sic, siue aliunde, verè illæ causæ non operantur extrinsecè: vnde illis non conuenit definitio. Sicuti etiam non potest definiri animal vt sic, esse *irrationale*, quia tunc non comprehenderet hominem, qui est animal rationale, licet nõ conueniat illi rationalitas ex conceptu animalis vt sic. Ratio à priori est, quia quando definitur aliquod genus de se indifferens ad duas species, nequit poni in definitione illius aliqua ex differentiis specificis: nam ratione illius iam ea definitio non est propria generis, sed speciei, & redditur repugnans alteri speciei; quod est contra rationem generis.

Vt ergo prædicta definitio omnes causas efficientes comprehendat, addendum illi est, *ex præciso conceptu efficientis*, per quæ verba etiam includuntur causæ immanentes, quæ ex præciso conceptu efficientis non operantur immanenter;

3 id enim habent ex eo quod simul sint causæ materiales. Quam definitionem in re tradit Hurtadus Disputatione 9. §. 2. verbis licet diuersis, quæ videntur habere aliquam difficultatem, ait enim: *Est principium per se influens in aliud præcisâ mutatione sui ex præcisâ ratione influxus*. hæc enim verba, *ex præcisâ ratione influxus*, etiam conueniunt causæ materiali, quæ ex præcisâ ratione influxus non immutatur. non ergo debet dici *ex præcisâ ratione influxus*, sed *ex præcisâ ratione causæ efficientis*, sicut à me dictum est.

Sed obiicies, hanc non esse rectam definitionem, quia non datur per positiuum, sed per negatiuum; sicut si quis definiret animal esse, quod ex conceptu suo non est rationale, sine dubio ineptè definiret animal. Fateor, definitionem eiusmodi non esse adeò perfectam, ac si daretur per positiuum; sed quia nobis non innotescit positiua differentia inter causam efficientem & materialem, ideò ea differentia præcisè explicatur per negationem, licet secundùm rationem communem causæ materiali & efficienti explicetur per positiuum, quo fit, vt illa definitio non detur omnino per negationem, sicut daretur illa, *animal est quod non est rationale*, quæ sine dubio esset vitiosa, vt in obiectione docetur. nec est nouum, multas species definire per negatiuum, sicut brutum, quod opponitur rationali, & commune est omnibus aliis animantibus, non definitur nisi per negatiuum. 4

Causa efficiens diuiditur Primò in *primam* & *secundam*: illa est Deus, hæc creatura. Secundò in *vniuocam* & *æquiuocam*. Vniuoca est, quæ producit effectum eiusdem rationis & speciei cum se ipsâ, vt ignis respectu alterius ignis. Æquiuoca est, quæ producit effectum specie diuersum à se, vt Deus respectu creaturarum, ignis respectu caloris. Tertiò in *vitalem* seu immanenter operantem, & in *non-vitalem* seu extrinsecam: illa est, quæ in se recipit suum effectum; hæc verò, quæ illum non recipit. Quartò in *liberam* & *necessariam*. Illa est, quæ, positis omnibus prærequisitis ad operandum, potest operari aut non operari, vt voluntas respectu actus amoris: hæc, quæ omnino determinata est ad operandum positis requisitis, vt ignis ad calefaciendum, sol ad illuminandum: de quibus nonnihil infrà, & in libris de Animâ fusiùs. Deinde in *instrumentalem* & *principalem*, de quibus Sectione 7. Tandem in *totalem* & *partialem*, de quibus Sectione 2. 5

SECTIO II.

De Causâ totali & partiali.

DIFFICVLTAS hæc nulla videtur esse: illa enim est causa totalis, quæ adæquatè concurrit; illa partialis, quæ inadæquatè & simul cum aliâ. Hæc ex terminis nota sunt: illud difficile, quod P. Vasquez, quem Hurtadus Disputatione 9. sect. 5. sequitur, docet de modo dignoscendi causam totalem & partialem alicuius effectus. Ait ergo Vasquez, quando omnes formalitates, quæ sunt in effectu, continentur formaliter vel eminenter in causâ, tunc eam esse adæquatam, nec tunc dari locum pro aliâ concausâ simul influente: v. g. effectus est ens, substantia, viuens, si causa sit ens, substantia, viuens, tunc est adæquata, nec relinquit locum pro aliâ concausâ, quia non remanet formalitas vlla quæ illi tri- 6

buatur. Hanc doctrinam sæpè repetit Vasquez, eamque absolutè etiam amplectuntur aliqui recentiores.

Hanc ego omnino puto, absolutè loquendo, falsam esse. Et quidem id Primò ostendo, quia Deus continet omnes formalitates & prædicata effectus creati, & tamen relinquit locum causis creatis, ergo falsum est, causam continentem omnes formalitates effectus, non relinquere locum alterius consortio. Respondet P. Hurtadus,
7 Deum concurrere liberè, & posse attemperare suum concursum, quod non habent causæ creatæ. Sed contrà manifestè, illam attemperationem, quam Deus habet ex libertate, cur non poterunt habere ex naturâ suâ & necessitate causæ aliquæ creatæ? id est, vt, licet sint æqualis perfectionis cum effectu, non possint tamen nisi partialiter concurrere, & in hoc differant à Deo, qui & totaliter & partialiter pro libitu potest? Secundò idem ostendo in ipsis causis creatis: licet enim ignis v.g. sit æqualis perfectionis cum altero igne, & nulla sit formalitas quæ in igne non contineatur, relinquit tamen locum pro Deo, ergo.

Dices fortè, Deo tribui rationem entis. Contrà, hæc tribui potest & igni, qui etiam est ens, ut alius ignis.

8 Dices: Ex eò quòd ignis sit creatura, debet a Deo pendere. Contrà, perfectissimè erit creatura, etsi mediatè solùm à Deo causetur.

Dices, ibi requiri concursum Dei propter alias rationes. Benè, hoc libentissimè admitto, sed hinc ostendo, tuum principium malum esse vniuersaliter loquendo: nam licet sint omnes formalitates effectus in vnâ causâ, poterunt esse aliquæ rationes, quare aliæ causæ requirantur, sicut sunt vt requiratur Deus in exemplo posito.

Tertiò idem ostendo: tam intellectus continet formalitates intellectionis, quàm voluntas volitionis; sed propter hanc continentiam, per te voluntas sola efficit volitionem, sine concursu habitus naturalis, ergo etiam intellectus efficiet intellectionem sine concursu effectiuo speciei impressæ. Respondent aliqui, speciem non posse aliter determinare intellectum, nisi concurrendo efficienter, quia non est propositio formalis. Sed
9 contrà Primò, quia etiam habitus voluntatis non est cognitio aut propositio formalis obiecti, & tamen in illorum sententiâ non solùm determinat, sed & inclinat sine causalitate efficienti; cur idem non præstabit species impressa? Contrà Secundò, ergo non obstante illorum principio de continentiâ omnium formalitatum, inuenitur ratio cur possit influere species impressa, ergo illa ratio vniuersaliter loquendo non est vera, quod ego contendo. Contrà Tertiò, quia si semel ex continentiâ omnium formalitatum, supponunt intellectum esse causam adæquatam, non est cur defatigentur, vt faciant locum speciei impressæ; non enim debet quæri locus pro causâ, nisi quando aliæ non sufficiunt, nec debet dici, *aliæ non sufficiunt, vt hæc possit habere locum.*

10 Tertiò, in causis æquiuocis est valdè difficile ostendere, quomodo contineantur omnes formalitates. Quod enim aliqui dicunt, absolutè causam perfectiorem continere omnes formales effectus, est falsum. Homo enim & bruta in sententiâ ipsorum sunt absolutè & simpliciter perfectiora quàm sol, & tamen homo non continet virtualiter vim illuminatiuam, vt posset esse causa adæquata solis, nec eamdem vim illuminandi & calefaciendi continet vermiculus, qui est sole perfectior. Imò etiamsi sol sit absolutè loquendo perfectior quàm planta (vt ipsi docent) non tamen continet vitalitatem plantæ; ergo non sufficit sol ad productionem plantæ, quod tamen ipsi negant: sicut habitus supernaturalis, licet sit perfectior quàm actus, quia non continet vitalitatem actus, non sufficit solus ad eum actum. Nec possum percipere, quomodo propter vitalitatem actus requiratur vitalis voluntas cum habitu, & propter vitalitatem plantæ non requiratur simul cum sole, quantumcumque perfectiori, principium vitale.

Dices: Quia sol continet adæquatè virtualiter 11
vitalitatem. Sed contrà: quia si de continentiâ virtuali, id est de vi productiuâ loquaris, petis manifestè principium, de hoc enim est tota quæstio; & similiter ego dicam, etiam virtualiter habitum supernaturalem continere adæquatè vitalitatem, eò quòd sit perfectior. Vel assigna mihi differentiam, sed sit sine petitione principij. Si autem loquaris de continentiâ in esse entis, ex quâ inferimus continentiam in esse causæ, falsum est Antecedens, quia sol tam non est vitalis, quàm habitus supernaturalis non est vitalis. Ratio à priori euidentissima huius Conclusionis est, quia potest esse vna res perfectior alterâ absolutè loquendo, etiamsi multa alia prædicata illius, quæ excedit, non contineantur in excedente, sed potiùs in eis inferior excedat secundùm quid; ergo tunc ea res perfectior non potest esse causa adæquata alterius, quia ad hoc non sufficit vt conti- 12
neat aliquod prædicatum quo illam excedat, sed oportet vt etiam contineat alia prædicata, quia nihil dat quod non habet; sicut licet adamas sit auro perfectior, non ideò continet prædicata omnia auri, vt possit ea adæquatè producere.

Tandem idem ostenditur in causâ materiali, quæ verè influit, iuxta horum Auctorum sententiam, & tamen, quæ est formalitas in calore quæ calori non tribuatur, sed debeat respondere subiecto? Ideò in hac re Primò dicendum puto, quod & sæpè alibi insinuaui, sicut possunt esse aliqua entia æqualia omnino aliis in perfectione, quæ tamen nullo modo sint nec partialiter operatiua alterius (sic adamas non est vllo modo alterius adamantis productiuus, sic nec aurum auri, nec ferrum ferri, nec lignum ligni,) alia verò esse, quæ adæquatam habent virtutem (sicut calor re- 13
spectu caloris, frigus respectu frigoris:) ita nunc dico, me nullam nec apparentem posse assignare repugnantiam in eo quòd sit vna causa secunda, quæ licet omnes formalitates effectus contineat, non tamen sit tam sterilis sicut adamas, nec tam potens sicut calor respectu caloris, sed possit inadæquatè & partialiter simul cum aliâ concausâ producere effectum sibi vel omnino similem, vel imperfectiorem multò. Certè hoc, explicatis terminis, videtur euidentissimum.

Dices fortè: Virtus actiua est idem realiter cum entitate, ergo si entitas est æqualis, & virtus actiua est æqualis. Sed retorqueo argumentum: Ergo omnis res æqualis alteri, in perfectione habet etiam æqualem virtutem illam producendi. Sic calamus producet calamum, & lignum lignũ, & Angelus Angelum, & ignis ignem, etiam sine

Dei

Dei concursu, quia hæc omnia sunt æqualia alteri extremo, & habent virtutem aliquid producendi; ergo habent virtutem æqualem, ergo ad-
14 æquatam. Respondeo, essentiam & virtutem actiuam esse idem realiter, inde autem quid infertur? ergo sicut essentia in essendo est æqualis, ita virtus actiua in essendo erit æqualis: retentis enim iisdem terminis, quidquid prædicatur de essentiâ, prædicatur de virtute illi idemtificatâ: at sicuti non potest dici, *essentia est sola potens efficere*, ita nec potest dici, *virtus est sola potens producere*. nec confundendi sunt termini, *æqualis illi in perfectione*, & *potens illam adæquate producere*. Vel si vis alios terminos clariores, quibus hanc æquiuocationem depellas, dic, *essentia huius est æqualis illi essentiæ, ergo virtus huius est æqualis virtuti illius*. Bona consequentia, transeat; hinc autem solùm infertur, tam actiuâ esse vnam quàm alteram. at inde quomodo infertur, quamlibet adæquatè posse alteram producere? longè enim aliud est, *sum illi æqualis in virtute operandi*, & longè aliud, *possum illum adæquatè producere*: homo enim est æqualis homini in virtute operandi, non potest tamen adæquatè illum producere; & duo Angeli sunt sibi æquales in virtute operandi, non tamen inuicem se non solùm adæquatè, sed nec inadæquatè possunt producere.

15 Secundò dicendum puto, absolutè loquendo posse esse aliquam causam, in quâ nullam in genere entis reperiamus formalitatem, quæ in effectu ei specialiter respondeat, & tamen ad illum possit concurrere saltem partialiter. Probo à simili ex specie impressâ, vbi illimet Philosophi nullam inueniunt talem formalitatem; solùm enim admittunt concursum illius, quia non vident modum quomodo possit concurrere formaliter. Si enim reperirent formalitatem quæ illi responderet, etiamsi formaliter posset concurrere, tenerentur tamen iuxta sua principia dare locum speciei in concursu efficienti: ergo si de facto dant, eò quòd aliter non potest concurrere, dant illi concursum sine vllâ formalitate? respondente, quod contendo. Secundò id probo ratione, quia causæ possunt ex aliis capitibus requiri quàm ex formalitatibus, sicut requiruntur conditiones, & alia multa.

16 Tertiò tandem dico, licet hoc absolutè ita verum sit; quando tamen non videmus specialem aliquam necessitatem, & experientia videtur docere aliquam rem influere in aliam, debere nos dicere, si sit omnino æqualis, eam concurrere totaliter, & non debere illi limitare concursum. In hoc acquiesco illorum Doctorum sententiæ, & hoc modo de facto damus regulam fixam ad dignoscendam causam totalem, de quo ipsi valdè videbantur esse solliciti. Ratio huius est, quia licet res æqualis perfectionis cum effectu & operatione illius, possit ex occultâ nobis ratione aliquando indigere concursu alterius concausæ, quando tamen de illâ occultâ & speciali indigentiâ nobis non constat, non debemus illi virtutem limitare. Sic ergo dico, frigus adæquatè producit
17 frigus, & calor calorem, & forma ignis aliam formam: at in Deo respectu creaturarum, & in aliis rebus, vbi concausas alias requirimus, licet id non proueniat ex diuersis formalitatibus, quia verò habemus alias rationes particulares virgentes ad admittendum talem concursum, ideò illum admittimus; vbi autem hæ rationes cessant, adæquatus influxus tribuitur causæ continenti omnes formalitates effectus; & hoc modo consequenter in omnibus materiis, vbi de hac re aliquid agetur, Deo duce, discurremus.

SECTIO III.

Vtrùm causalitas Causæ efficientis distinguatur à causâ & effectu.

CAVSAM efficientem habere etiam suam causalitatem, est certo certius ex dictis de aliis Causis: vtrùm autem ea distinguatur ab ipsâ causâ & effectu, in præsenti explanandum est.

SVBSECTIO PRIMA.

Distinguitur.

NOMINALES communiter negant distinctionem actionis, seu causalitatis efficientis ab ipso effectu producto: idemque tenentur negare consequenter, quotquot negant distinctionem vnionis à materiâ & formâ; eadem enim est vtrobique ratio. Ideoque contra illos in hac Subsectione statuo PRIMAM CONCLVSIONEM. Causa- 18
litas causæ creatæ distinguitur à causâ & effectu, quando hic non pendet essentialiter ab eâ causâ. Hæc probanda est eodem argumento, quo suprà distinctionem vnionis ostendimus. Priùs tamen aduerto, malè à nonnullis hanc nostram sententiam inde suaderi, quòd actio, quâ hodie conseruatur creatura, potuit separari ab hesternâ, eò quòd potuerit hodie perire res, quæ heri exstitit; ergo hæ actiones, & inter se, & ab effectu distinguuntur. Aduerto, inquam, argumentum hoc nullum esse: eo enim etiam probaretur, essentiam hodiernam distinctam esse ab hesternâ, potuit enim esse hesterna essentia sine hodiernâ. Respondeo ergo, eo solùm probari, durationem actionis esse distinctam: eadem enim actio est heri & hodie, licet durare hodie sit ab eâ separabile, de quo infrà Libro quarto.

Reiecto ergo hoc argumento, sic Conclusio- 19
nem probo. Potest esse in rerum naturâ hæc causa, & hic numero effectus, quin hæc producat illum, & ille producatur ab hac; ergo hoc, quod est hunc effectum produci ab hac causâ, aliquid est distinctum ab illâ, & ab effectu etiam simul sumptis. Consequentia est euidens. Antecedens probatur, quia ignis A. qui in primo instanti producit ignem B. in secundo instanti non illum producit, tunc enim ignis B. conseruatur à solo Deo, & tamen in secundo instanti manet in rerum naturâ & ignis A. & B. ergo potest ab vtroque separari hoc, quod est vnum produci ab alio. Præterea hic numero homo, qui de facto à Ioanne productus est, potuit vel naturaliter vel miraculosè ab altero homine produci; ergo hoc quod est actu produci ab hac causâ, aliquid est distinctum ab illâ & effectu simul sumptis.

Respondebis Primò: Etiam ipsa actio est effectus causæ, & tamen producitur per seipsam sine aliâ actione intermediâ, ergo etiam effectus poterit produci seipso sine actione distinctâ. Hanc solutionem quære Disputatione IV. à nu-

mero 39. in simili, dum de vnione disputaui, quam & nunc reiicio: nam ideò actio non producitur per aliam distinctam, quia ipsa de se essentialiter pendet ab hac numero causâ, ita vt nec de potentiâ absolutâ possit esse, quin producatur ab eâ numero; non ergo mirum, si actualis productio eius actionis sit indistincta ab ipsâ actione: effectus tamen, v. g. ignis, non pendet necessariò ab hac numero causâ, cùm (vt vidimus) possit ab alterâ produci, ergo hoc, quod est actu produci ab hac, aliquid est separabile ab ipsâ, & effectu, ac consequenter erit aliquid distinctum, non ergo rectè solutio petitur ab actione ad effectum.

20 Respondebis Secundò, eam actionem consistere in eo, quòd hic effectus dependeat ab hac causâ, seu recipiat ab illâ suum esse. Sed contrà, quia effectum pendere ab hac causâ, & recipere ab illâ suum esse, est aliquid separabile ab vtroque, ergo actio est aliquid ab vtroque distinctum. Reuoca in memoriam consilium, quod suprà Disputatione IV. à num. 5. dedi, dum agerem de vnione, & omnes terminos, quibus se muniunt hi, simul accipe & sic argue. Hæc omnia possunt separari à causâ & effectu, ergo sunt quid ab illâ distinctum, &c.

Fortè Tertiò respondebunt, actionem consistere in eo, quòd effectus non procedat ab alterâ causâ. Sed contrà Primò, quia ego non procedo ab aliâ causâ per hoc formaliter, quòd non procedam ab aliâ, hoc enim est quid negatiuum, sed per positiuam emanationem ab hac, vnde oritur naturaliter, vt non procedam ab aliâ, quia à duabus totalibus vel vnâ totali, & aliâ partiali, non possum naturaliter procedere; ergo me non procedere ab aliâ, non est idem formaliter, ac procedere ab hac, sed potiùs est quasi effectus secutus ex eo, quòd procedo ab hac. Contrà Secundò, quia rogo, Quid est produci ab aliâ? videtur enim etiam esse negatio negationis, quod est Chimæricum. Me vide infrà Disputatione XIV. à num. 9. Contrà tandem, quia potest effectus saltem diuinitus ab illis duabus causis oriri; tunc autem non erit ea negatio, quòd scilicet non procedat ab aliâ, & tamen manet vera processio ab hac, ergo processio non consistit in tali negatione.

21 Quartò respondebis argumento numero 18. actionem consistere in causâ ipsâ dispositâ in actu primo ad operandum; hoc enim dato, impossibile est, effectum non emanare ab eâ causâ. Quòd si vrgeatur ampliùs, Causa applicata nihil est nisi omnipotentia Dei, & entitas solis v. g. quâ possunt ambæ manere in rerum naturâ, etiamsi effectus non procedat ab hac causâ, ergo procedere de facto aliquid est ab eis distinctum. Si hoc, inquam, obiiciatur, respondebis adhuc, requiri etiam speciale Dei decretum hoc vel illo modo applicans causam; eo autem decreto posito, non posse non procedere effectum. Si enim Deus suam omnipotentiam applicat pro concursu inadæquato, tunc eo ipso lux procedit à sole, & ab omnipotentiâ Dei; si verò Deus illam applicat pro concursu adæquato, necessariò orietur à solo Deo. Hæc nonnulli, quæ parum videntur considerata.

Reiicio ergo euidenter hos Auctores, quia ipsis terminis videntur sibi contradicere. Rogo enim, Quid est ille influxus inadæquatus, pro quo Deus vult suam applicare omnipotentiam? Non 22
est ipse effectus, hic enim idem manet semper; non ipsa omnipotentia, quæ etiam est semper eadem; non actio distincta, quia eam non admittis. quid ergo est ille influxus inadæquatus, quem habet pro obiecto voluntas Dei? Nec putes, me iam hic esse sollicitum quid sit ipse actus Dei, hoc enim benè video esse difficultatem omni materiæ communem: solùm ergo iam quæro, quod sit eius voluntatis obiectum; hoc autem impossibile est à te assignari.

Confirmo & explico Primò, quando Deus dicit, *volo vt non concurrat sol ad hanc lucem*, rogo quid aufert Deus à sole? non ipsam lucem, hæc enim manet sicut anteà; non aliquid in ipso sole existens, hæc enim omnia manent intacta; non actionem intermediam quæ à sole oriretur, hæc enim à te negatur. qualis ergo illa est voluntas quæ dicit, *volo sol hoc habeat*, & tamen nihil planè neque extrinsecum neque intrinsecum ab illo aufert?

Confirmo Secundò. Demus hic duos ignes, quorum quilibet posset simul cum Deo producere alium: producit ergo Deus cum igne, posteà dicit, *nolo vt ignis A. producat mecum, sed vt id præstet ignis B.* in hoc casu non potest recurri ad 23
inadæquatum concursum ex parte Dei; siue enim ignis A. siue ignis B. concurrat, semper Deus concurrit inadæquatè. quid ergo vult, dum aufert concursum vnius, & dat alteri? quandoquidem ex parte ipsarum causarum & effectus omnia manent eodem modo sicut anteà, & ex parte Dei semper est applicata omnipotentia pro inadæquato influxu, Deus enim eodem modo concurrit, siue hic siue alter ignis influat cum ipso; ergo tunc nihil est planè quod Deus posset velle, ergo applicatio semper manet eadem, & tamen in vno casu procedit ab vnâ, in altero ab alterâ; ergo procedere ab hac numero potiùs quàm ab illâ, est aliquid superadditum, modus scilicet actionis distinctus, quem nos ponimus.

Dices fortè adhuc, in nostrâ sententiâ esse eamdem difficultatem, quia etiam ante actionem debet Deus velle vnam causam esse paratam, alteram non, quod ergo obiectum illius voluntatis est? Respondeo, à me clarissimè assignari, dum enim Deus vult, vt effectus procedat ab hac, & per hanc numero actionem, quæ ex se pendet ab hac causâ, & non ab illâ, vult Deus hanc causam esse in actu primo paratam, non verò illam, ibi autem do ego diuersa obiecta, diuersas scilicet actiones.

Secundò principaliter oppugnatur solutio suprà posita: quia quando diuinitus à duabus causis totalibus producitur effectus, vt fatentur hi posse fieri, non est vllo modo excogitabile, quid sit illud quod additur secundæ causæ, ratione cuius ab eâ de facto actu procedat, nisi assignetur modus distinctus actionis, vt in impugnatione tertiæ responsionis ostendi. Constat ergo, actionem, quâ effectus ab aliâ causâ creatâ producitur, esse modum aliquem positiuum ab vtroque distinctum.

SVB-

SVBSECTIO SECVNDA.

An etiam distinguatur actio, quâ creatura procedit à Deo.

24 POSSET fortè aliquis dicere: Licet actio, quâ ignis producitur ab alterâ causâ creatâ, sit distincta ab ipso igne, eò quòd potuerit ab illo abesse, actionem tamen, quâ producitur à Deo, non esse distinctam ab ipso igne, quandoquidem repugnat, ignem existere in rerum naturâ, & non produci à Deo. Propter hoc argumentum recentiores nonnulli docuêre, Deum & creaturam operari distinctis actionibus, Deumque non operari actione distinctâ ab ipso effectu, sic verò creaturam. Quæ sententia nunc examinanda est.

Primò eam nonnulli reiiciunt, quia ex illâ sequeretur, causam secundam agere priùs quàm primam, quod est absurdum. Sequela probatur, quia Deus agit per ipsum effectum, creatura autem agit per actionem, quæ eo ipso est prior effectu, ergo priùs agit creatura quàm Deus. Hæc tamen ratio non vrget, quia (vt ostendimus suprà) actio non est prior *in quo* respectu effectus, sed solùm *à quo*. Vnde non, quia creatura operetur per actionem, Deus verò per effectum, sequitur creaturam operari priùs quàm Deum, si loquamur de prioritate *in quo*: neque item sequitur, creaturam priùs *à quo* operari quàm Deum. Licet enim actio Dei, prout est idem cum effectu, sit posterior *à quo* actione creaturæ, procedit tamen etiam à Deo per se ipsam, licet per illam formaliter non progrediatur Deus ad effectum. vnde fit, vt nullo modo priùs operetur creatura quàm Deus, quia illammet actionem creaturæ simul Deus & creatura producunt.

Secundò potest impugnari eadem opinio ex communi axiomate, *Actionis non datur actio*. Ergo si effectus est actio Dei, non potest esse alia actio distincta, etiam creaturæ, per quam ille ef-
25 fectus & actio Dei producatur. Neque hoc argumentum vrget aduersarios, quia facilè negabunt prædictum axioma: nec videtur esse vllum absurdum in eo, quòd actio vnius causæ sit terminus alterius, sicut suprà diximus, dum de distinctione actionis à passione sermo esset.

Sed vrgebis: Nullâ aliâ ratione causa producit effectum, nisi producendo actionem illius, ergo repugnat, actionem alicuius causæ esse terminum alterius; eò enim ipso quòd ea actio producatur ab aliquâ causâ, debet mediâ illâ produci effectus ab eadem causâ. Nihilominùs posset responderi, effectum produci à causâ, non esse præcisè produci actionem illius, sed vlteriùs includere etiam quòd ipse effectus producatur. Nam quando producitur effectus, duo producuntur, & actio, & ipsa entitas effectus; hæc vt terminus, illa vt via. Posset ergo quis dicere, eam actionem, quæ est via vnius causæ ad effectum, esse respectu alterius causæ purum terminum, in quo illa causa sistat. Neque videtur repugnare, vt eadem res sit via respectu vnius, & terminus respectu alterius; idque habeat ex naturâ suâ illa actio, quæ distincta fuerit ab entitate effectus. Vnde non videtur formalis consequentia, *producit hæc causa hanc actionem, ergo per eam producit terminum eius actionis*; nam terminus & actio realiter distinguuntur. vnde poterit ab aliquâ causâ sola actio, ab aliâ verò actio & terminus produci.

Dices, à me hanc consequentiam aliquando factam ad probandum, terminum productum non posse causare suam actionem, quia scilicet inde sequeretur, eum causare seipsum: non enim aliter causa producit effectum, nisi producendo seu causando actionem in illum, quod iam videor in præsenti negare. Respondeo Primò, in eo casu esse repugnantiam, eò quòd nihil possit esse priùs actione quâ producitur, quod sequeretur, si esset causa suæ actionis: at in præsenti non sequitur talis repugnantia. Secundò ego ibi argumentor contra illos qui hanc distinctionem, quam ego hîc trado, non admittunt, vnde benè argumentor sequi tale absurdum. Tandem 26
addo, etiamsi vtcumque posset quis per solutionem numero præcedenti datam euadere, absolutè tamen probabilius esse, actionem non posse produci vt terminum in quo sistatur; vnde ego simpliciter non admitto, actionem creaturæ posse esse terminum respectu Dei. Sed insinuaui, quid posset vtcumque responderi argumento suprà facto. Vide quæ dixi agens de distinctione actionis à passione, vbi de simili argumento dixi, etiamsi non sit euidens, esse tamen valdè probabile.

Tertiò posset prædicta opinio impugnari, quia ex eâ videtur sequi, à Deo prædeterminari causam secundam ad operandum, quod falsum esse, breuiter insinuabo Disputatione x. Sectione 3. Sequela probatur, quia actio Dei infert actionem creaturæ, ergo hæc determinatur ab illâ. Rursus, actio Dei est prior naturâ, ergo prædeterminat actionem creaturæ. Consequentia est bona. Antecedens probo, quia actio creaturæ producitur à Deo per aliam actionem distinctam, & consequenter actio creaturæ debet esse posterior actione Dei. Neque hoc vrget, quia actio creaturæ non producitur à Deo per aliam actionem distinctam priorem, à solo Deo ortam, sed seipsâ: vnde sicut ipsa non est prior se, ita nec actio Dei est prior actione creaturæ, sunt enim idem realiter.

Aliunde ergo refutanda est ea opinio de du- 27
plici actione, contra quam sit nostra SECVNDA CONCLVSIO. Actio, quâ Deus simul cum causâ creatâ producit alias creaturas, est distincta ab ipsâ creaturâ. Hoc probatur, quia, licet dependeat essentialiter à Deo creatura, adhuc tamen est indifferens ad dependendum per hanc vel illam dependentiam; ergo illa, quam de facto habet, est distincta ab ipsâ creaturâ: sicut, licet creatura nequeat esse sine aliquâ vbicatione, quia tamen potest esse sine qualibet in particulari, ideò omnes vbicationes in particulari ab illâ distinguuntur, vt & aduersarij fatentur. Solùm ergo nobis probandum restat, posse creaturam esse sine hac vel illâ dependentiâ à Deo, licet nequeat esse sine aliquâ. Quod facilè probatur, quia di- 28
uersò modo dependet à Deo ignis quando à solo Deo producitur, ac quando producitur à Deo simul & ab altero igne; in hoc enim casu pendet à Deo fortiori influxu, vtpote quo suppletur influxus causæ secundæ, ergo est ille ignis indifferens ad dependendum à Deo per hanc vel per illam

lam actionem, hoc vel illo modo; ergo quælibet actio, etiam quæ procedit à Deo, est distincta ab igne.

Respondebis Primò, concursum Dei, etiam cum quo simul concurrit cum causâ creatâ, esse sufficientem ad conseruandum effectum in ab-
29 sentiâ concursus causæ creatæ. Sed contrà, Ergo iam concursus causæ secundæ est omnino superfluus, & consequenter impossibilis naturaliter: si enim esset necessarius, repugnaret, vt eo absente, & nullo alio loco illius suffecto, adhuc eodem modo effectus maneret, vt ex terminis constat.

Respondebis Secundò, concursum Dei inadæquatum semper manere, siue concurrat causa creata siue non, cum hac tamen differentiâ, vt in defectu causæ creatæ compleatur primus concursus Dei per alium inadæquatum ortum ab ipso Deo, qui secundus concursus non erit idem cum effectu producto; potest enim effectus esse sine illo: primus autem concursus inadæquatus omnino est indistinctus ab effectu, qui necessariò & essentialiter pendet à Deo saltem inadæquatè. Non potest probabilior solutio argumento à nobis facto adhiberi, impugnatur tamen, quia falsum omnino est, ignem à solo Deo productum habere duas actiones inadæquatas ortas ab ipso Deo. Licet enim nonnulli distinxerint actiones iuxta distinctionem causarum, nullus tamen hucusque duas actiones inadæquatas distinctas ab eadem causâ in eumdem effectum simul adstruxit. Confirmatur, etiamsi Angelus & anima rationalis de facto à solo Deo producantur, in ordine tamen ad potentiam absolutâ possunt comproduci, vt ab instrumento, ab aliâ creaturâ (vt
30 infrà ostendimus:) quis autem dicet, nunc Angelum & animam rationalem produci quemlibet per duas actiones ortas à solo Deo, vnam quidem essentialem illis, & quæ in nullo casu abesse possit, alteram verò distinctam, quæ deficeret, casu quo Deus quasi adiuuaretur aliquo instrumento ad productionem animæ vel Angeli. Dicendum igitur est, quotiescumque mutatur modus dependendi creaturæ à Deo, mutari etiam adæquatam actionem, quâ illa creatura à Deo producebatur, & eius loco aliam omnino distinctam succedere, quamlibet autem esse distinctam ab ipsâ creaturâ.

Respondebis Tertiò, effectum creatum, qui per se sine actione distinctâ à Deo producitur, si sit simul cum actione creaturæ ad ipsum terminatâ, esse productionem inadæquatam sui ipsius à Deo: ablatâ autem illâ actione creaturæ, ipsum effectum esse productionem adæquatam sui ipsius à Deo solo. Sed contrà, quia vel ipsa entitas effectus se ipsâ producitur sufficienter à Deo, vel non. Si primum, ergo etiam quando adest causa secunda, sufficienter producetur à solo Deo, & consequenter erit tunc vna actio adæquata à solo Deo, & alia inadæquata à causâ secundâ, quod naturaliter
31 est impossibile. Sequela euidenter probatur, quia entitas, quæ ex se est totalis actio, & sufficiens, non potest reddi insufficiens per additionem alterius actionis; additio enim non reddit illam minùs fortem. Si verò dicas, eum effectum se ipso non produci sufficienter à Deo, tunc ego inferam, Ergo repugnabit, ablatâ actione causæ creatæ, nisi alia noua loco illius addatur, manere effectum productum sufficienter & adæquatè, quia actio de se inadæquata & insufficiens ad productionem effectus, non potest reddi sufficiens ad eumdem effectum præcisè per ablationem alterius actionis, quâ iuuabatur. Sicut si quis diceret, columnam sustentantem domum solùm partialiter, eò quòd non sufficeret ad machinam totius domus, si relinquatur sola, esse sufficientem, si verò ponatur cum aliâ, esse de se insufficientem, quod Chimæricum est. Neque ad hoc deseruit voluntas Dei: hic enim non potest facere, vt actio quæ de se est inadæquata, sufficiat sine consortio alius ad producendum effectum; id enim est mutare essentias rerum, quod omnino repugnat. Consterigitur, actionem, quâ effectus producitur etiam à Deo, distinctam esse ab ipso effectu producto.

Sed adhuc restat difficultas, vtrùm scilicet 32
eiusmodi actio distinguatur ab ipso Deo. Nonnulli recentiores opinantur, ipsum actum voluntatis diuinæ, quo vult creare Angelum, esse etiam actionem quâ Angelus producitur. Hanc doctrinam aliqui extendunt ad omnem actionem, siue creatiuam siue eductiuam, quâ Deus ad extra operatur: alij verò eam limitant ad solam creatiuam, eductiuam autem à Deo & ab ipso effectu distinguunt. Primùm impugnantur hi vltimi ex consequentiæ defectu, quia non est vlla ratio, cur voluntas Dei de productione Angeli sit productio ipsius, voluntas verò de productione formæ ignis non sit etiam productio formæ ignis, cùm vtraque voluntas sit efficax ad producendum suum obiectum.

Respondebis, volitionem Dei circa formam 33
ignis non esse sufficientem ad producendam formam se solâ, eò quòd debeat etiam concurrere materia vt subiectum, volitionem autem de existentiâ Angeli sufficere sine alterâ actione ad productionem Angeli; vnde non mirum si hæc volitio sit creatio Angeli, illa verò non sit productio formæ. Sed contrà, quia hinc solùm probas, volitionem Dei circa Angelum esse actionem totalem illius; volitionem autem circa formam non esse actionem totalem. Verùm non probas, volitionem de formâ non esse actionem partialem Dei circa illam. cùm enim Deus solùm partialiter producat formam, cur ea volitio non erit sufficiens pro actione partiali, etiamsi indigeat consortio creatæ causæ, quam indigentiam semper habet actio Dei, etiamsi distincta sit ab ipso Deo, sicut volitio de Angelo est actio totalis, creatiua illius, eò quòd à Deo totaliter producitur Angelus.

Respondebis Secundò, respectu actionis eductiuæ assignari posse aliquod subiectum, hoc autem non posse assignari respectu actionis creatiuæ, vnde non mirum, si hanc non distinguamus à causâ, secùs illam. Sed contrà, quia Sect. & 34
Subsectione 4. ostendam tibi hoc subiectum; ergo ex defectu illius non debes negare distinctionem creationis à causâ & effectu, cùm eam non neges in eductione. Contrà deinde, quia si semel intelligis, per volitionem Dei adæquatè produci res quæ à solo Deo dependent, cur non intelliges etiam, per volitionem Dei inadæquatè saltem produci res, quæ inadæquatè à Deo dependent? nec enim, quia detur subiectum in quo possit recipi actio distincta, ideò eam debes distinguere,

stinguere, quasi ne otietur subiectum; quandoquidem sine distinctione illius rectè potest intelligi effectus productus. Idem ergo dicendum de actione Dei eductiuâ, quod de creatiuâ, proportione seruatâ.

SVBSECTIO TERTIA.

Obiectiones contra actionem distinctam soluuntur.

VIX contra præcedentem sententiam obiici potest, nisi communne axioma, *non esse multiplicandam actionem distinctam sine necessitate.* Huic tamen abundè satisfactum est suprà.

Secundò potest Aristoteles obiici, qui 3. Physicorum text. 4. & 19. docet, motum nihil esse aliud quàm res ipsas. Respondeo, Aristotelem solùm ibi voluisse, motum non esse ens aliquod completum per se, distinctum, vt ibidem expressè eum D. Thomas exponit; per hoc autem non negat, esse aliquod ens modale incompletum.

Tertiò obiicies, sequi processum infinitum, si 35 actio sit modus: nam etiam ipsa debet prodire per aliam, & hæc rursus per alteram in infinitum.

Quòd si respondeas, actionem per se essentialiter pendere ab hac numero causâ, ideoque non egere actione distinctâ; replicabunt Primò, in hac solutione peti manifestè principium: dum enim dicitur, actionem pendere essentialiter, dicitur pendere sine aliâ actione intermediâ de quo est tota lis. Secundò, etiamsi pendeat actio essentialiter, adhuc posse pendere per actionem distinctam: creatura enim omnis essentialiter pendet à Deo, & tamen adhuc pendet per actionem distinctam. Simile argumentum faciunt nonnulli contra omnes modos, quo videntur sibi eos eliminasse è mundo, ac de illis perfectè triumphasse.

Ego primùm his gratulor, quòd tam leui argumento sibi satisfaciant, non enim est parum, paruis esse contentum.

Secundò respondeo, illud nihil penitus probare: omnes enim quicumque modos ponunt, illos tantùm ponunt vt actuales determinationes causæ ad effectum, & huius ad causam. quomodo ergo petunt principium, qui, suppositâ existentiâ illorum, dicunt eos ex iuâ essentiâ esse alligatos huic causæ, & huic effectui? Rogo hos Auctores, quare dicant cognitionem esse aliquid distinctũ à cognoscente, nisi quia ab homine v.g. potest separari hoc quod est actu cognoscere Petrum. Secundò rogo, an, sicut dicunt homini esse superadditum hoc quod est cognoscere Petrum, etiam dicant ipsam cognitionem per aliquid sibi superadditum habere hoc quod est repræsentare Petrum. Si dicant esse superadditum, dabitur idem processus, quem obijciunt nobis in actione: si verò dicant, nihil esse superadditum, vt dicere tenentur, cur non aduertunt, se esse iam 36 in eadem naui nobiscum? Ego enim illis obiiciam non minùs, quàm illi nobis, ab eis peti principium manifestè: de hoc enim quærimus, cur cognitio sit imago huius obiecti per se, & non habeat hoc per aliquid sibi superadditum, sicut ipsi de actione nobis obiiciunt. quod enim de cognitione respectu obiecti, hoc planè de actione respectu causæ & effectus dicendum est. Sicut ergo hi, & benè, respondebunt, qualitatem illam distinctam, quam vocamus cognitionem, ideò à nobis poni, vt sit actualis repræsentatio huius obiecti, ideoque non habere id per aliquid superadditum, sed per se ipsam, & in hoc differre ab ipso intellectu, qui per aliquid sibi superadditum respicit tale obiectum; ita eodem modo dico ego, actionem à nobis poni, vt in genere productionis sit actualis determinatio huius causæ ad hunc effectum; ideò per semetipsam hoc habere, & consequenter cessare ibi argumentum, quod in effectu vrget. Certè non potest esse clarior in hoc puncto doctrina.

Ad secundum verò de creaturâ, quæ pendet à Deo per actionem distinctam, etiamsi essentialiter pendeat ab illo, responsum est à numero 24. & paulò pòst, dum de Creatione egerimus, aliquid etiam de hoc puncto dicetur. Ostendam enim, creaturam quidem pendere à Deo essentialiter, non tamen adæquatè, sed esse indifferentem vt pendeat hoc vel illo modo, quod non habet actio respectu suæ causæ: vnde dicam, si aliqua foret creatura, quæ non nisi vnico modo à Deo solo produci posset, illam non producendam per actionem distinctam.

Quartò obiicies: Si actio est modus, vel pen- 37
det diuisibiliter vel indiuisibiliter à causâ. Neutrum dici potest, ergo nullo modo. Non diuisibiliter, quia tunc vna pars actionis penderet ab vnâ parte causæ, & alia ab alterâ, & sic vna pars non iuuaret aliam, quod est contra experientiam: nam magnitudo agentis auget effectum totum. Non indiuisibiliter, quia tunc quælibet pars actionis penderet ab omnibus partibus causæ: vnde quacumque parte causæ ablatâ per motum, tota actio mutaretur, & sic succederent infinitæ actiones totales in qualibet morâ temporis, quia in eâ sunt infinitæ partes temporis; hoc autem est absurdum, ergo. Huic argumento ferè nihil aliud respondissem, quàm monere eius Auctores, vt meliùs considerarent illius vim, & aduerterent, idem penitus quod de actione nobis obiiciunt, posse nos eis obiicere de termino ipso producto, v.g. de igne, etiamsi nulla sit actio positiua media; & rogare, an ignis diuisibiliter an indiuisibiliter pendeat à causâ, & ibi scrutari omnia horum mysteria, quæ in re nulla sunt. Dico ergo, quamlibet partem ignis habere suam partem actionis distinctam, vnde non sequitur, ablatâ vnâ parte actionis, totam auferendam. Secundò, non quamlibet partem actionis pendere à qualibet parte causæ, sed partem à parte, & totum effectum à totâ causâ. Vnde rursus non sequitur, ablatâ quæcumque parte causæ, auferendam totam actionem, sed eam præcisè, quæ ab eâ causæ parte, quæ ablata est, procedit. Quomodo autem 38
illæ partes causæ se iuuent, alibi dictum est: nunc breuiter dico, se iuuare, vt vna pars possit partem effectus in maiori distantiâ producere, quàm posset si sola fuisset; ad quod non requiritur, vt procedat illa actio in distantiori parte ab eis duabus partibus causæ, vt de partibus obiecti fusiùs dicam in ordine ad species intentionales Disputatione IV. de Animâ, à num. 232.

Secundò respondeo, in calore & frigore rem esse clarissimam: hæ enim qualitates, licet primò producantur ab aliis causis applicatis, non tamen

ab illis conseruantur. vnde non sequitur, ex ablatione vnius partis causæ mutandam totam actionem, & multò minùs sequitur, in qualibet morulâ futuras infinitas nouas actiones, sed solùm sequitur, in secundo instanti esse aliam diuersam actionem à primâ, hanc autem secundam, quia non procedit ab igne priori, non propterea mutari ad mutationem prioris ignis, aut cuiuslibet illius partis.

In luce verò, quæ ab eadem causâ conseruatur à quâ producitur, locum habet prior solutio. Quòd si ad aliquam partem effectus & actionis (iam enim ostendi, de vtrisque esse eamdem rationem) concurrant omnes partes causæ, tunc dicendum est, quacumque parte causæ ablatâ, perire eam partem actionis & effectus, quæ ab omnibus illis conseruabatur, nisi aliqua alia succedat loco illius; tunc enim solùm mutabitur actio, ipse tamen effectus manebit. In quo nec vel leuis apparet difficultas.

39 Vltimò tandem obiicies: Actio & terminus debent in duratione commensurari; sed actio est instantanea, terminus verò manens; ergo non commensurantur, ergo non datur actio distincta. Fateor, me non intelligere quid sit specialiùs, quo ad hoc, in actione distinctâ, quàm in identificatâ: illud enim principium de conformitate actionis & termini, eodem modo locum habet, siue actio sit modus distinctus, siue non. Vel quomodo ipsi specialiùs probant, actionem, si distinguatur, debere conformari; non autem, si sit indistincta? Respondeo ergo, quamdiu effectus conseruatur ab eadem causâ à quâ productus est, semper manere eamdem actionem, & tunc conformari in duratione: si verò effectus à diuersâ causâ conseruetur, tunc mutari actionem; quod non habet maius mysterium, quàm quòd mutentur ipsæ causæ: semper autem manet aliqua actio quâ effectus conseruatur, licet tunc non vocetur actio, sed conseruatio.

SECTIO IV.

De Actione creatiuâ.

DIFFICVLTAS hæc etsi ad disputationem de causâ primâ, cuius propria est creatio, pertinere videatur, quia tamen, vt ex dictis constat, connexa valdè est his quæ de actione in communi diximus, hîc examinanda videtur.

SVBSECTIO PRIMA.

Actio creatiua distinguitur à volitione Dei.

40 IAM nobis est absolutè probandum contra Auctores primæ & secundæ sententiæ Sectione 3. relatos, & creationem & actionem eductiuam Dei ab eius volitione distingui. In hanc sententiam communiter conueniunt recentiores è Societate nostrâ. Eam tenet P. Vasquez & alij, quos refert & sequitur Hurtadus Disputat. 12. §. 21. vbi ostendit, eam esse D. Thomæ. Probatur autem Primò, quia (vt ostendi Sectione præcedenti) actio eductiua necessariò distinguitur à Deo & creaturâ productâ, & (vt ibi ostendi) idem est de creatiuâ; ergo actio, quâ effectus producitur, distinguitur à volitione Dei. Patet consequentia, quia distinguitur à Deo, ergo à volitione Dei, quæ est idem realiter cum Deo. Secùdo verò, specialiter eam distingui à volitione Dei, ostenditur, quia volitio Dei est ab æterno, & ab æterno non est creatio Petri, ergo volitio Dei non est creatio Petri. Probatur cõsequentia, quia si volitio & creatio sunt idem, non potest vna esse ab æterno, quin & altera: & sicut Angelus ab æterno amatur, & dicitur volitus, ita & deberet dici & esse creatus.

Dices, ab æterno esse creationem Petri, licet ab æterno non sit Petrus creatus. Sed contrà, quia actio nequit esse actu existens, nisi actu existat eius terminus, ergo non potest esse ab æterno creatio Petri, nisi Petrus etiam sit ab æterno creatus.

Dices Secundò, ab æterno Petrum esse creatum, non pro tunc sed pro præsenti tempore. Contrà, quia si est creatus, ergo & existens: at dicere illum ab æterno existere pro hodierno die, est repugnantia in terminis, vt per se patet, si tamen verè ab æterno non extitit; ergo & repugnabit eum esse ab æterno creatum pro tali tempore, Vide P. Hurtadum suprà, qui benè vrget hoc argumentum. 41

Dices Tertiò, volitionem Dei non constitui in ratione creationis actu, nisi ex cõnotatione actualis existentiæ termini: cumque hic non existat ab æterno, sed in tempore, inde fit, vt non ab æterno, sed in tempore sit actio Dei. Sed contrà, ergo iam actio in ratione actionis includit aliquid distinctum à volitione Dei; hoc autem non potest esse ipsa entitas effectus, vt ostendam Subsectione 2. & 3. ergo debet esse aliquid distinctum ab ipso effectu & à volitione Dei, quod contendo.

Dices, Illud distinctum, quod connotat volitio Dei in ratione actionis, esse ipsum effectum, qui licet non possit esse actio sui ipsius, potest tamen esse connotatum suæ actionis. Contrà, quia in Logicâ Disputatione XII. Sectione 3. omnino reiecimus hæc connotata vt impossibilia, ergo non potest per illa explicari, quâ ratione, licet volitio Dei sit actio creatiua Petri in tempore, eadem tamen volitio præcedens vel subsequens Petrum, nõ sortiatur de facto rationem actionis, vel ab æterno sit ea volitio in ratione entis, non verò in ratione denominationis; quia ista distinctio est omnino Chimærica: nam denominatio & ens est idem. vnde si manet in ratione entis à quo prouenit denominatio formaliter, debet manere in ratione denominationis, nisi auferatur aliquid quod sit pars denominationis; ergo non potest dici, solam volitionem Dei esse totam essentiam actionis; & licet volitio fuerit ab æterno, non tamen fuisse ab æterno actionem etiam in ratione actionis. Vel debes dicere ipsum effectum esse partem actionis, quod refugis, & de quo mè videto Subsectione 2. 42

Aliqui Auctores in creatis repugnare censent ea connotata extrinseca, in Deo tamen putant necessariò admittenda, quia actus liberi non possunt aliter explicari, nisi dicamus, eamdem entitatem Dei futuram in ratione entitatis, si mundus non existeret; tunc autem non futuram eamdem in ratione denominationis volentis. Ob quod exemplum vlteriùs progredientes, præter denominationem volentis ab æterno creare, addunt 43

dunt etiam esse aliam in tempore intrinsecam Deo *actu creantis*, quæ resultat posito termino, & quæ est actio creatiua ipsius Dei; sicut positâ futuritione liberâ creaturarum, resultat in Deo denominatio intrinseca volentis, cognoscentis, &c. Vnde hi actionem Dei ab eius volitione distinguunt, quo nostris argumentis suprà factis satisfacere se putant; adhuc tamen eam actionem identificant cum Deo, & dicunt de nouo incipere in Deo eam esse non in ratione entitatis, sed in ratione denominationis. Hanc sententiam meritò P. Hurtadus reiicit, à §. 35 quia imperceptibilem difficultatem de actibus liberis sine necessitate extendit ad alias materias. Impugnatio sufficientissima & pro me vera, sed in eâ non procedit ille consequenter, quia eamdem difficultatem de actibus liberis ad actus necessarios Dei etiam gratis extendit, quos in hoc puncto alibi reieci; possentque iam illis aduersarij respondere, Cur miramini nos hîc extendere eam difficultatem, quam & vos alibi extenditis? Consequentiùs ergo nos negamus talia connotata, & in actione ad extra & in scientiâ necessariâ, atque in omnipotentiâ, quia non cogimur hîc ea admittere, quidquid sit de actibus liberis, qui à nobis vix percipi possunt.

44 Secundò impugnantur & hi & præcedentes Auctores, quia (vt dixi Sectione 2.) deberent eodem modo loqui de actione eductiuâ Dei, quam tamen ipsi à volitione diuinâ ipsoque Deo distinguunt.

Possent tamen vtrique respondere, volitionem Dei non posse esse actionem eductiuam, quia aliàs illa volitio haberet se ipsam pro obiecto: dum enim dicit, *Volo educere formam ignis*, si ipsum educere, seu ipsa eductio esset volitio Dei, idem esset dicere, *Volo educere*, ac *Volo me ipsam*. Potuissent etiam hi videre, eamdem esse prorsus difficultatem de creatione; argumentor enim & ego sic: *Volitio est creatio, ergo dum Deus dicit, Volo creationem materiæ, seu creare materiam, illa volitio dicit, Volo me ipsam.* est ergo vtrobique idem scopulus. Contrà Secundò, quia si volitio Dei sit creatio & eductio, non debet ea volitio ita explicari, *Volo creare, volo educere*, sed, *Volo existere Angelum sine consortio alterius causæ, quæ in illum influat, &, Volo existere formam ignis, concurrente ad eam etiam materia primâ.* Tunc autem illa volitio non haberet se pro obiecto, sed formæ ignis existentiam, & causalitatem materiæ in illam; quæ causalitas esset distincta à volitione &
45 actione Dei. Et hoc modo deberent hi Auctores suam sententiam explicare, si aliquid probabile dicere vellent: sed tunc tenerentur vtrobique æqualiter loqui, & in actione creatiuâ, & in eductiuâ. Hæc tamen explicatio reiicitur infrà, dum ostendero, debere aliquid medium poni inter volitionem & creaturam ipsam, in quo consistat creatio.

Tertiò impugno hos Auctores, quia ideò ipsi dicunt creationem non distingui à volitione Dei & termino, quia repugnat illa duo esse, & terminum non esse creatum: vnde inferunt, ergo creatio non est aliquid vtrique superadditum. Benè, sed iam Primò eos redarguo, quia hoc idem argumentum fit in eductione, de quo suprà.

Secundò, quia si hoc est verum, malè ponunt posteà nouam in Deo denominationem intrinsecam creantis, distinctam à denominatione volentis. ad quid enim ea requiritur? Quando enim effectus formalis aliquis non est separabilis nec diuinitus à duabus rebus, non solùm non est necessarium illis superaddere entitatem realem distinctam, in quâ consistat talis effectus, sed nec formalitatem aut intrinsecam denominationem virtualiter distinctam: semper enim ea, quæ su- 46
peradduntur, eo modo sunt separabilia, aliàs sine fundamento adduntur, vt agentes de Relationibus diximus in Logicâ. ergo si denominatio actionis consistit in aggregato volitionis Dei & existentiæ ipsius creaturæ, superflua est in Deo virtualitas alia ei volitioni superaddita, in quâ consistat ratio actionis, & per quam denominetur de nouo intrinsecè creans in tempore.

Contrà Tertiò, quia in eo casu meliùs discurreres, si actionem creatiuam diceres totam consistere in ipso effectu, hic enim per se dependet à Deo.

Dices, Deus creat, & consequenter debet habere in se creationem. Contrà, etiam producit formam ignis, ergo debet habere in se productionem. Similiter vnus ignis alterum producit, ergo deberes in agente ponere eductionem, quod tamen renuis: quid ergo hoc argumento moueris, specialiter ad ponendâ in Deo creationem intrinsecam? Respondeo ergo, Deum creare, esse denominationem extrinsecam, quam habere potest, etiamsi ipsemet effectus sit actio sui ipsius: imò nullus Theologus concessit in Deo nouam denominationem intrinsecam in tempore incipientem, nisi quando vnitum est Verbum humanitati Christi, & tamen omnes supponunt, Deum creare in tempore; ergo creare non est denominatio intrinseca in Deo ex communi consensu Doctorum.

Dices vltimò: Terminus non potest esse actio 47
sui ipsius. Nego Antecedens, quando ita pendet ab eâ causâ, vt non nisi vnicè ab eâ produci queat, vt dicam infrà. Nónne actio eductiua, quam tu distinguis, etiam producitur à Deo & ab aliis causis? Rogo, an per actionem aliam distinctam, an per se ipsam? Per distinctam non dices, quia daretur processus in infinitum, ergo per se, ergo potest esse aliqua res, quæ per se actu producatur à causâ, siue tunc vocetur actio sui, siue non, quod erit quæstio de nomine, de quâ non sum sollicitus.

Videas ergo, quàm improbabiliter hi Auctores creationem cum Dei volitione adæquatè, vel cum aliâ intrinsecâ Dei formalitate identificent, præsertim si distinguant eductionem.

SVBSECTIO SECVNDA.

Creatio non est aggregatum volitionis Dei & effectus creati.

DIXI suprà, non posse meliùs hos Auctores explicare, quomodo volitio Dei æterna in tempore incipiat esse creatio, nisi dicendo, ipsum effectum, qui in tempore incipit, esse partem creationis, ex cuius defectu volitio ab æterno nec dicatur nec sit creatio. Videamus iam, quomodo hæc pars impugnari possit.

Aliqui sic argumentantur: Per eam actionem 48
per quam Deus Angelum creat, Angelus creatur à Deo,

à Deo, ergo si volitio est actio quâ Deus Angelum creat, per eam etiam denominabitur Angelus creatus. Confirmatur: si volitio Dei est creatio Dei, quid est necessum aliam ponere actionem ex parte creaturæ, per quam producatur? quia per volitionem Deus illam adæquatè producit; ergo & ipsa per eam adæquatè producitur. Hoc argumentum non est solidum; respondebunt enim aduersarij, per volitionem Dei Angelum creari inadæquatè, sicut & Deus etiam per eam creat inadæquatè: vnde isti non aliter de actiuâ creatione quàm de passiuâ loquentur.

Hinc etiam alia argumenta, quæ obiici poterant, soluta manent, scilicet Deum ab æterno creare, producere, &c. quibus contra hos aliqui vtuntur: illi enim dicunt, eò quòd volitio se solâ non sit actio creatiua, non posse ab æterno esse creationem, nec productionem: sicut etiamsi existat materia, non ideò existit homo, quia hic dicit aliquid supra materiam.

49 Ego circa hanc opinionem dico Primò, qui creationem dicunt non esse entitatem mediam inter Deum & creaturas (vt cum multis docet P. Hurtadus) probabilissimè possent dicere, rationem creationis actiuæ & passiuæ, ex quibus vna integra coalescit, desumi & ex volitione Dei, & ex termino ipso distincto, quandoquidem hæc duo non possunt esse simul, sine eo quòd creetur ille terminus: sicut in diuinis non potest esse Pater & Filius, nisi hic ab illo pendeat & procedat, ideò processio actiua est in Patre, passiua in Filio, & ex vtraque resultat vna integra productio, etiamsi quælibet suo modo actiua & passiua vocari queat, vt ostendi Disputatione x. de Trinitate, num. 18. Quo etiam modo multi dicunt, rem modalem, quæ existere nequit nisi vnita subiecto, non vniri vnione mediâ, sed ipsam & subiectum esse duas quasi partiales rationes vniendi, in quo modo dicendi non est magna difficultas.

Nihilominùs tamen dico Secundò, etiamsi non detur creatio distincta, probabiliùs dicitur, eam creationem tunc idemtificari cum ipso termino adæquatè, & volitionem Dei non tam esse actionem, quàm causam actionis, aut volitionem de actione: dicit enim ille actus, *Volo creare*, ergo *creare* seu *creatio*, quod est obiectum illius, distinguitur adæquatè à volitione. Videó, posse eos 50 respondere, illam volitionem solùm habere pro obiecto creationem inadæquatam, ipsam autem esse aliam inadæquatam actionem. Sed hoc ipsum est difficile, quomodo Deus non velit adæquatè creare, si solus & adæquatè creat. Secundò eadem Conclusio suadetur, quia Deus potest esse sine eo quòd actu creet; idem est de illâ volitione, quæ ab æterno non creat: terminus autem non potest esse nisi actu creetur, ergo illi termino est essentiale actu creari, Deo verò non est essentiale actu creare, ergo cum termino debet idemtificari adæquatè creatio, nullo verò modo cum Deo. Cõfirmo, quando datur actio distincta, quia huic est essentiale actu produci, omnes adæquatè idemtificant cum ipsâ rationem productionis ipsius, ita vt actio per seipsam à causâ dependeat. Neque ponitur ea dependentia partialiter in ipsâ actione, & partialiter in causâ. Vtor item exemplo vnionis: quia enim huic est essentiale actu vniri, non verò subiecto, communior & verior sententia docet, modum vnionis (idem est de ipsâ vnione) per se adæquatè vniri subiecto; neque ipsum subiectum admittit esse partem vnionis, sed extremum.

Quòd si in diuinis cum personâ producente 51 & productâ productio idemtificatur, ideò est, quia tam essentiale est vni actu producere, quàm alteri actu produci; ergo vtrique est essentialis productio. At si vna posset esse non actu producens, alia verò essentialiter deberet esse producta, certè adæquatè idemtificarem cum hac rationem productionis, & nullo modo cum illâ; ergo similiter cùm volitio Dei possit esse actu non creans, effectus verò essentialiter sit actu creatus, effectui debet idemtificari adæquatè creatio, & nullo modo volitioni. imò hæc solum debet esse causa remota, virtualiter applicans omnipotentiam Dei ad creandum.

Dices: Actio est respectus causæ ad effectum, ergo non potest idemtificari adæquatè cum illo, quia nihil potest esse respectus ad seipsum. Respondeo, negando Antecedens, scilicet, omnem actionem esse respectum causæ ad effectum. Admitto tamen tunc quando datur actio intermedia: quando enim ipse effectus per se procedit, tunc ipse respicit intrinsecè & essentialiter causam, causa verò eum non respicit nisi impropriè & extrinsecè, quod per ipsummet effectum fieri potest. Tertiò dico, absolutè creatio est aliquid distinctum ab effectu, & ab ipso Deo, quod Subsectione sequenti penitus explico.

SVBSECTIO TERTIA.

Quando creatio distinguatur ab agente & termino.

PRIMA CONCLVSIO. Si esset creatura aliqua, 52 quæ non posset nisi vnicè & ab eisdem numero causis creari, siue hæ sint solus Deus, siue Deus & alia creatura, in tali casu non distingueretur creatio ab eâ re producta.

Probatur euidenter: in tantum distinguimus actionem vel creationem à Deo & termino, in quantum hic potest existere in rerum naturâ, & non creari à Deo, vel non creari hoc determinato modo; ergo si sit aliqua creatura ex se ita determinata, vt non possit existere in rerum naturâ, nisi vnico modo creata, talis non prodiret per actionem distinctam, sicut propter eamdem rationem ipsa actio, licet sit quid productum, non procedit per actionem distinctam; & vbicatio nõ ponitur in loco per aliam vbicationem distinctam, & sic de aliis modis in ordine ad effectus à quibus non possunt separari: & si esset aliqua substantia, quæ nec diuinitus mutare posset locum, sed vni essentialiter esset affixa, non haberet esse in loco per aliquid à se distinctum. Hæc videtur omnino certa, nec puto ab vllo negandam.

SECVNDA CONCLVSIO. Ea creatura, quæ ita à 53 Deo creatur, vt diuinitus saltem possit Deus ad eam creandam vti instrumento aliquo creato, aut possit eam bis tèrve actione totali producere, procedit à Deo per creationem distinctam. Hanc defendit fusè Aureolus in 2. dist. 1. art. 2. quæst. 2. qui vniuersaliter de omni actione, quâ creatura à Deo procedit, ibi loquitur. In quo eum non sequor, propter dicta in primâ Conclusione. Probo autem hanc secundam, quia ab hac creaturâ potest abesse hæc numero creatio, quâ à solo Deo pro-

producitur, & illa quâ à Deo & à creaturis; quia iam hanc iam illam saltem diuinitus habere potest, vt supponimus, ergo vtraque est distincta. Patet euidenter consequentia, quia id omne, quod vel etiam diuinitus est separabile, est distinctum. Quo argumento probamus, vbicationem, durationem, &c. esse distinctas, quia, licet sine aliquâ vbicatione esse non possim, possum tamen sine qualibet determinatâ. Idem argumentum fit, si vel ab ipso solo Deo possit duplici actione totali produci, quia tunc quælibet ex illis potest ab Angelo abesse. Nec potest dici, manere semper aliquam eamdem numero dependentiam à Deo, licet alia partialis mutetur; hoc enim iam suprà re-
53 iectum est. Deinde, omnes difficultates, quæ possunt fieri ad negandum totam creationem distingui, possent fieri contra eam partialem distinctam. Quòd si hæc semel admittatur, vt debet admitti, congruentiùs multò totius creationis distinctio admittitur.

Ex his duabus Conclusionibus infero Primò, creationem quantitatis, vel aliorum accidentium, in Eucharistiâ esse distinctam omnino à volitione Dei, & ab eis accidentibus, quia possent ea accidentia existere & non creata, vt patet quando pendent à suis subiectis; ergo creatio est aliquid separabile ab eis. Et idem est in omnibus rebus quæ generantur, casu quo diuinitus crearentur.

Secundò infero contra quosdam, etiam animi rationalis & Angelorum creationem esse distinctam ab eorum substantiâ. Hanc non probo, eò quòd Angelus vel anima possit diuinitus generari, & non creari: quia licet de animâ rationali id non difficulter probari posset, nostræ tamen illationis probatio clarior est, nec indiget tam dubiis suppositionibus. quia licet Angelus & anima non possint generari, potest tamen Deus assumere aliam creaturam in instrumentum ad Angeli vel animi rationalis creationem; ergo hæc numero creatio, quâ hîc & nunc producitur, est distincta & separabilis ab eo.

54 Dices Primò, Angelum non posse à Deo simul & creaturâ produci, quia creatur per seipsũ. Benè, committis circulum in hac responsione: probas enim per seipsum creari, quia non potest nisi à solo Deo creari; & probas non posse nisi à solo Deo, quia creatur per seipsum. Ego autem circulum euitans dico, potest à Deo simul & alio Angelo, diuinitus Angelus creari, quia non sequuntur duo contradictoria; inde autem infero, ergo non creatur per seipsum. Contrà Secundò, quia ipse de facto admittis duas productiones physicas animi rationalis Christi Domini: admittis enim illum verè reproduci in Eucharistiâ, ergo iam illa secunda creatio est distincta ab animo Christi, quia ab eo separabilis. Tunc vlteriùs, Ista secunda creatio est eiusdem rationis cum primâ, nec essentialiter supponit primam, ergo posset per hanc secundam Christus manere existens, etiamsi prima auferatur; ergo prima potest auferri, relictâ secundâ; ergo tam prima, quàm secunda sunt distinctæ realiter ab ipsâ animâ Christi Domini, quia ambæ sub disiunctione separabiles, imò etiam simul, si per aliam tertiam producantur.

55 Dices Secundò: Angelus ex se est independens à subiecto, ergo ex se creatus. Patet consequentia, quia effectus formalis creationis est, reddere terminum independentem à subiecto, ergo si ex se est independens, ex se est creatus. Antecedens verò patet, quia non pendere à subiecto, conuenit Angelo per essentiam; ergo non habet per aliquid à se distinctum. Huic argumento vnicè fidunt aduersarij: est tamen in eo magna æquiuocatio, quia creatio duo dicit, vnum positiuum, aliud negatiuum; illi verò solùm loquuntur de negatiuo, vnde malè concludunt. Negatiuum est, non pendere à subiecto; & hoc à se habet Angelus, transeat: imò antequam producatur, habet eam negationem, scilicet *non pendet à subiecto*, & tamen tunc non eo ipso producitur positiuè à Deo; pendere enim & produci à Deo, positiuum est, & hoc non habet Angelus per suammet entitatem, sed per positiuum modum distinctum, quia est indifferens, vt vel à solo Deo, vel à Deo & aliâ creaturâ, vel hac vel illâ, vna aut duabus creationibus producatur. Tunc enim, etiamsi 56
semper eamdem retineat carentiam dependendi à subiecto, non tamen semper habet eamdem dependentiam à causis efficientibus seu creantibus, sicut ignis v. g. (cui demus nunc, repugnet produci ab Angelo) semper habet eamdem independentiam ab Angelo: at dependentiam à causis suis non semper habet eamdem, ideò actio ab eo distinguitur; Angelum ergo sine actione mediâ à Deo per seipsum dependere, non potest probari, nisi quia vnicè tantùm posset à Deo produci, vt dixi in primâ Conclusione. hoc autem falsum est, vt paulò antè monstraui; ergo absolutè dicendum est, eum per creationem distinctam à Deo procedere.

SVBSECTIO QVARTA.

De subiecto creationis.

QVI specialiter negant distinctionem crea- 57
tionis à termino, ideò mouentur (vt suprà insinuaui) quia non reperiunt subiectum in quo possint illam ponere; sine subiecto autem nequit existere, quia est accidens, cuius proprium est inesse. Quòd nullum sit subiectum in quo ponatur, probant, quia in primis non potest esse Deus, qui omnino est incapax recipiendi in se vllam formam distinctam, accidentalem vel substantialem. Deinde nec potest esse ipse effectus creatus, hic enim nequit esse prior & causa suæ propriæ actionis, iuxta dicta suprà. Deo autem creante & ipso termino creato exclusis, nullum restat subiectum in quo possit recipi creatio distincta.

Huic difficultati respondetur, distinguendo duplex subiectum, aliud *inhæsionis*, quod verè causat formam sibi inhærentem, ideoq; debet esse prius suâ formâ, sicut & quælibet alia causa: & hoc subiectum fateor non posse dari respectu creationis, propter mutuæ prioritatis repugnantiam. Aliud subiectum est *adhæsionis*, quod non causat 58
formam, sed præcisè eam in se recipit, & ab eâ denominatur (sicut materia denominatur ab animo rationali, quem non causat) nihilominùs tamen forma quæ in illo recipitur, pendet ab illo subiecto à posteriori, ita vt non possit conseruari sine illo, quo differt ab animo rationali, qui neque à priori neque à posteriori dependet à materiâ. Hoc subiectum adhæsionis non necessariò est prius quàm forma recepta, cùm nec sit causa illius.

illius, nec dispositio ad illam; igitur creatio distincta solùm habet subiectum adhæsionis, quod est ipse terminus productus per illam, quem denominat productum, & à quo pendet solùm à posteriori. Hæc ampliùs obiectionum solutione declarantur.

Obiicies ergo Primò: De ratione accidentis est non solùm adhærere, sed etiam inhærere; ergo illa actio quæ est accidens, debet habere suum
59 subiectum inhæsionis. Respondeo, si *τὸ inhærere* idem sonet ac *dependere à priori vt à causâ materiali*, nego id esse proprium constitutiuum accidentis: nam forma substantialis materialis inhæret materiæ in hoc sensu, id est dependet ab illâ à priori *vt à causâ materiali*, nec tamen est accidens; ergo ea dependentia non est proprius conceptus accidentis. Si verò *τὸ inhærere* idem significet ac *esse extra constitutionem substantialem rei*, fateor id esse proprium & commune omnibus accidentibus: in hoc tamen sensu non includit dependentiam à priori tamquam à causâ materiali. Vt enim sit extra conceptum substantialem rei, per accidens se habet quòd dependeat ab illâ vt à causâ materiali, vel præcisè vt à subiecto receptionis: hoc autem sensu dico creationem inhærere termino, id est, esse extra conceptum substantialem illius; nego tamen, ideò ab illo dependere à priori, sed solùm à posteriori. Quid autem sit, esse extra conceptum substantialem rei, non est in præsenti, sed in Metaphysicâ explicandum, & est vtrique parti communis difficultas.

60 Addo, vt clariùs constet solutio obiectionis factæ, iuxta dicta Disputatione VIII. à num. 2. non esse vllum efficax argumentum, ad probandum, vllum subiectum producere materialiter formam aliquam ex his quas in se recipit. Si ergo de nullo subiecto potest ostendi efficaciter causalitas materialis circa formam, quantò minùs id ostendetur de omni subiecto respectu cuiuslibet formæ? præcipuè cùm stet in contrarium manifesta ratio probans, esse impossibilem hîc & nunc eam causalitatem materialem respectu creationis. Confirmo hoc ex ipsis aduersariis, quorum multi ponunt in composito duas vniones partiales, & eam quæ est ex parte materiæ v. g. solùm adhæsiuè pendere à formâ expresè docent: eamdem ergo dependentiam do ego creationi respectu sui termini.

Aduerte, nonnullum nobiscum creationem distinguentem dicere, adhuc eam inhærere termino. Sed reuerà hic solâ voce à nobis dissidet: fatetur enim, creationem non causari à termino, sed esse illo posteriorem, illam tamen exigentiam, quam creatio à se habet etiam pro priori naturæ, vt non possit sine termino conseruari, vocat hîc
61 *inhærentiam*, in quo modo loquendi abutitur voce *inhærentiæ*, quæ ab omnibus non pro dependentiâ vtcumque, sed à priori vt à causâ materiali, vsurpatur. Ideò absolutè non vocanda ea dependentia inhærentia, siue sit in eo priori naturæ, siue non; omnis enim res pendens à posteriori ab aliâ, exigit etiam pro priori naturæ, vt sequatur illa à qua pendet, quod tamen non constituit dependentiam quæ absolutè à priori & *inhærentia* dicatur.

Hinc verò replicabis: Ergo non est de conceptu accidentis *inhærere*, nec *adhærere*, quod videtur omnino falsum. Sequela probatur, quia per te ex proximè dictis solùm requiritur accidens esse extra conceptum substantialem rei: at hoc, sicut potest reperiri sine inhærentiâ, etiam potest sine adhærentiâ. Respondeo, accidens vltra hoc, quod est non esse de conceptu substantiali alicuius, necessariò addere, esse formam illius; alioquin non accidet tali rei, & lapis, qui est extra conceptum Petri, esset accidens illius, quod est 62 falsum: ad hoc autem vt accidens sit forma subiecti, necessariò debet illi minimùm adhærere, id est illud informare, & etiam ab eo dependere saltem à posteriori. nam si posset per se existere, esset per se stans, & consequenter substantia; debet ergo vel adhærere, vel inhærere.

Tertiò obiicies: Omnis dependentia à priori, est etiam dependentia à posteriori; ergo è contrario omnis dependentia à posteriori erit etiam dependentia à priori: sed creatio per te dependet à posteriori à termino, ergo etiam à priori. Huic argumento plus merito nonnulli tribuunt: ei respondeo Primò, negando Antecedens, quia dependentia à posteriori, rigorosè loquendo, est dependentia ab aliquo consequente; vnde in rigore non solùm non debet dependentia à priori esse etiam à posteriori, verùm ei id omnino repugnat, quia nihil potest esse prius & posterius respectu eiusdem. Quòd si dependentia à posteriori, solùm sumatur pro dependentiâ in conseruari, adhuc etiam est falsum Antecedens: omnes enim formæ substantiales, quæ producuntur à causis creatis, pendent ab illis à priori, non tamen à posteriori, seu in conseruari. Sed do tibi Antece- 63
dens, scilicet omnem dependentiam à posteriori esse etiam à priori; adhuc nego consequentiam, scilicet omnem dependentiam à posteriori, esse etiam à priori: nam essentiæ pendent à posteriori à passionibus, item materia & forma, & quælibet res à suâ vbicatione, & tamen nullum ex his à priori ab alio; ergo non omnis dependentia à posteriori includit dependentiam à priori. Disparitas esse posset, dependentiam à priori esse maiorem, ideò includere & dependentiam à posteriori, licet non è contrario.

Quartò obiicies: Creatio constituit terminum independentem ab omni subiecto, ergo etiam ipsa debet esse independens ab illo. Respondeo Primò posset ex communi sententiâ, negando Antecedens: nam termino creato solùm opponitur dependentia à subiecto vt à causâ materiali, non autem opponitur dependentia à subiecto à posteriori; hanc autem independentiam vt à subiecto causante materialiter, etiam habet creatio ipsa, ergo rectè potest illam communicare suo termino. Hæc solutio supponit communem do- 64
ctrinam de causalitate materiali, in quâ consistit ratio generationis, vt condistinctæ à creatione. Si autem dicatur, rem creatam excludere omnem dependentiam, etiam à posteriori à subiecto (de quo egi eâ Disputatione VIII. à num. 2.) debet aliter responderi obiectioni, negando consequentiam: sicut enim visio reddit parietem visum, quin ipsa sit visa, & in aduersariorum sententiâ subsistentia reddit Angelum independentem à subiecto inhæsionis, & tamen ipsa subsistentia dependet ab Angelo vt à subiecto cui inhæret; cur non poterit creatio constituere suum terminum independentem ab omni subiecto, etiamsi ipsa dependeat à suo termino vt à subiecto

adhæ-

adhæsionis ? Imò & ex hoc capite, etiam vt à subiecto inhæsionis, posset pendere, si aliunde non repugnaret.

SVBSECTIO QVINTA.

De distinctione specificâ & numericâ actionum & passionum.

65 DVO respicit actio, terminum, & principium; passio verò respicit tria, principium, terminum, & subiectum. Quærimus, quâ ratione actio & passio varientur pro varietate agentis, termini aut passi. Semper in his quæstionibus communem & probabiliorem sententiam de causalitate materiali seu passiuâ supponimus.

PRIMA CONCLVSIO. Actio & passio non sunt indifferentes, neque etiam de potentiâ absolutâ, vt possint eædem numero non respicere hoc numero principium, subiectum & terminum, sed aliud etiam solo numero distinctum. Ratio est clara: quia si hæc actio ex suo conceptu essentiali non esset alligata huic numero principio, ergo hoc quod est de facto oriri ab hoc principio, aliquid esset ei superadditum, & consequenter daretur processus in infinitum. Nam de illo super-
66 addito rediret idem argumentum: Ergo hæc actio (idem est de passione) non potest esse in rerum naturâ, nisi procedat ab hoc numero principio, & terminetur ad hunc numero effectum: sicut etiam cognitio quæ respicit Petrum, non potest esse quin illum respiciat; ergo diuersificantur numero actiones & passiones, pro diuersitate numericâ principij, termini, aut subiecti.

SECVNDA CONCLVSIO. Pro diuersitate specificâ agentium, etiamsi terminus sit idem in specie, diuersificantur specie actiones: actio v.g. quâ sol producit calorem, est diuersa in specie ab eâ, quâ vel ignis vel vnus calor producit alium calorem. Probatur fœcilè, quia illæ duæ actiones habent respectum essentialem ad duo principia specie diuersa, ergo habent etiam respectum specie diuersum, quia respectus diuersificabitur ex diuersitate termini; sed ille respectus est idem realiter cum ipsis actionibus, vt ex primâ Conclusione constat, ergo hæ sunt inter se specie diuersæ.

Confirmari posset ab aliquo, exemplo visionis humanæ v.g. quæ licet, dum terminatur ad albedinem, habeat idem obiectum specie, imò & numero, cum visione leonis de eadem albedine, tamen quia principia homo & leo differunt specie,
67 differant etiam specie illæ visiones; ergo à fortiori actiones respicientes diuersa principia specie, licet habeant eumdem terminum, erunt specie diuersæ, quia magis essentialiter respiciunt actiones sua principia, quàm actus vitales respiciant potentiam vitalem: nam hi saltem de potentiâ absolutâ possunt fieri sine potentiis, actiones verò nequeunt fieri vllo modo sine principiis quæ de facto respiciunt. Hæc confirmatio vrget, supposità communi sententiâ de diuersitate specificâ visionum hominis & leonis; absolutè autem diuersitas actionum ex diuersitate terminorum est multò certior quàm diuersitas harum visionum: nam in meâ sententiâ visio, quæ in qualitate consistit, licet respiciat essentialiter suum obiectum, principium tamen & subiectum respicit per actionem & vnionem distinctam. Vnde fortasse vna eademque visio est indifferens, vt ab hoc vel illo principio, etiam specie diuerso, procedat, aut in hoc vel in illo subiecto recipiatur; sicut idem numero calor fuit indifferens vt ab hac vel illâ causâ procederet. Et in hoc puncto visio comparatur cum effectu, non verò cum actione: hæc verò potest comparari visioni, quatenus respicit obiectum. Sicut enim, quia visio per suammet essentiam respicit obiectum, visiones habentes diuersa obiecta, specie differant inter se; ita quia actiones per se respiciunt essentialiter principium, si hæc diuersa sint, diuersæ etiam erunt essentialiter actiones.

Et hîc aduerte rationem, cur ex diuersitate 68
causarum non semper arguatur diuersitas effectuum, sed idem calor in specie possit esse à sole vel ab igne: imò ex hoc capite etiam possit, vt dixi in materiâ de Angelis, eadem specie intellectio in Angelo & homine reperiri, eadem tamen actio non possit iam ab hac iam ab illâ causâ prodire. Ratio est, quia effectus actu pendet ab hac causâ per actionem à se distinctam, vnde mutando actionem, potest iam ab hac iam ab illâ pendere: at actio pendet per suammet essentiam à causâ, ideò non potest iam ab hac iam ab aliâ pendere, aliàs mutaret suam essentiam, quod omnino repugnat. Et hæc doctrina vniuersalis est ad omnes modos, qui seipsis essentialiter affiguntur subiectis; oporteretque eam benè percipere, ad discurrendum consequenter.

Obiicies Primò, incredibile videri, motus cæ- 69
li, factos à diuersis specie Angelis, esse specie diuersos inter se; ergo diuersitas agentium non facit actiones diuersas. Nego id esse incredibile, sicut non est incredibile, cognitiones de diuersis specie obiectis esse etiam inter se specie diuersas.

Obiicies Secundò: Multa agentia diuersa in specie, possunt concurrere per eamdem actionem, vt Deus & causa secunda; ergo diuersitas agentium non diuersificat actiones. Respondeo, nos non negare, eamdem actionem numero posse oriri simul à pluribus agentibus numero & specie diuersis; neque id intendimus, quando dicimus actiones specificari ab agentibus, sed præcisè eam actionem, quæ non oritur ab iisdem agentibus in specie à quibus altera, necessariò futuram diuersam in specie ab illâ. Sicut, quando dicimus potentias diuersificari ab obiectis (idem etiam est de actibus) non contendimus, vnam potentiam non posse respicere plura obiecta diuersa: sed id solùm significamus, eam potentiam, quæ respicit diuersa obiecta, ab alterâ potentiâ, necessariò futuram diuersam, siue quælibet multa obiecta diuersa, siue vnicum respiciat. Alioquin etiam probaretur hac obiectio- 70
ne, nec numero differre actiones pro diuersitate specificâ agentium, quandoquidem eadem numero actio à tot specie diuersis causis simul fieri potest, quod apertè falsum est; nec docetur ab vllo.

TERTIA CONCLVSIO. Etiam pro diuersitate passi diuersificantur actiones eductiuæ. Hæc probatur iisdem argumentis quibus præcedens, quia passum est vnum ex principiis actionis eductiuæ; vnde si actio specificatur à principiis, debet etiam specificari à passo: quare actio, quâ educi-

tur gratia ex Angelo, est diuersa in specie ab eâ quæ educitur eadem gratiâ ex animo rationali, quia hic & Angelus, qui sunt subiectum, differunt specie inter se.

QVARTA CONCLVSIO. Actio specificatur etiam à termino producto. Hæc est cõmunissima, & probatur ex dictis, quia actio tam essentialiter respicit terminum, quàm principium; ergo non minùs à termino, quàm à principio specificatur. Huc applica, quæ in præcedentibus Conclusionibus dicta sunt.

Rogabis, vtrùm ab eodem principio, circa eumdem terminum, possint esse actiones diuersæ in specie, ex solâ diuersitate tendendi in ter-
71 minum. Respondeo affirmatiuè, quia potest de potentiâ absolutâ, vt infrà ostendam, creatura saltem instrumentaliter concurrere cum Deo ad creationem alterius termini. Pone igitur, materiam & formam substantialem ignis B, à quibus simul cum Deo de facto educitur forma ignis A, de potentiâ absolutâ eleuari ad creandam eamdem formam substantialem ignis A: ecce in eo casu idem esset terminus productus, & omnia principia illius eadem quæ modò sunt, scilicet Deus, materia, & forma ignis B, & tamen actiones essent diuersæ, quia vna esset creatio, altera generatio, quæ inter se specie differunt: ergo ab eisdem causis ad eumdem terminum esse possunt actiones diuersæ in specie.

Confirmatur à simili: apprehensio & iudicium sunt ab eadem potentiâ, & circa idem omnino obiectum, differunt tamen inter se specie ex diuerso modo tendendi; ergo etiam poterit esse diuersa actio in specie, licet principia & termi-
72 nus non differant specie. Verum quidem est, quoad nos, qui non videmus actiones in se, semper illas reputari eiusdem speciei, quando terminus & principium est idem: hoc tamen non probat, ipsas in se non posse esse diuersas, & ab Angelo vel Deo clarè eas cognoscentibus, non posse etiam cognosci eam diuersitatem.

SECTIO V.

Vtrùm omnes Causæ simul concurrentes ad eumdem effectum concurrant eadem numero actione.

CAVSAM materialem non concurrere actione distinctâ ab actione causæ efficientis, ostendi Disputatione VIII. Sectione 2. Ex quo videtur inferri, omnes actiones causarum efficientium simul ad eumdem terminum concurrentium, etiam idemtificari inter se, quia idemtificatur vni tertio, id est causalitati materiali. quia tamen nonnulli censent, pro multiplicitate agentium multiplicari actiones, oportet id fusiùs in præsenti explicare.

73 Probant igitur hi Primò suam sententiam: Quia eadem actio numero nequit respicere duo principia specie diuersa. Nego Antecedens: sicut enim eadem cognitio potest respicere duo obiecta diuersa, & idem effectus potest oriri à duabus causis, cur non poterit eadem actio à duobus principiis emanare?

Secundò: Quia actio Dei semper est transiens, actio verò creaturæ aliquando est immanens, vt patet in actione vitali; ergo distinguuntur actio Dei & creaturæ. Respondeo, actionem Dei semper esse transeuntem respectu ipsius Dei, quo sensu etiam actio creaturæ est semper transiens: at verò actio Dei non est semper transiens respectu creaturarum, sed aliquando immanens, sicut & ipsa actio creaturæ; quare nego vni actioni aliquid conuenire, quod non conueniat alteri. Neque inconueniens vllum est, eamdem actionem esse transeuntem respectu vnius, id est Dei, & immanentem respectu alterius, id est creaturæ.

Tertiò: Quia actio creaturæ aliquando est ma- 74
la, actio verò Dei semper est bona, ergo sunt distinctæ. De hoc Disputatione X. Sectione 2. Nunc aduerte, aduersarios vrgeri etiam hoc argumento, quia actio illa creaturæ necessariò producitur à Deo, etiamsi sit distincta ab actione Dei; quia etiam ea actio immediatè à Deo pendet, sicut omnis alia entitas creata, vt & ipsi aduersarij fatentur; ergo etiam in eorum sententiâ videtur Deus esse causa actionis malæ.

Igitur subscribendum est communi sententiæ, idemtificanti eas actiones inter se. Hanc defendit P. Suarez 1. Tomo Metaphysicæ, disput. 22. sect. 13. P. Molina 1. Parte, quæst. 14. art. 13. disputat. 5. circa finem. Hanc probant nonnulli iisdem rationibus, quibus Disputatione VIII. Sectione 2. & Disputatione IX. Sectione 2. de actione Dei & creaturæ vidimus probari, communiter actionem & passionem inter se idemtificari. At, sicut illas ibi reiecimus, ita & hîc, solumque probamus hanc Conclusionem ex eo, quòd non est vlla necessitas distinguendi prædictas actiones. Vide quæ diximus Disputatione II. Sectione 2. circa distinctionem actionis à passione, & ea omnia applica huc, proportione seruatâ.

Rogabis, vtrùm sicut potest per eamdem 75
actionem à duobus principiis idem terminus oriri, ita è contrario ab eodem principio per vnicam actionem possint produci duo termini distincti. Respondeo Primò, si illi duo termini, vnus priùs alio producatur, non posse produci vnicâ actione, quia non potest actio esse in aliquo priori, etiam naturæ, nisi in eo sint omnes eius termini. Respondeo Secundò, si illi duo termini simul naturâ producantur, non sequi duo contradictoria, eò quòd vnicâ actione producantur, ideoque nullo modo id repugnare. Imò addo, si naturaliter illi termini sint connexi vt intellectus & voluntas, (suppono nunc eos distingui,) valdè probabile esse, etiam de facto vtrumque per vnicam actionem produci: neque enim videtur esse maior ratio cur eadem actio possit esse à duplici causâ circa eumdem terminum, quàm è contrario ab eadem causâ eadem actio circa duos terminos. Sed aduerte, eo casu non posse illam actionem etiam diuinitus manere sine vtroque termino, licet termini illi per aliam actionem vnus sine altero existere possit, sicut actio orta à duabus causis, non potest sine illis duabus permanere.

SECTIO

SECTIO VI.

De conseruatione effectus.

IN hac quæstione ego vix nouam inuenio difficultatem. Quod enim de primâ productione dicitur, hoc de conseruatione dicendum censeo; est enim conseruatio, continuata productio, solumque differt per denominationem quamdam extrinsecam. Prima enim productio supponit immediatè antè termini carentiam; secunda verò productio seu conseruatio dicit immediatè antè extitisse rem illam, quod in ipsâ existentiâ & duratione rei productæ eodem modo dicendum est. Quia tamen nonnulli in re facili obscuritatem quærunt, &, vt dicitur, nodum in scirpo, libet rem hanc paulò fusiùs discutere.

SVBSECTIO PRIMA.

Sententia asserens, res aliquas à se ipsis inadæquatè conseruari.

76 LESSIVS de Perfectionibus diuinis lib. 10. c. 4. tacito nomine quosdam refert, qui arbitrantur, res aliquas minori concursu indigere vt conseruentur, quàm vt producantur. Distinguunt autem hi tria genera entium. Primi generis dicunt esse ita imperfecta, vt non possint connaturaliter conseruari, nisi ab iisdem causis à quibus productæ sunt, & æquè forti influxu: eiusmodi est lumen, species intentionales, actus intellectus, &c. Secundi generis sunt, quæ à Deo simul & creaturâ producuntur primò, conseruantur verò à solo Deo, vt calor, color, formæ substantiales. Tertij generis, quæ à solo Deo conseruantur & producuntur. Hæc duo vltima genera rerum docent hi à Deo conseruari minori influxu, quàm primò producantur; vel quia loco causæ secundæ nullum de nouo addit concursum in secundis, vel quia in tertiis minorem Deus exhibet conatum in conseruatione quàm in productione: solus enim concursus generalis Dei, quem præstat etiam quando concurrit cum creaturis, sufficit ad eas conseruandas; qui quidem concursus est ex se indifferens, & non magis respicit hunc effectum quàm illum, sicut, inquiunt, eleuatio follium in organo non magis causat hunc sonum, quàm illum.

77 Hanc sententiam ibi fusè & eruditè valdè refutat P. Lessius. Ego proponam primò aduersa argumenta, & maiori ex parte contra ipsos retorquebo; deinde efficaciter sententiam istam reiiciam, ne alicui nouus hic modus dicendi arrideat.

78 Primò ergo arguunt: Quia causæ secundæ cum concursu solo generali Dei possunt aliquid producere, ergo & poterunt se conseruare cum solo eodem concursu. Mirabile argumentum! ac si quis diceret, Cum concursu generali Dei ignis primò producit alium ignem, ergo & poterit etiam se ipsum primò producere. Consequentia est ipsissima horum Auctorum: consequens autem ab eis meritò negatur. Sic vrgeo Secundò, Etiam in illis rebus, quæ non possunt se ex horum sententiâ conseruare (lux v. g. species impressa) cum concursu generali Dei possunt aliquid producere, ergo & hæ poterunt se conseruare cum eodem concursu. Ecce formam tui argumenti. Cui absolutè respondeo, nihil posse esse prius se ipso, & consequenter non posse se nec causare nec conseruare, etiam inadæquatè, quia etiam in instanti conseruationis debet esse prior naturâ causa conseruans, vt fusiùs Subsectione 3. At respectu alterius potest creatura esse prior: & non solùm cum concursu generali, sed etiam sine illo, ex hoc capite posset alteram producere, vt docuit Durandus; quæ sententia, licet aliunde falsa, non tamen hinc: at nullus dicet, creaturam posse se adæquatè conseruare.

Secunda ratio horum sit: Quia si aliquæ res 79
non se conseruarent inadæquatè, non esset ratio vlla, cur esset miraculum, lucem sine sole conseruari, non verò calorem sine igne: quod hi putant à se pulchrè explicari, eò quòd calor se inadæquatè conseruare potest, species autem & lux non ita. Quòd si conseruantur absente sole & obiecto, debet necessariò fieri per concursum supernaturalem. Sed in primis, quæso, dicant mihi hi, cur, quandoquidem saltem in primâ productione nihil potest se nec inadæquatè producere, & non est ibi hæc differentia; cur, inquam, si Deus solus producat Angelum, nullum est miraculum, esset verò si Deus solus produceret lucem, aut species albedinis? Si responderint, reuocandum id esse in proprias naturas (anima enim & Angelus à solo Deo petunt oriri, ideò sine miraculo oriuntur; lux autem petit oriri à sole, ideò à Deo solo miraculosè oritur:) si hoc, inquam, responderint, respondebunt valdè benè; monendi verò erunt, vt id ipsum, mutato termino *primæ productionis* in *conseruationem*, propriæ obiectioni respondeant, dicantque, ideò lucem miraculosè conseruari à solo Deo, quia exigit conseruari etiam à sole, calorem verò sine miraculo conseruari sine igne, quia non petit ignem, sed Deum supplentem defectum ignis in conseruatione. quid facilius & clarius? Quòd si adhuc hi velint habere instantiam ex ipsâ conseruatione, præterquam quòd otiosum & superfluum aliquid petant, ne tamen vllam eis demus occasionem putandi sibi non satisfieri; ecce, da lucem conseruari à lapide loco solis, certè tunc ea conseruatio est miraculosa, non quia non conseruetur à duabus causis, vnâ creatâ & aliâ increatâ, sicut producta fuit, sed quia non petit has, sed alias, ideò miraculosè conseruatur: neque hîc recurritur ad illam impotentiam se conseruandi, sine quâ hi putant nihil boni dici posse. Ita etiam dico, non recurrendo ad eam impotentiam, calorem à solo Deo conseruari naturaliter, cum maiori tamen influxu ex parte Dei, quàm ab ipso fuerat productus; exigit enim id naturâ suâ. quid ergo hîc inadæquata conseruatio sui ipsius?

Tertiò arguunt: Si res permanentes non se 80
conseruant, ergo Deus speciali concursu conseruat habitus vitiosos, quod est absurdum. Facilè responderet quis, negando sequelam; posset enim dici, eos conseruari ab ipsa potentiâ. Sed hoc omisso, admitto sequelam. quid inde? Sicut enim Deus concurrit ad ipsum peccatum, & quidem eo concursu indiuisibili quo creatura, vt alibi ex omnium ferè sententiâ ostendi (neque

id est vllum inconueniens, eò quòd id facit ad exigentiam ipsiusmet creaturæ, & ab eâ determinatus) multò minùs repugnabit, vt ad exigentiam ipsius habitus petentis conseruari, Deus eum conseruet, præsertim cùm in se non sit qualitas formaliter mala. Vnde & infundi posse à solo Deo, docui in libris de Animâ: quod in errore minorem habet difficultatem, vt dixi in materiâ de Fide, eò quòd non sit malus moraliter vllo modo, sed solùm physicè.

81 Obiiciunt Quartò: Si res non habent vires se conseruandi, tota duratio rerum debebit in voluntatem Dei refundi, non in natiuam rerum conditionem. Respondeo, rogando hos Auctores, vnde proueniat, quòd aliquæ res se possent conseruare, aliæ verò non. Meritò respondebunt, ex naturâ ipsarum. Sic ego dico, ex naturâ ipsarum prouenire, vt vna exigat absente causâ secundâ conseruari à Deo, loco illius, alia verò necessariò à causâ secundâ dependeat. Iam quomodo hîc ad solam Dei voluntatem recurritur?

82 Obiiciunt Quintò, ex eo quòd, absente causâ secundâ, aliquæ res conseruentur, rectè à nobis inferri, eas habere vim se conseruandi, alioquin tota Philosophia euerteretur. Quomodo enim probabitur, ignem habere vim calefactiuam, nisi quia ipso præsente calor producitur? alioquin dicet quis, ad præsentiam ignis produci calorem à solo Deo. Hoc argumentum est ceteris adhuc debilius: nam Philosophus non solùm debet pro illationibus habere oculos, sed intellectum abstrahentem à rebus visibilibus. Certè dependentiam creaturarum à Deo in omnibus effectibus, non deprehendimus oculis ipsis, contra Durandum, sed discursu aliunde petito eam inferimus: imò nec dependentiam terræ à Deo, etiam eam inadæquatam, quam hi ponunt. Dico ergo, rationem naturalem (de quâ statim) probare euidenter, nihil se nec inadæquatè posse conseruare, ideò, etiamsi ablato igne maneat calor, nullus intulit, Ergo calor se conseruat. At quia in eo quòd ignis calorem producat, nulla est repugnantia, sed potiùs conuenientia, benè inferimus, ignem esse productiuum caloris. Quòd si aliqua esset repugnantia, certè etiamsi posito igne produceretur calor, non diceremus eum ab igne prodire: sicut, licet positis dispositionibus ad formam muris, in terrâ producatur illa forma, quia tamen aliunde repugnat eam à terrâ produci, aliam quærimus causam. Et vt instantiam omni replicâ maiorem ponam, animus rationalis producitur dispositâ iam materiâ per semen, &c. & tamen non dicimus, Ergo semen aut mater eam producit, quia aliunde corrigitur hæc consequentia. Cur ergo non patientur hi corrigi eam de conseruatione, cùm clarius sit lumine naturæ, nihil se nec inadæquatè posse causare aut conseruare, quàm animam non produci saltem inadæquatè à parente. Nec de euersione Philosophiæ timeant, stetit enim hucusque, & stabit sine hac vi se conseruandi: damus enim nos nobiliorem conseruatorem, scilicet Deum.

83 Obiiciunt Sextò: Si Deus conseruat calorem, ergo semper hic durabit, quia Deus semper habebit vires eum conseruandi. Huic argumento facilè respondeo negando sequelam: ostendo enim fusè in materiâ de duratione & Angelis, sæpè posse aliquam rem causis eodem modo se habentibus, durare per aliquod tempus, non tamen semper. Vnde non placent, qui huic obiectioni concedunt sequelam, quando scilicet non est contrarium aliquod petens destructionem talis rei, quod verum non esse, eo loci ostendi. Addo tamen, saltem in rebus habentibus contrarium, non habere vim eam illationem, quia contrarium adueniens, petit ne à Deo res illa conseruetur hîc & nunc. Sed age, ostendamus iam eamdem esse difficultatem in sententiâ arguentis. Cùm enim virtus se conseruandi in calore non sit distincta ab ipsius essentiâ, & hæc sit eadem hodie ac heri; cur, sicut ab hesterno die potuit se conseruare in hodiernum, non poterit ab hodierno in crastinum, & sic in æternum? Certè in defectum existentiæ causæ non potes id reuocare, quia Deus, qui est inadæquata causa, semper manet; ipse autem calor, qui est alia inadæquata causa, semper hucusque extitit; ergo poterit se vlteriùs causare seu conseruare, sicut se potuit hucusque.

Quòd si dicas, Non potest cras, quia non existet cras; Benè: ergo dicis, non existet, quia non poterit se causare; &, non poterit se causare, quia non existet, qui est manifestus circulus.

Nec ad diminutionem virium potest recurri, quia vires & eius essentia, vt dixi, sunt idem; essentia autem non est diminuta, ergo sicut habuit vires in instanti A. pro instanti A, ita in instanti B. pro B, & sic de aliis: quæ consecutio, licet fortè in meis principiis non sit bona, est tamen in aduersariorum, iudicantium, idem manens idem, semper esse natum facere idem.

Obiiciunt Septimò: Cuilibet rei inest appetitus ad sui conseruationem, & ad resistendum contrariis: atqui appetitum hunc sequitur aliqua potentia, ergo res habent potentiam se conseruandi. Fateor, vix à me percipi vim argumenti: cùm enim isti vim hanc conseruatiuam non omnibus rebus tribuant, vt vidimus, quomodo iam ponunt propositionem vniuersalem, extendentem se ad omnes res, *cuilibet rei inest appetitus*, &c. quis hæc combinabit? Adde, etiamsi res petat sui conseruationem, non propterea eam oriri à se ipsâ; imò si oriri deberet à se ipsâ, non illam peteret, quia nemo à se quidquam petit, sed ab alio: ergo ex appetitu non infertur vis effectiua, sed; rem illam esse sibi connaturalem, & bonum ipsius, à quocumque ipsi conferatur. 84

Obiiciunt Octauò: Facilius est rem conseruari quàm primò produci, ergo minor influxus requiritur ad conseruationem, quàm ad primam productionem. Respondeo, Antecedens esse verum, quando sunt agentia contraria quæ productionem primam impediunt, posteà verò cessant; aut respectu nostri, non enim semper pingimus imaginem semel absolutam. De cetero, sicut non est minoris laboris, tenere secundò in aëre pondus quàm primò, ita in re non est minus conseruare, quàm producere. 85

Obiicies Nonò: Ad perfectum artificem spectat, facere opus quod posteà non egeat nouo labore vt conseruetur; ergo ad Deum spectabit facere creaturas, quæ semel existentes, se possint conseruare; dedecere enim videtur etiam Deum, supplere omnium causarum vices. Respondeo, in creatis id non arguere perfectionem, sed independentiam effectus ab artifice. Deinde, in artifice 86

ficenon esse vires ad conseruandum antiquum influxum, & ad nouum in alia opera exhibendum: Deus autem, quia est supremus Dominus, & infinitè potens, nec defatigatur conseruando, nec potest non omnia suis manibus tenere. alioquin hæc obiectio nec inadæquatum Deo influxum tribueret, quia artifex creatus nec inadæquatè conseruat picturam. Et hinc patet, non dedecere, sed conuenientissimum esse Deo, & teneri, vt auctorem naturæ, ad supplendos defectus causarum secundarum.

87 Obiicies vltimò: Deus dicitur Genes. 2. requieuisse ab vniuerso opere quod patrarat, ergo quia non ita laborat conseruando, quàm producendo. Respondeo, si ideò Deus dictus fuisset requiescere, certè qualibet die requieuit ab opere quod eâ die patrauit, non enim illud iam amplius tam vehementi influxu conseruabat, in tuis principiis; hoc autem nec vel leuiter ibi insinuatur. Absolutè ergo dico, ibi τὸ *requieuisse* non denotare nisi cessationem à nouarum specierum productione, non verò à conseruatione antiquarum; quæ est explicatio Augustini 4. de Genesi ad litteram cap. 12.

SVBSECTIO SECVNDA.

Contraria sententia auctoritate stabilita.

88 CONTRARIA ergo sententia, asserens conseruationem esse ipsammet continuatam actionem, quando eædem causæ manent; vel quando vna deest, alteram causam debere eius defectum supplere, est ita communis inter Scholasticos, vt, quod sciam, à nullo (præterquam vno, qui adhuc suam typis non mandauit, licet in aliis Operibus impressis eam insinuauerit) arbitrer non solùm non negatam, sed nec quidem in dubium vocatam. Eos benè citat Leslius eo cap. 4. à num. 30. Certè D. Thomas 1. p. q. 104. a. 2. ad 2. expressis verbis docet, nulli rei posse tribui vt sit conseruatiua sui, sicut nec vt sit productiua; benè tamen vt sit conseruatiua & productiua alterius. vbi etiam inadæquatam negat conseruationem sui; negat enim quam potest habere erga alia entia, atqui erga alia solùm potest habere inadæquatam, ergo. Idem art. 1. ad 4. & Caiet. a. 2. expressè docent, eamdem esse actionem conseruatiuam & primò productiuam. Durandus in 2. dist. 1. q. 2. afferens exemplum Filij diuini qui semper generatur, docet, mundum semper in re creari, etiamsi id à nobis vulgariter non dicatur. Gregorius in 1. dist. 45. q. 1. a. 1. concluſ. 3. vbi Augustini & Anselmi testimoniis id ipsum confirmat. Scotus in 2. dist. 1. q. 5. Vasquez 1. p. disp. 72. num. 11. Molina 1. p. q. 10. a. 5. disp. 1. & Suarez fusè in Metaph. disp. 21. per totam, numero autem 10. sect. 1. dicit in hac re non esse inter Theologos varietatem vllam sententiarum, numero verò 15. ab Ethnicis Philosophis hanc veritatem agnitam ostendit, sect. verò 2. n. 2. alios Scholasticos pro eâ refert, nu. verò 1. Henricum, Aureolum, & Gregorium citat, quasi dicant, conseruationem esse distinctam à primâ productione. Nullus tamen ideò putet eos fauere his Neotericis quos impugnamus; quia illi tres non minorem actionem, sed diuersam à primâ productione requisiuerunt, quod longè aliud est; & quandocumque mutatur causa primò producens, necessariò habet locum ea doctrina Aureoli, vt benè ipse Suarez num. 9. in 2. concluſ. confirmat, & nos paulò antè in Conclusione nostrâ diximus.

Hanc sententiam Scripturæ & Patrum clarissimis testimoniis probant Suarez & Lessius citati. Sapientiæ 2. Spiritus Dei omnia continere dicitur. cap. verò 11. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod à te vocatum non esset, conseruaretur?* Ita Paulus ad Hebr. 1. de Filio docet, *Omnia portans verbo virtutis suæ.* ad Coloss. 1. *Omnia in ipso constant.* 89

Video hîc posse responderi, solùm his locis probari, Deum inadæquatè vt minimùm conseruare res, quod non negatur ab aduersariis, adæquatam autem conseruationem omnium non probari, cùm certum sit, multa etiam à causis secundis conseruari. Fateor, ita est; verùm negari non potest, his ipsis locis valdè clarè probari, non minùs pendere à Deo rem vt conseruetur, quàm vt primò fit. Vnde à solo Deo primò producitur, ab eo solo conseruabitur, quod ab aduersariis negatur, qui rebus ipsis inadæquatam se conseruandi virtutem tribuunt. 90

Venio ad Patres, qui clariùs rem hanc tradiderunt, & loca Scripturæ allata ad idem intentum ponderarunt. Chrysostomus Hom. 2. in Epistolam ad Hebræos, ait: *Non minus est continere mundum, quàm fecisse.* Quid iam hîc aduersarij? & ad hoc adfert illud Pauli, *portans omnia*, &c. Imò addit, quodammodò esse aliquid difficilius. Quæ eadem verba habet Ambrosius in eamdem Epistolam Pauli, & Chrysostomus Hom. 3. Idem repetit aliis verbis Anselmus in verba illa, *Omnia in ipso constant.* ait enim, eodem modo à Deo omnia contineri, sicut creata sunt: & hoc ipsum in Monologio c. 12. repetit. Et Augustinus suprà relatus de Genes. ad litteram lib. 4. c. 12. dicit, non contingere respectu Dei sicut respectu artificis, qui fabricatâ domo iam non eam tenet; sed Deum semper continuare productionem, ideoque dictum, *Pater vsque modò operatur.* Ambrosius 7. in Luc. c. 12. idipsum expressè docet. Omitto alios, qui non ita clarè loquuntur, vt explicari non possint. Nobis præfati sufficiant. 91

SVBSECTIO TERTIA.

Ratione efficaci vera sententia probatur.

ET quidem Primò valdè displicent hi Auctores, cùm de generali Dei concursu loquuntur: videntur enim ponere concursum vagum, qui de se sit indifferens ad hanc vel illã creaturam producendam, quod omnino improbabile censeo. Primò, si enim ille concursus est indifferens ad hanc vel illam creaturam, ergo quòd de facto terminetur ad hanc potiùs quàm ad illam, habebit per alium concursum superadditum; & sic dabitur actio actionis, & tunc primus ille non tam erit actualis concursus, quàm causa à quâ posteà oritur proprius concursus; cumque ille (vt aliunde suppono) distinguatur realiter à Deo, Deus non operabitur immediatè, sed per aliquid à se productum. Nec potest dici, eum determinari per actionem ipsius creaturæ; non, inquam, dici potest: nam actio creaturæ non est distincta ab actione Dei, vt suprà probatum est. 92

& licet distingueretur, adhuc actio Dei debet esse magis determinata ad effectum, quàm sit ipsemet Deus causans: nam ea actio, etiam prout sic distincta, est determinatio Dei ad operandum, ergo debet determinatè respicere hunc numero effectum. Secundò, is concursus actualis indifferens in eo displicet, quòd cùm posteà non ponatur in conseruatione vllus alius quo determinetur, quomodo poterit per concursum purè indifferentem conseruari res determinata & particularis?

Dicent: Quia ipsa etiam res se conseruat. Sed contrà, quia hæc non se conseruat per actionem aliquam ab ipsâ manantem, vt expresè hi docent; vbi est ergo actio determinata pro effectu illo determinato? vel cur illa actio, quæ est indifferens ad hominem & Angelum, conseruat magis Angelum quàm hominem? non enim ab homine aut ab Angelo aliquid oritur, vnde ea determinatio proueniat. Sed de hoc concursu in actu secundo indifferenti nunc satis, alibi enim ostendi, Dei concursum in actu secundo non minùs esse determinatum, quàm concursum ipsius creaturæ; solumque ideò dici indifferentem, quia in actu primo Deus suam omnipotentiam parat ad omnes effectus indifferenter.

93 Venio ad proprium punctum huius materiæ, & sic eam sententiam refuto Primò, Omnis causa est priùs naturâ suo effectu. Inde probamus, & probant etiam ipsi aduersarij, nihil posse seipsum primò causare, ergo nihil potest seipsum nec inadæquatè conseruare. Probo euidenter consequentiam: nam pro eo instanti conseruationis debet res, vt se conseruet vel teneat in suo esse, supponi iam existens; nihil enim præscindens ab existentiâ operatur physicè, aut resistit physicè, vt ex terminis notum est: quòd si priùs naturâ supponitur existens, iam eo ipso priùs naturâ supponuntur causæ necessariæ vt res illa existat, nihil enim existit à solâ causâ inadæquatâ; ergo in eo instanti iam est otiosa conseruatio sui ipsius, ergo res non tenet se, ne quidem inadæquatè; ergo debet teneri adæquatè à Deo non minùs quàm in primo instanti. Hæc ratio non solùm conuincit, non posse aliquid se inadæquatè conseruare per veram actionem, quod & hi, quos impugno, fatentur; sed nec per vnam quasi resistentiam vel tenentiam sui sine actione distinctâ. Nam vt aliquid in aliquo instanti resistat & se teneat, iam debet existere (nihil enim, vt dixi, non existens resistit physicè) ergo priùs naturâ iam supponitur conseruatum. Imò ob hanc rationem dixi in materiâ de Angelis, agens de eorum immortalitate, exigentiam Angeli ne destruatur, non posse esse ne destruatur pro eo instanti pro quo est exigentia; nam tunc iam supponitur existens, & consequenter etiam diuinitus repugnat illum non existere: vnde non potest petere ne destruatur in eo instanti, sed necessariò debet id petere pro aliis instantibus sequentibus, petendo scilicet in instanti A. ne destruatur in instanti B. Et hoc modo res sunt magis aut minùs durantes, prout in primo instanti quo existunt petunt pro pluribus aut paucioribus futuris durare. Hoc autem modo repugnat se conseruare etiam inadæquatè: quia licet hodie ego possim petere à Deo, ne me cras destruat, petitio enim potest esse in futurum; conseruatio tamen, aut influxus, aut tenentia sui, non potest esse in futurum, sed actio in hoc instanti dat esse pro solo hoc instanti, & ententia effectiua huius instantis non tenet formaliter in crastinum. Vnde vt teneat se in instanti A, debet in eo existere priùs naturâ; si autem existit priùs naturâ, iam datur adæquata eius causa, & consequenter nõ est locus, vt ipse effectus suppleat partem causæ. Neque in hac materiâ alia potest desiderari confirmatio.

Refuto Secundò, quia inexplicabile planè est, 94
in quo ea tenentia consistat: nihil enim reale vel modale à creaturâ ipsâ distinctum, ab eaque promanans assignant, virtualitatem autem quamdam distinctam alibi sæpè reieci fusè vt planè totius Philosophiæ destructiuam: illa enim tenentia est aliquid, & quod realiter potuit non existere existente creaturâ, vt de facto non extitit in primo instanti, ergo est aliquid realiter distinctum ab ipsâ creaturâ; ea enim quæ realiter separantur, realiter & non solùm virtualiter distinguuntur, alioquin vnde probabitur, hominẽ à lapide distingui plus quàm virtualiter? Sed de hoc alibi ex professo, ostendens nulli rei creatæ prædicata contradictoria posse cõuenire ab diuersas formalitates.

Tertiò displicet ea sententia, quia videntur hi 95
Auctores considerare aliquam abyssum, in quam res cadant dum corrumpuntur, conentur autem se tenere ne illuc labantur; alioquin vt quid terminis istis, *tenet se ne abeat in nihilum*, obscuratur res clara? Rogo enim, Vbi se tenet res, in quo loco, & quomodo? Si enim petit durare, petet etiam vt duret concursu Dei, & sic petendo, se conseruabit remotè, vt paulò antè dixi, proximè verò per eum concursum ei datum ob exigentiam ipsius: neque est necessarium ampliùs ibi quærere ex parte ipsius creaturæ concursum, aut quasi concursum.

Dices: Subtracto diuino concursu mediâ ex 96
parte, debet aliunde id compensari, ergo res tenet se. Sed contrà Primò, quia iam ibi supponis quod deberes probare, scilicet Deum minuere suum concursum, hoc enim tibi negatur.

Deinde rogo, an ille medius concursus sufficiat ad detinendam rem extra causas, an non. Si non, ergo res illa peribit, nec se tenebit, vt si aui abscindatur vna ala. Quòd si ille concursus sufficit ad conseruandam rem, ergo non est necessum emendicare alium à se.

Dices: Ferrum suâ duritie resistit ne igneſcat, 97
ergo etiam creaturæ resistent ne destruantur. Respondeo, nec à me nec ab vllo negari resistentiam, aliter tamen explicari quàm ab his: ego enim (vt iam tetigi) resistentiam in eo pono, quòd res vt conseruetur, petat vel ne intret contrarium, vel vt ei detur concursus adæquatus; hoc tamen non petit pro instanti in quo est petitio, vt dixi suprà, quia tunc non potest destrui, sed pro sequentibus. At per hoc non se conseruat, sed petit ab alio conseruari; vnde alter eam conseruans debet non minus ei dare, quàm si daret non exoratus. Hoc modo explica eam resistentiam & conseruationem, erimusque contenti.

Ratione à priori rem totam concludo, suppo- 98
nendo (quod certissimum est, & sæpè dixi) respectu instantis C. v. g. omnino se habere per accidens, præcessisse aut non præcessisse rem in instanti B. vnde suprà ostendimus, non sufficere existentiam præcedentem ad operandum de præsenti.

senti. Ex quo sic argumentor: Per existentiam creaturæ in instanti B, quod pono esse primum, nihil magis additur illi respectu instantis C, quàm si non fuisset producta in instanti B: sed si non fuisset producta in instanti B, non posset existere in instanti C, nisi in eo adæquatè acciperet esse à Deo, aut aliâ causâ; ergo licet illud acceperit in instanti B, tamen, vt illud conseruet in instanti C, necessarium est in eo illud à Deo accipere adæquatè. Confirmatur, quia si quis manu teneat lapidem in aëre per instans A, non ideò lapis conseruabitur per instans B, ablatâ manu, quia præcessisset sustentationem illius pro instanti A, (tam per accidens se habet ad instans B, ac si non præcessisset) ergo similiter accepisse creaturam esse à Deo pro instanti A, non sufficit vt existat pro instanti B, nisi etiam in ipso à Deo conseruetur adæquatè.

Alias huius sententiæ impugnationes, quę fortè possent terminis eludi, omitto, hæ nobis sufficiant. 99

Hinc infero Primò: Si eædem causæ conseruẽt quæ primò produxerunt, eamdem durare actionem, non enim est necessarium eas mutare; vnde eadem actione Angelus & anima à Deo conseruantur quâ producti sunt: si verò vna causa mutetur aliâ succedente, vel in vnam totum deuoluatur, eam debere nouo influxu, & quidẽ ex parte ipsius fortiori concurrere; debẽt enim esse tam potens ab illâ solâ, quàm anteà fuerat ab vtraque.

Infero Secundò: Si Deus necessariò inadæquatè influit in primam omnium rerum productionem, de quo Disputatione sequenti, necessariò etiam debere eas saltem inadæquatè conseruare, & hoc vt minimum videtur esse de Fide, ex locis Scripturæ Subsectione 2. allatis.

DISPVTATIO DECIMA.

De Causâ primâ efficiente.

SECTIO I.

Datur Causa prima immediatè concurrens cum omnibus causis secundis.

SVBSECTIO PRIMA.

Quædam supponuntur.

1 PONENDVM ergo Primò est, dari aliquam causam primam, quæ à nullâ aliâ producatur, & à quâ omnes accipiant esse. Quod vel inde euidenter suadetur, quia cùm nihil possit seipsum primò producere, nec duæ res mutuò se inuicem quoad primum esse causare possint, iuxta suprà dicta, necessariò deueniendum est ad aliquam quæ improducta sit, & origo reliquarum; sicut in omni serie rerum necessariò deuenitur ad aliquod primum principium illius ordinis, v.g. in familiis, Religionibus, &c.

Confirmo. Sumo totam collectionem rerum existentium, & rogo, Vel tota hæc collectio producta est, vel non? Si non, ergo aliquid est improductum, quod contendo. Vlteriùs, Vel ab hoc improducto cetera, quæ manent in eâ collectione, oriuntur, vel non. Si oriuntur, teneo iam totum meum intentum, esse vnum Deum improductum, à quo cetera emanant. Si verò ab illo 2
non emanant cetera, iam separo illud ab eâ collectione, & rursus de eâ rogo idem quod de primâ, & debebis mihi deuenire ad vnum improductum à quo cetera proueniant, vel debebis respondere, omnia illa esse producta, quæ erat altera responsio ad meam primam interrogationem. Sed hæc facilè impugnatur: quia si tota collectio est producta, rogo, An ab alio? Si annuas, teneo intentum. An à se ipsis? hoc autem repugnat, quia sequeretur, vel idem esse causam sui ipsius, vel duo se mutuò producere quoad primum esse mediatè vel immediatè, quod omnino repugnat. Dicendum ergo est, aliquod ens esse, quod & improductum sit, & à quo cetera incipiant, siue omnia immediatè ab eo siue mediatè fiant: hæc enim est alia quæstio, de quâ posteà. Denique veritas hæc passim in Scripturâ continetur, & in Symbolo Nicæno, vbi dicitur: *Vnum Deum, factorem cæli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium*, &c. de quo vix est iam qui dubitare possit, nisi stultus aliquis. 3

Secundò ex dictis Disputatione præcedenti supponendum est, Deum non solùm primò producere creaturas, sed etiam eas conseruare, & quidem tanto influxu & tam determinato, quanto eas primò produxit; sæpè etiam maiori, quando succedit loco alicuius causæ creatæ, quod argumentis generalibus de omni conseruatione Vbi suprà probatum est.

Posset autem hìc dubitari, an hæc conseruatio positiua suadeatur etiam specialiter ex Dei dominio erga creaturas. Videó communiter ita sentiri: si enim eas non tenet ipse suo positiuo influxu, quomodo illas poterit annihilare? Arbitror tamen hoc argumentum non esse ad modum efficax; posset enim dici, eas, vt conseruentur, pendere vt à conditione à permissione Dei, ideò Deo nolente illas eo ipso perire.

Sed replicabis: Tam parum videtur tunc Deus posse erga eas creaturas, quàm Angelus erga meam animam: quia enim hic eam non conseruat, siue ipse velit siue non, illa durabit. Neque etiam potest Deus, ponendo contrarium aliquod, eas creaturas destruere, tum quia multæ contrario carent, tum quia contrarium nõ potest poni, nisi quando alterum est corruptibile: sed Deus creaturam non potest destruere, quia illam non conseruat, ergo non potest ponere contrarium. 4

Facilè respondeo, sæpè rem aliquam, vt existat, pendere ab aliâ non vt à causâ, sed vt à conditione. Sic non potest ignis primò produci nisi à passo applicato, cùm tamen applicatio non influat. Sic amor non potest dari, nisi detur cogni-

tio, quæ in probabiliori sententiâ non influit physicè in amorem. Et hoc ipsum in multis aliis conditionibus cernere licet. Non ergo debet alicui mirum videri, posse à Dei voluntate creaturas, vt conseruentur, pendere vt à conditione, licet Deus in eas non influeret positiuè.

5 Quod de Angelo obiicitur, non est ad rem: licet enim aliqua res pendeat ab aliâ vt à conditione, non propterea debet ab omnibus pendere; ergo licet anima nostra penderet à Dei voluntate vt à permittente, non sequeretur, etiam pendere ab Angeli voluntate. sicut nec sequitur, *anima causatur à Deo, ergo debet etiam ab Angelo causari.* Standum ergo rationibus Disputatione præcedenti factis.

Dubitari hîc etiam posset, an Deus queat saltem diuinitus creaturarum conseruationem alteri committere. Hæc quæstio coincidit cum difficultate Subsectione 2. tractandâ, an scilicet Deus debeat ad omnes res creatas earumque effectus immediatè concurrere; ideò ibi commodiùs expedietur. Iam solùm aduerto, etiamsi conseruationem cuiuslibet in particulari posset alteri com-
6 mittere, non tamen omnium simul. Ratio est manifesta, quia cùm (vt suprà ostendimus) non possit esse mutua causalitas, quæ tamen daretur, si Angelus conseruaret hominem, & hic Angelum, quæ eadem esset, etsi v. g. homo leonem, leo equum, equus posteà hominem conseruaret. Deueniendum ergo necessariò ad vnum est, qui à solo Deo conseruetur.

Secundò aduerto, ratione facilè suaderi, à Deo immediatè de facto conseruari omnes substantias (quidquid sit de possibili;) quia non potest assignari de facto vlla causa creata conseruans me, quæ semper mecum alligata pergat quocumque ego moueor, ergo solus Deus me immediatè conseruat.

SVBSECTIO SECVNDA.

Deus immediatè concurrit cum causis ad earum effectus.

7 SECVNDA difficultas est, vtrùm Deus immediatè concurrat non solùm ad conseruationem substantiæ, sed etiam ad omnes illius operationes. Hæc difficultas rursus duplex est: prima, an de facto ita fiat; secunda, an diuinitus saltem possit aliter fieri. De primâ in hac Subsectione, in sequenti de secundâ.

Durandus in 2. distinct. 1. quæst. 5. & dist. 37. quæst. 1. negauit concursum immediatum Dei ad actiones substantiæ: cuius sententia ab omnibus vt erronea reiicitur, ideoque opposita vt vera tenenda est: cuius Auctores, & Scripturæ loca quibus suadetur, videatur apud P. Suarez Disputatione 22. Metaphysicæ, sect. 1. nobis vnus vel alter sufficiat.

Primum testimonium est Isaiæ 26. *Omnia opera nostra operatus es nobis.* & Ioan. 5. *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor.* Actor. 17. *In ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus.* Ergo motus & operationes vitales sunt immediatè à Deo, iuxta Paulum.

8 Dicunt nonnulli, hæc loca facilè posse exponi de voluntate Dei necessariâ, vt creatura operetur, nec ex illis adstrui immediatum influxum: postea verò iidem docent, sententiam negantem, Deum de facto immediatè concurrere ad actiones causarum creatarum, esse planè hæreticam. Quod probant ex Augustino, afferente pro hac sententiâ illum locum Ioannis, *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor.* Quæ duo non videntur cohærere, dum priùs docent illum locum, & alia quæ afferuntur, nihil probare de immediato influxu, iam verò ex illis locis dicunt esse de Fide, Deum de facto immediatè influere: ergo iam dicunt, hæc loca esse efficacia, quod priùs negauerant. Nec possunt respondere, à se solùm negatum, eis locis omnium rerum immediatam productionem à Deo probari, de aliquibus verò id libenter à se admitti: non, inquam, hoc possunt dicere, Primò, quia si semel admittatur, in eis locis sermonem esse de immediatâ productione, cùm ibi dicatur *omnia opera nostra*, debet de omnibus concedi, vel tenentur fateri, ex eo loco de nullâ operatione suaderi, immediatè eam esse à Deo. Addo, ipsos expressè de omnibus operationibus docere, eas esse immediatè à Deo, ex prædictis locis.

Contrà Secundò, quia ob hoc testimonium è 9
D. Ioanne docent ipsi, esse hæreticos illos, qui etiamsi substantiarum productionem immediatè Deo tribuant, addunt tamen Deum eis permisisse generationes & operationes, quæ est Durandi mens, & quem hi volunt à censurâ ex illis locis liberare. Iam autem, sub antiquorum licet nomine, re tamen, Durandi opinionem damnant vt hæreticam, ex eisdem locis. quâ consequentiâ, ipsi viderint.

Ego autem suprà & hîc addo, hæc loca posse vtcumque explicari sine immediato influxu, vel quia Deus conseruat & disponit causas omnes immediatas, vel quia permissio ipsius est necessaria conditio vt causæ immediatæ operentur. Loca ergo Scripturæ non faciunt conclusionem de Fide, sed summùm longè probabiliorem.

Ratione probatur à nonnullis hæc sententia: 10
quia nisi Deus immediatè concurrat cum causis secundis, non posset earum operationes impedire, relictis in rerum naturâ causis, & applicatione illarum; quod tamen falsum esse constat: nam ignem Babylonicum impediuit Deus, ne ageret in tres pueros, & tamen non destruxit illum. Hoc argumentum facilè posset à Durando solui, asserendo, causas creatas pendere in suis operationibus, vt à conditione sine quâ non, à permissione Dei, idque oriri ex subordinatione creaturæ ad Deum. Sicut enim causa pendet ab approximatione, quæ tamen nihil operatur, cur non pendebit, vt à conditione, à Dei permissione? Vnde eo ipso quòd Deus nollet causas secundas operari, illæ non operarentur defectu conditionis.

Quòd si dicas, creaturam operantem non posse cognoscere eam voluntatem Dei, vt cesset ab operatione; facilè respondebitur, id non esse necessarium vt desistant ab operatione: sicut vt ignis deficiente approximatione non operetur, nequaquam requiritur eum cognoscere defectum approximationis, sed in re hanc deesse, cùm aliunde 11
sit conditio requisita: ergo si permissio Dei sit conditio requisita ad operandum, quantumuis eius defectus non cognoscatur à causâ creatâ, nihilominùs deficiente eâ permissione, non poterit causa operari.

Dicunt aliqui, commodè non posse intelligi sine

sine immediato influxu eam dependentiam creaturarum à Deo in operando: & vt id ostendant, fusè explicant, quomodo nec in brutis per sympathiam sine immediato influxu animæ sentientis in capite, fiat motus in pede. Ego illis admitto, quod de motu animalis dicunt, de quo suo loco, nego tamen minùs commodè intelligi, quomodo creaturæ in operatione pendeant à permissione diuinâ si Deus non operetur, quàm quomodo ignis pendeat ab approximatione, quæ tamen non influit in calefactionem. Fortè viderunt hanc solutionem satis esse claram, ideò posteà hoc argumentum debile esse ostenderunt, admittentes hanc dependentiam, vt à conditione, à permissione Dei, quâ nos eis respondimus.

12 Dicunt alij, approximationem ideò requiri, quia tollit impedimentum distantiæ, at permissionem diuinam nullum impedimentum tollere; ergo non potest requiri. Sed hi ludunt in verbis, quia *distantia* nihil est nisi carentia approximationis; vnde tollere impedimentum distantiæ in re, nihil est aliud, quàm ponere approximationem requisitam ad operandum, quo sensu etiam permissio Dei tolleret impedimentum carentiæ permissionis. Vide tamẽ occasionem huius æquiuocationis horum Auctorum: quia enim *carentia permissionis* non explicatur vno verbo, sicut carentia approximationis nomine *distantiæ*, ideò hi putarunt se aliquam in re dedisse disparitatem, quam non dedissent, si carentia permissionis dicta v.g. fuisset *resistentia*; tunc enim proculdubiò dixissent permissionem auferre impedimentum *resistentiæ*.

13 Secundò probatur ab aliis, quia modus operandi sequitur modum essendi: sed creatura in essendo dependet à Deo, ergo & in operando. Neque hoc argumentum vrget, quia duratio v. g. & vbi, dependent in essendo à subiecto, item calor & frigus, &c. & tamen non concurrit subiectum ad operationem caloris in passo, neque ad productionem specierum quas emittunt duratio & vbi, & accidentia sensibilia. Et si vis clariorem instantiam, forma ignis pendet à materiâ in essendo, & tamen materia non concurrit immediatè ad actiones formæ ignis; ergo non quia creatura dependet à Deo in essendo, ideò sequitur Deum immediatè cum illâ productum illius operationem.

14 Tertiò, quia omnis effectus & actio causæ creatæ propriè & immediatè in se sunt creaturæ, ergo immediatè & propriè debent dependere à Deo. Sed neque hoc argumentum vrget, quia creatura solùm dicit in suo conceptu esse ens ab alio; hoc autem formalissimè habet, eò quòd à Deo saltem mediatè producatur; ergo immediatus influxus Dei in creaturas non infertur ex con-
15 ceptu creaturæ. Iam addo, neque mediatam creaturæ dependentiam à Deo inde inferri: si enim per impossibile non repugnaret mutua causalitas, & creaturæ sese inuicem producerent, nullaque à Deo immediatè proueniret, adhuc in illis saluaretur conceptus creaturę tam perfectè, quàm saluetur iam; essent enim tunc non minùs quàm iam entia defectibilia, & non à se, sed ab alio. quomodo ergo immediatus Dei influxus in operationes nostras ex conceptu creaturæ suadebitur, quando nec suadetur mediatus?

Quartò idem probant alij, quia nulla est entitas creata, cuius Deus non sit vera & propria causa: sed causa remota non est propriè causa, ergo debet Deus immediatè in omnes entitates creatas influere. Sed hi Auctores in maiori proportione supponunt eam doctrinam quam debent probare, & de quâ est quæstio, quidquid sit de Minori, quæ fortè falsa est.

Omitto alia argumenta, quæ facilè possunt 16
solui, eò quòd vel petunt principium, vel tantùm nituntur verbis, vt scilicet, quòd sequeretur, multas esse causas primas, quia quælibet operaretur sine dependentiâ à Deo. Respondeo enim, causam primam dici illam, non quæ operetur immediatè sine aliâ, sed à quâ omnes incipiunt, & ipsa à nullâ: hoc autem non haberet ignis, etiamsi sine immediato Dei concursu calefaceret. Aliud verò, desumptum ex eo, quòd non esset qui determinaret ad indiuiduationem, cùm causa esset indifferens ad multos effectus numero distinctos, etiam nullum est: quia si (vt dixi suprà) posset creatura dependere à permissione Dei, licet Deus immediatè non operaretur, posset etiam pendere ab eo, quòd permitteret hoc potiùs indiuiduum, quàm illud. Vel tunc posset habere locum communis Thomistarum doctrina, quam & P. Vasquez aliique sequuntur, indiuiduationem determinari à circumstantiis loci, temporis, passi, &c. quo posito, non esset necessaria altera specialis determinatio Dei.

Fateor, valdè difficulter posse ratione probari, 17
contra Durandum, immediatum Dei influxum in omnes effectus causæ creatæ. Probabilior ratio quæ potest fieri, desumitur ex perfectissimo dominio Dei in creaturas, quod videtur exigere vt Deus immediatè in eas influere possit, easque immediatè annihilare. Dicunt nonnulli, Deum sufficienter esse Dominum, eò quòd potuerit eam creaturam non producere, etiamsi eâ semel productâ non posset impedire eius operationem: sicut in meâ sententiâ potest esse aliqua res per suammet essentiam durans per aliquod tempus, quæ semel producta non posset à Deo annihilari. Sed contrà, quia ex genere suo perfectius dominium est quod simul est mediatum & immediatum, quàm quod solùm est mediatum, vt ex terminis constat: Deo autem debemus perfectissimum dominium tribuere, quod possumus. Instantia autem è meâ sententiâ desumpta, non est ad rem, quia ibi Deus, etiamsi eam creaturam semel productam annihilare non posset, tamen ea necessitas esset præcisè consequens ex suppositione quòd eam creasset, quæ necessitas non derogat perfecto dominio: sicut licet ex suppositione, quòd Deus me producat in instanti A, non possit me destruere in eo instanti, non propterea eius dominio vllo modo derogatur, quia est necessitas præcisè ex suppositione.

Replicabis, exemplum non esse ad rem, quia in 18
eo solùm est sermo de vnico instanti A, in quo suppositio existentiæ omnino debet esse consequens ad illud instans. At in casu argumenti loquimur de diuersis instantibus, in quibus existentia in vno, v. g. hodierna, non est suppositio consequens ad existentiam crastinam, sunt enim diuersæ durationes; ergo si ex vnâ Deus determinatur ad aliam, non determinatur ex suppositione omnino consequenti. Ratio est, quia non solùm in instanti A. sed nec posteà posset

Deus

Deus eam creaturam destruere, ergo in aliis instantibus nō habet hoc immediatum dominium, & tamen casus à me admittitur; ergo ex immediato dominio nihil infertur de concursu immediato Dei. Huic replicæ respondeo facilè, eam
19 substantiam per eamdem indiuisibilem durationem duraturum in vno ac in altero instante; duraret enim vel per vnicum accidens distinctum, essentialiter alligatum toti illi tempori, vel, vt supponis, per suammet essentiam; vnde duratio hodierna & crastina omnino esset eadem; ideoque idem esset, illam supponi existentem hodie, ac supponi durantem eras vel postridie: & sicut ea duratio non est suppositio antecedens ad hodiernum instans, ita nec ad crastinum, vnde & suppositio durationis perinde esset, ac si in vnico tantùm instanti existeret, ideoque esset omnino consequens. Et hinc tandem fit, vt necessitas ex illâ proueniens, non derogaret immediatæ libertati, & dominio Dei. At existentia causæ est quid distinctum ab operatione illius: vnde si Deus non habet dominium in operationem, nisi quatenus in causam, est dominium solùm mediatum.

20 Meliùs posset argumentum à me suprà factum infringi ex dictis etiam à me suprà, scilicet Deum, etiamsi non concurrat immediatè, posse tamen dominium immediatum in illas habere, eò quòd penderent in operationibus suis, vt à conditione immediatè requisitâ, à permissione diuinâ, ratione cuius immediatè posset impedire vel efficere, vt existerent tales operationes, non attingendo causas ipsas in se.

21 Quam ergo rationem pro immediato Dei concursu reddemus? Dico, illum de facto concurrere immediatè, quia suppositâ non-repugnantiâ in tali concursu, quam statim monstrabo, & cùm Scriptura illū videatur significare, consentiantq; Patres Ecclesiæ, & tandem fere omnes Scholastici Doctores, videtur hæc efficacissima probatio (vt sæpè dixi) pro quæstionibus de facto. Quid autem de possibili? an scilicet repugnet aliqua creatura, quæ operari possit sine immediato Dei influxu, dicetur Subsectione 3. Iam solùm aduerte, etiamsi quælibet ex adductis rationibus non sit efficax, omnes tamen simul sumptas satis probabiliter ostendere eum immediatum concursum: eo enim posito, quæ suprà obiecta sunt explicantur meliùs quàm sine illo, etiamsi vtcumque possint aliter absolutè intelligi; præsertim cùm Durandi obiectiones nullæ prorsus sint, vt iam ostendo.

22 Obiicit ergo Primò: Calor v.g. est sufficientis virtutis vt alium calorem producat, est enim tam perfectus quàm ille, ergo non indiget concursu Dei ad producendum illum. Respondeo, concedendo, calorem producentem esse æqualem in perfectione calori producto, nego tamen inde sequi necessariò eum habere sufficientem virtutem ad producendum se solo aliū calorem: sicut enim Angelus v.g. quantumuis sit æqualis in perfectione alteri Angelo, non tamen potest illum neq; inadæquatè producere; ita non sequitur, eò quòd calor sit alteri calori æqualis, posse illū adæquatè. imò neque inde sequitur, vel inadæquatè posse illum producere. Quòd si illū inadequatè producit, non probatur id ex æqualitate in perfectione, sed experientiâ; hæc autem non docet, nec potest docere, illum produci sine concursu Dei.

Obiicit Secundò: Si causa prima concurrit 23
cum secundâ, ergo vtraque est causa partialis. nequit autem Deus esse causa partialis, tum quia id dicit imperfectionem, tum quia vnus effectus nequit oriri à duplici causâ partiali, totus enim oritur à qualibet, vnde altera superflua est. In primis hoc argumentum vrget ipsum Durandum, qui licet neget Deum concurrere ad operationes substantiæ simul cum causâ creatâ, admittit tamen ad productionem primam formæ materialis substantialis Deum concurrisse vt causam efficientem, materiam verò vt materialem; eo autem casu Deus est causa partialis, & tamen inde in illum nulla refusa est imperfectio. Præterea, in eo casu effectus totus oritur à qualibet causâ, quin altera superflua sit, ergo. Imò hoc vltimum quotidie contingit etiam in sententiâ Durandi, quia intellectus simul cum speciebus concurrit ad intellectionem. Item materia & for- 24
ma substantialis concurrunt ad eductionē formæ materialis, intellectus & habitus supernaturalis, item voluntas etiam cum habitibus supernaturalibus, ad actus supernaturales; ergo negare nequit, posse esse duas causas partiales eiusdem effectus. Argumento ergo respondeo, in Deo non dicere imperfectionem, concurrere partialiter ad effectus, vel quia ipse attemperat suum concursum ad libitum, quod non arguit imperfectionem; vel quia ipsi effectus ex essentiâ suâ petunt necessariò simul oriri ab aliquâ causâ creatâ, quales sunt omnes actiones causæ creatæ, & in aliquorum sententiâ actus intellectus & voluntatis. neque hoc arguit in Deo defectum virtutis, sed in actionibus necessariam connexionem & cum Deo, & cum causis creatis. Ad confirma- 25
tionem respondeo, etiamsi totus effectus à qualibet causâ oriatur, non tamen à qualibet oriri sufficienter & totaliter, sicut diximus in simili de cognitione, scilicet, quamlibet attingere omnes formalitates sui obiecti, non tamen totaliter. Vt autem superflua esset secunda causa, necessarium erat, primam non solùm producere totum effectum, sed etiam totaliter. Vnde rursus dicendum eo ipso quòd vna deficiat, alteram non posse totum effectum neque partialiter producere: sicut è duobus equis v. g. potentibus simul rhedam & in eâ magnum aliquod pondus trahere, non respondet cuilibet equo dimidia pars illius ponderis, sed totum cuilibet, quia in totum pondus quilibet imprimit impulsum, sed non totaliter; vnde vnus sine altero nullo modo poterit illud mouere. Idem dicendum est de causis partialibus.

Tertiò obiicit: Si Deus concurrat cum volun- 26
tate nostrâ ad actus liberos, non relinquet libertatem, quia non est in meâ manu, vti concursu Dei, ergo. Sed respondeo, negando Antecedens. Ad probationem respondeo, Deum suam omnipotentiam ita applicare & ponere in meâ potestate, vt possim non minùs liberè eâ vti ad amandum vel odio habendum, quàm possum vti habitu vel specie impressâ. Qualis autem sit ea voluntas quâ id Deus vult, dicam Subsectione 5.

Quartò obiicit: Operatio causæ materialis 27
non pendet à Deo, ergo iam actio aliqua causæ secundæ non pendet à Deo. Respondeo, eam operationem pendere à Deo immediatè, non vt à causâ materiali, quia hoc argueret imperfectionem

nem in Deo; sed vt à causâ efficienti: vt enim suprà dixi, eadem entitas, quæ est passio, & pendet à causâ materiali, est etiam actio, & pendet ab efficienti primâ, & à secundâ, si quæ sit.

SVBSECTIO TERTIA.

An possit Deus pro libitu cessare à concursu immediato in actiones creaturæ, substituendo aliam causam in vicem sui.

28 Hæc est secunda pars difficultatis suprà tactæ, & quidem ardua valdè, vt ex totâ præcedenti Subsectione manifestè constat: est enim ferè idem cum præcedenti, differt tamen in hoc, quòd ibi quærebatur, an naturaliter omnes creaturæ operationes immediatè à Deo petant oriri; hîc autem adhuc minus quæritur, an scilicet, licet id petant ex naturâ suâ, possit tamen Deus diuinitus hunc concursum suum alteri committere. Hanc olim tetigi, sed valdè breuiter; quam video posteà ab aliis fusiùs tractatam, inter quos Hurtadus Disputat. 10. à §. 28. qui §. 33. docet, sententiam affirmantem, posse Deum alteri hunc immediatum concursum permittere, nullo argumento firmo impugnari, propter censuras tamen Scholasticorum non tenendam; in contra-
29 riam ergo ipse inclinat. Alij verò aliquantò audaciores in neutram se determinant, qui præterea sic confirmant affirmatiuam partem: nam concursus Dei per modum obiecti in ordine ad visionem beatam, est proprius ipsius Dei, non minùs quàm concursus causæ primæ; sed iuxta meliorem Theologorum sententiam potest diuinitus dari species impressa, vel qualitas aliqua quæ concurrat vice Dei vt obiecti; cur ergo non poterit esse aliqua vel qualitas, vel substantia, quæ vice Dei, vt causæ primæ, concurrat ad effectus creatos, vel ad omnes, vel si hoc tibi videtur nimium pro vnâ qualitate, aut substantiâ creatâ, ad aliquos saltem? Hoc argumentum facilè solui potest, quia concursus obiecti in ordine ad cognitionem ita est proprius obiectorum, vt tamen videamus in aliis obiectis sæpè fieri per vicarium & substitutum: nam color id præstat per speciem à se distinctam, item sonus, &c. & hinc quoad hunc concursum inferimus, in Deo etiam posse saltem diuinitus per speciem intermediam præstari; tum etiam, quia de facto, licet abstractiuè, per intermediam tamen speciem cogno-
30 scitur. At concursus causæ primæ ita est proprius Dei, vt nihil simile videamus in creaturis, nec sit in eis experientia, vnde vel à simili argumentari & inferre possimus, Deum posse illum alteri delegare. Imò rationes suprà allatæ, ad probandum, ad Deum naturaliter spectare talem concursum, quales sunt quæ desumuntur ex conceptu creaturæ, ex immediato Dei dominio, &c. eodem modo probant in ordine ad potentiam absolutam, ac de facto & naturaliter; ergo non est bonum argumentum à specie impressâ Dei ad qualitatem supplentem concursum causæ primæ.

Arguunt Secundò: Posse producere, est quidem perfectio in Deo; at actu producere, est extrinsecum, & nullam ponens in Deo perfectionem, ergo diuinitus poterit hoc à Deo abesse. Sed contrà, quia ego non dubito, Deum posse non operari ad extra, etiam naturaliter, & hoc probat tua obiectio: est autem difficultas, an etiam, casu quo res sit, possit non produci immediatè à Deo. Dicent enim aduersarij facilè, esse maio- 31
rem perfectionem in Deo, non posse creaturam esse sine influxu Dei, quàm posse esse sine illo; quia sic Deus est magis illarum Dominus. vnde vlteriùs infertur casu quo existat, necessariò debere à Deo immediatè produci; sicut absolutè potuit Deus esse, licet non videret Petrum futurum, si hic non existeret, ac casu quo existat, si id à Deo ignoretur, magna erit imperfectio in ipso.

Pro parte verò oppositâ id negante sic iidem arguunt: si enim Deus produceret qualitatem loco sui concurrentem, ea deberet supernaturali influxu concurrere vice Dei. At influxus supernaturalis non posset benè cohærere cum influxu naturali causarum secundarũ, ergo repugnat talis causa. Sed hoc argumentum est valdè debile; quia quotiescumq; eleuantur causæ naturales ad influendum supernaturaliter, præsertim in nostrâ sententiâ de potentiâ obedientiali, & in omni etiam quando vna causa naturalis simul influit cum aliâ supernaturali, cohæret causa naturalis cum influxu alterius causæ supernaturalis. Respon- 32
dum ergo ab omnibus, in illo casu influxum illum, etiam qui oriretur à causis naturalibus, futurum supernaturalem; idemtificaretur enim cum influxu causæ supernaturalis. Vnde solùm probatur, quod nos intendimus, scilicet in eo casu non operaturas eas causas naturaliter, eò quòd non haberent comprincipia quæ petunt, sed aliud diuersum supernaturale vice connaturalis. hoc autem quid absurdi continet? Ego in hac quæstione fateor me non inuenire repugnantiam, tamen quia per hoc minuitur quodammodò dependentia creaturarum à Deo, putarem id non posse fieri, & quia malè apud Theologos audit sententia Durandi, quam iste modus dicendi videtur olere.

SVBSECTIO QVARTA.

Variæ sententiæ de causalitate Dei in peccatum.

PRÆCIPVVM Durandi fundamentum ad con- 33
cursum immediatũ Dei in actiones causæ secundæ auferendum, desumitur ex eo, quòd Deus non sit causa peccati; quod & posteà definitũ est in Tridentino Sessione 6. Canone 6. *Si quis dixerit, mala opera ita vt bona Deum operari, non permissiuè solùm, sed etiam propriè, & per se, adeò vt sit proprium opus eius non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli, anathema sit.* Atqui si Deus immediatè concurrat cum voluntate ad illius operationes, non minùs videtur esse causa peccati quàm sit ipsa voluntas, cùm æquè immediatè & per eamdem actionem concurrat ad actum peccaminosum, ergo vt liberetur Deus à causalitate in peccatum, negandus erit ei immediatus concursus in operationes causæ secundæ.

Non-nemo è recentioribus valdè inclinat ad negandũ, Deum immediatè concurrere in actiones peccaminosas, probatque id traditum ab Origene, Hugone Victorino, & Augustino, etiam à multis ex Scholasticis approbatum, ab aliis verò iudicatum vt probabile.

Sed

34 Sed quidquid de censurâ sit, consequenter ad nostram doctrinam ea sententia sustineri nequit: diximus enim, eumdem numero actum posse de necessario in liberum transire; vnde euidenter infertur, vel Deum etiam non esse causam physicam aliorum actuum, licet peccata non sint, cùm idem actus iam sit peccatum, iam non; vel Deum esse etiam causam physicam actus peccaminosi modo à nobis explicando. Imò, licet libertas sit essentialis actui, ideoque actus liber odij de Deo differat à necessario essentialiter, ægrè explicatur quomodo ea potentia ex se solâ possit illud odium liberum facere, & non possit quando est necessarium, sed tunc indigeat concursu Dei in tale odium, non enim physica entitas illius videtur magis indigere concursu Dei, eò quòd sit liber, quàm si necessarius foret.

Tenenda ergo est communis Theologorum sententia de concursu Dei immediato etiam ad actum peccaminosum, cuius oppositam S. Thomas dicit proximum errori, in eamque censuram multi alij conspirant: & Concilium Tridenti-
35 tinum Sessione 6. & Canone 6. dum causalitatem Dei in peccatũ negat, videtur supponere, Deum aliquo modo influere in eum actum, propterea dixit, *malaita vt bona*, &c. ergo supponit vtrobique aliquam causalitatem, sed in vno maiorem, in alio minorem. Origenes autem verbis allegatis à P. Hurtado Disputat. 10. §. 35. æqualiter loquitur de bono & malo opere: sicut enim dicit, ad nos spectare, motus ad malum conuertere, ita etiam dicit & conuertere ad bonum, quo tantùm vult libertatem nostram explicare. Augustinus videtur ibi supponere, peccatum esse nihil, & ideò non produci à Deo, itaque puto ab antiquioribus Patribus quæstionem hanc in terminis non fuisse excitatam; vnde pro sententiâ Durandi parum ex eis potest afferri. Sed iam ad soluendum argumentum contra nos factum reeamus.

36 Vt Deum non esse causam peccati ostenderent Doctores, varias inière vias & modos difficultatem explicandi, quos omnes nec possumus nec necessarium est in præsenti impugnare: insinuabo vnum vel alterum ex præcipuis, & posteà subiungam veriorem.

P. Suarez, Salas, & multi alij recentiores dixerunt, rationem formalem malitiæ in peccato nihil esse positiuum, sed priuationem quamdam debitæ rectitudinis, consecutam ex actu; vnde cùm nihil sit peccatum, non mirum si à Deo non causetur. Non volo hîc disputare in quo consistat formalis ratio peccati, esset enim saltare valdè procul extra chorum; sed breuiter tibi ostendam, ad soluendam præsentem difficultatem, eam sententiam de priuatiuo nihil conducere. Id autem sic ostendo: Priuatio non aliter fit, nisi producendo entitatem physicam ad quam consequitur, per se enim non datur actio ad priuationem: sed Deus producit, & est causa entitatis physicæ, ergo & priuationis consecutæ ad
37 illam. Confirmo: ipsemet homo peccans non aliter est causa peccati, seu malitiæ illius moralis, aut priuationis, quàm producendo hîc & nunc actum illum, quem consequitur ea negatio; sed Deus etiam producit actum illum & eadem actione quâ ipse homo, ergo Deus quoad hoc erit eodem modo causa peccati, ac homo ipse.

Dices: Priuatio illa consequitur illam operationem positiuam, non vt est opus Dei, sed vt est opus creaturæ, & consequenter Deus non est causa priuationis consecutæ, sic verò ipse homo. Sed contrà, quia vel operis ipsius positiui Deus est aliter causa quàm sit ipsa creatura, vel non. Si est, ergo propter eam diuersitatem circa ipsummet actum positiuum, non recurrendo ad priuationem, poteris explicare quomodo Deus non sit causa peccati, sic verò creatura; ergo priuatio parum te ad hoc iuuat. Si verò dicas, eodem modo Deum esse causam operis positiui ac ipsum hominem, repugnat, vt priuatio consecuta ex eâ operatione, sequatur ex illâ prout est opus creaturæ, non verò prout est opus Dei, cùm
38 eodem modo per te sit opus vtriusque. Contrà Secundò, ratione à priori, quia istæ reduplicationes *prout*, & similes, non sunt à parte rei, sed sunt nostri intellectus explicatio & considerationes. Veniendo autem ad rem ipsam, quando voluntas peccat, peccato odij v. g. contra Deum, priuatio rectitudinis non aliter consequitur ad operationem voluntatis, nisi quia hæc produxit hîc & nunc hoc odium positiuum prohibitum: atqui etiam Deus produxit hîc & nunc illud idem odium, ergo eodem modo ex operatione Dei sequitur malitia, ac ex operatione positiuâ creaturæ.

Dices vlteriùs: Illud odium non erat prohibitum respectu Dei, sic verò respectu creaturæ.

Sed contrà Primò, quia hoc probat, Deum non peccare producendo odium, peccare verò creaturam; at in præsenti non quærimus an Deus peccet, sed an sit causa peccati, quòd non vtatur eâ tuâ solutione. Contrà Secundò, & magis ad rem 39
nostram, ergo frustrà recurris ad priuationem: nam respectu solius actus positiui totum id est verum, scilicet ideò Deum non esse causam odij, quia non est illi prohibitum, secùs verò creaturam. Tu vide, an carentia prohibitionis sufficiat ad liberandum Deum à causalitate odij: si enim sufficit, ergo etiamsi malitia esset ipsa entitas positiua odij, Deus non esset causa illius, ergo est eadem difficultas, prout contendo. Si verò non sufficiat, ergo sicut, non obstante carentiâ prohibitionis, Deus est propriè causa odij, erit etiam & priuationis, hîc & nunc necessariò consecutæ ad odium.

Scio aliquos recentiores valdè defatigari, vt explicent quomodo Deus nõ sit causa priuationis consecutæ, etiamsi sit causa ipsius entitatis positiuæ; qui tandem deueniunt ad nostram solutionem infrà ponendam. Afferunt autem priùs hoc 40
exemplum: det dominus famulo eleëmosynam, vt vni ex duobus pauperibus eam largiatur; in eo casu, quòd famulus eam non det Petro, det verò Ioanni, non tribuitur, inquiunt, vllo modo domino, cuius donum, quantum est ex se, erat indifferens vt tribueretur Petro. Cùm ergo similiter Deus parauerit auxilium Petro, vt habeat odium, ad quod consequatur priuatio, vel vt faciat amorem ad quem non consequitur ea priuatio; certè si Petrus faciat odium, non tribuetur vllo modo Deo quòd sequatur priuatio rectitudinis. Hoc exemplum totum, quantum est contra hos recentiores, & in primis, quod ipsi dicunt de negatione, ego dicam de actu positiuo, scilicet, eum dominum non solùm non esse causam

quòd

quòd non detur Petro ea eleëmosyna, sed nec esse causam quòd detur Paulo potiùs quàm Ioanni, dominus enim non determinauit magis Ioannem quàm Paulum, hoc enim totum prouênit à seruoseſe determinante ad Paulum; ergo quoad hoc non est maius mysterium de priuatiuo quàm de negatiuo: cur enim, quòd respuat vnum pauperem, tribuetur famulo, & non etiam eidem tribuetur quòd eligat alium famulum, quia idem est meo casu, non eligere Petrum, ac eligere Paulum; & è contrario, eligere Paulum, ac respuere Petrum? ad quid ergo affertur tale exemplum?

41 Secundò, quia si ipsemet dominus immediatè daret eam eleëmosynam Paulo; proculdubiò esset causa ne daretur Petro, vel alicui alteri; ergo cùm Deus immediatè non solùm obtulerit Petro concursum; sed efficiat ipsum odium, ad quod necessariò sequitur ea priuatio, & quod repugnat cum amore; quomodo negari poterit, eum esse causam carentiæ amoris, eodem modo ac ipsius odij? Hi Auctores videntur illum concursum generalem imaginari, quasi aliquid distinctum à Deo, quod datur homini vt ipse concurrat Deo inscio, sicut datur pecunia famulo vt eam det cui velit; & non vident hi, Deum immediatè ad eum actum concurrere. Ergo ex hoc capite tam erit causa negationis, quàm actus ad quem illa consequitur.

42 Alij Auctores, qui libertatem actui extrinsecam putant, (quos & nos sequemur; Deo duce, Disputatione VIII. de Animâ, à num. 71.) facilè se euasisse à præsenti difficultate gloriantur. Imò & Hurtadus, licet in contrario fundamento sit, opinatur tamen, in nostrâ sententiâ facilè explicari, Deum non esse causam peccati. Cùm enim entitas actus, v. g. odium Dei, ex se non sit peccatum, sequitur inde, vt Deus producens eam entitatem odij, non producat peccatum; ergo Deus non est causa peccati. Ego vellem; vt ea sententia me iuuaret ad expediendam à Deo causalitatem peccati, sed vix puto quidquam conducere, quod sic ostendo euidenter: Quando aliqua denominatio, vel totum aliquod consistit in tribus vel quatuor partibus, qui omnes illas partes producit, est causa illius totius; imò non aliter illud totum produci potest, nisi producendo omnes illius partes. Tunc vlteriùs: Peccatum per nos est denominatio extrinseca, desumpta ex iudicio indifferenti, ex concursu ad vtrumque in actu primo, & ex odio ab eis producto; sed Deus est causa omnium horum, & iudicij & concursus indifferentis, & odij ipsius, ergo est causa peccati in his tribus consistentis, non minùs quàm si
43 consisteret in solo actu positiuo. Imò, quod amplius est, ego addiderim, magis videri Deum causam peccati in nostrâ sententiâ, quàm in contrariâ: in hac enim peccatum adæquatè consistit in solo actu, qui à creaturâ fit simul cum Deo; at in nostrâ nulla pars est peccati quæ non fiat à Deo, & aliquæ sunt quæ solùm fiunt à Deo, & non à creaturâ, v. g. concursus indifferens in actu primo; imò & lex ipsa prohibens: ergo in nostrâ sententiâ Deus solus duas partes peccati efficit, & aliam simul cum creaturâ; in contrariâ verò nihil pertinens ad peccatum, vt pars, efficitur à solo Deo, vt dixi; ergo maiorem causalitatem in peccatum videtur habere in meâ sententiâ, quàm in contrariâ.

Huic tam euidenti argumento possunt adhiberi eædem solutiones, quæ suprà dum egimus de priuatione; scilicet Deum non teneri, sic verò creaturam. Sed hinc, vt diximus, præcisè infertur, Deum non peccare; non verò infertur, eum non esse causam peccati. Similiter dici posset; eam denominationem resultare solùm ex actu creaturæ; non ex operatione Dei. Sed & hoc facilè reiicitur, quia ea denominatio non est quid distinctum ab omnibus illis partibus, vnde formalissimè producitur producendo illas, nec noua est ibi resultantia. Imò si esset, non aliter causaretur, nisi causando fundamentum ad quod consequitur, sicut non aliter producitur similitudo, quàm producendo vtramque albedinem in quâ consistit, & ipsemet peccator non aliter producit peccatum, quàm producendo odium, quando datur principium indifferens ad illud. Hoc autem Deus facit, qui producit tunc odium quando est libertas ad illud non habendum, in quo consistit essentia eius peccati. Constet ergo; causalitatem Dei in peccatum non iuuari per has sententias; ideò nobis aliter erit procedendum. 44

SVBSECTIO QVINTA:

Cur Deus non sit causa peccati.

PRO cuius explicatione aduerto, causam de se indifferentem ad aliquem effectum, si concurrat determinata ab aliquâ aliâ, non dici propriè & rigorosè causam illius operationis. Cuius rei plura possunt in moralibus exempla adferri: nam qui vendit, vel dat ensem alicui, non cum animo vt alterum occidat, sed præcisè vt se defendat, etiamsi posteà aliquem occidat eo gladio, non tamen ideò ensis venditor dicitur causa mortis; diceretur autem, si gladium vendidisset animo vt eo alius occideretur. Item etiamsi femina sciat; se turpiter adamandam ab aliquo in templo aut in foro, dummodò ipsa non velit determinatè eum turpem amorem, potest licitè egredi domo, & vti iure suo, ireque in templum; nec ideò dicetur vllo modo causa illius amoris & peccati, nisi permissiua; diceretur tamen, si ipsum voluisset determinatè. 45

Secundò obserua, Deum offerre voluntati concursum in actu primo indifferentem ad bonum vel ad malum, cum animo tamen, vt quantum est ex se, Deus vellet non fieri eius malum, ideoque ab illo deterret minis, exhortationibus & reprehensionibus; optat autem è contrario, vt eliciatur opus bonum, ad quod allicit præmiis, exemplis, &c.

Ex his duabus obseruationibus infero, Deum 46
non esse causam peccati, quia non concurrit determinatus in actu primo, sed potiùs indifferens omnino, & eius concursus determinatur à causâ secundâ: vt autem esset causa per se peccati, debebat concurrere determinatus in actu primo, vel saltem debebat seipsum determinare, iuxta dicta in Obseruatione primâ; ergo Deus non est causa peccati. Hæc doctrina, quæ communis est iam inter recentiores, non melius confirmari potest, quàm obiectionum solutione, quâ simul amplius elucidabitur.

Prima obiectio sit: Quia etiam Deus est causa indeterminata & indifferens respectu boni operis: neque enim Deus determinat ad bonum opus quia non tollit libertatem ad illud, sicut nec ad peccatum, ergo neque erit causa boni operis potiùs quàm mali, hoc autem est contra definitionem Tridentini suprà positam, ergo.

47 Respondeo, etiamsi Deus offerat concursum indifferentem in actu primo ad bona opera, sicut ad mala, nihilominùs Deum deterrere ab his, & inclinare ad illa, displicere in his, & quantum est ex se velle non fieri, absolutè autem optare vt bona opera fiant; vnde horum est causa absolutè & simpliciter, non verò illorum.

Sed vrgebis: Hæc omnia, quæ specialiter ponis in Deo circa actum bonum, pertinent ad solam causalitatem moralẽ Dei circa illud, quoad physicam verò parum aut nihil conducunt. Respondeo, hanc differẽtiam moralem sufficere mihi ad explicandum, quomodo Deus non eodem modo sit causa proditionis Iudæ, ac conuersionis Petri, prout definiuit Tridentinum, quod nihil voluit aliùd ibi reiicere, nisi hæreticos nostri temporis, aientes Deum inclinare & determinare nos ad peccandum, sicuti & ad benè operandum; vnde ipsi inferebant, nobis nullum neque bonum neque malum opus imputari debere. Secundò re-

48 sponderi posset, etiam physicè Deum specialiùs in actu primo esse inclinatum ad opus bonum, quàm ad malum, & consequenter cum maiori etiam physicâ inclinatione ad vnum concurrere quàm ad aliud. Sed hæc solutio difficilis est in meis principiis de libertate extrinsecâ: si enim idem numero actus potest esse iam bonus iam malus, difficulter explicatur, quomodo ex prohibitione morali immutetur physica inclinatio Dei ad productionem physicam meam de comedendis carnibus quando sunt prohibitæ, ablatâ verò prohibitione redeat physica inclinatio ad eamdem volitionem.

Obiicies Secundò: Concursus in actu secundo, id est actio, necessariò debet esse determinata ad hunc actum in particulari, ergo Deus non concurrit concursu indifferenti. Respondeo, concursum Dei in actu secundo esse quidem determinatum, vt contendit obiectio, non tamen esse nobis sermonem de hoc, sed de concursu in actu primo, id est de virtute productiuâ ipsius actionis, & voluntate eam applicante ad operandum, quam dicimus non esse determinatam, nec determinari à se, sed à voluntate nostrâ, sicut habitus non determinatur à se, sed à voluntate ad currendum.

49 Sed hinc insurgit tertia obiectio: Quia habitus absolutè est causa actus, quantumuis determinetur ad currendum à voluntate. Similiter intellectus, licet de se sit indifferens ad cognoscendum hoc vel illud obiectum, & determinetur per speciem impressam ad hoc potiùs quàm ad illud, adhuc tamen absolutè est causa huius actus. Præterea ipse homo peccans in actu primo numquam est determinatus, & tamen est verè causa peccati. Denique, si voluntas ab animâ distinguatur, erit in actu primo indifferens ad ipsum peccatum, vel ad oppositum illius, nec determinabitur à se, sed ab animâ, & tamen absolutè erit causa peccati, ergo similiter Deus. Confirmatur ratione à priori: quia causa non definitur esse, *quæ determinata in actu primo influat in effectum*, sed præcisè definitur, *quæ influit esse in aliud*; ergo vt Deus sit causa peccati, non requiritur concursus eius determinatus in actu primo, aut quòd se determinet, sed sufficiet ipsum absolutè influere in illum actum peccaminosum.

Tota difficultas huius quæstionis continetur in 50
obiectione factâ, cui respondeo, incipiendo à ratione à priori, causam vt sic, prout abstrahit à causâ per se, & causâ per accidens, præcisè definiri, *quæ influit esse in aliquid*; quare in hoc sensu concedimus, Deum esse causam peccati, non quidem per se, sed per accidens. Ceterùm causa per se influens est illa, quæ vel concurrit determinata in actu primo, vel seipsam determinat: quod suadetur ex communi acceptione causæ per se: cumque Deus (vt ostensum est) nec determinatus in actu primo, nec se ipsum determinans concurrat, non est causa peccati. & hinc patet solutio ad exempla in oppositum adducta.

Ad primum de habitu respondeo, illum de se inclinare & facilitare potentiam ad actus, propendendo in illos, & retrahendo ab oppositis, quod sufficit vt absolutè sit causa per se illorum; Deum autem non inclinare in peccatum, sed potiùs in oppositum.

Ad secundum de intellectu respondeo, eum 51
etiam in actu primo, esse determinatum ad intelligendum simul cum speciebus impressis, quibus positis intellectus non potest non intelligere ex inclinatione naturali ad suos actus; at Deum in actu primo omnino esse indifferentem, etiam post voluntatem creatam in actu primo constitutam.

Quod de intellectu dico, dicendum etiam est de sole, qui de se est indifferens ad multos effectus; & licet determinetur ad hunc potiùs quàm illum à causâ secundâ, adhuc tamen dicitur vera causa illorum. Ratio est, quia ex se est verè inclinatus ad omnes illos, etiamsi indigeat aliquo complemento, iam ad hunc iam ad illum. At Deus ad actum peccati non solùm dat concursum indifferentem, sed talem vt vellet ne fieret, quantum est ex se, & consequenter non solùm non concurrit cum inclinatione, sed potiùs cum repugnantiâ & auersione, quod non habent causæ physicę naturales respectu suorum effectuum, licet indifferentes sint. Et hac ratione explo-
duntur quæcumque exempla in contrarium adduci possunt.

Ad illud de homine se determinante, præstò 52
est solutio ex ipsâ obiectione, quâ dicitur illum se determinare, quod sufficit ad causam per se; Deus verò non se determinat, sed determinatur à nobis.

Difficiliùs respondetur ad exemplum de voluntate, casu quo ab animâ distinguatur. Dicunt nonnulli, eam voluntatem non futuram causam per se peccati, sed hoc in solam animam refundendum, ob eamdem rationem quâ id Deo denegatur. Quòd si aliquando absolutè dicatur voluntas illa causa peccati, non verò Deus, id non oriri ex aliquâ differentiâ in modo concurrendi Dei & voluntatis, sed quia in voluntate non habet vllum periculum modus ille loquendi, haberet autem in Deo, quia ansa tribueretur hæreticis, vt Deum causam per se dicerent peccati. Hæc solutio sufficientissima est, cui potest

addi

53 addi & alia: nam voluntas, ſicut ſuprà diximus, habet ex ſe aliquam inclinationem in actu primo ad opus, quod eſt peccatum ratione delectationis, vel alterius boni in illo reperti, ratione cuius ipſa anima illud expreſsè amat, Deus autem nullatenus in opus illud inclinatur ratione ſuæ ſummæ bonitatis omni peccato repugnantis.

Quartò obiicies: Ad rationem entis, quæ eſt in peccato, Deus determinat voluntatem; ſed concurſus Dei non præſcindit, ergo etiam determinabit ad malitiam, quæ idemtificatur cum eâ ratione entis. Recentiores nonnulli, qui præciſiones obiectiuas vbique intrudere nituntur, hic etiam illas pro argumenti ſolutione libenter arripiunt, dicuntque, Deum concurrere ad rationem communem entis, non verò ad differentiam propriam ibi repertam entis, mali, ſeu malitiæ; ſicut, aiunt, non valet, *animal eſt idemtificatum cum rationali, ergo qui cognoſcit animal, cognoſcit rationale*, ita in ratione entis & malitiæ
54 ſimilis conſequentia non valet. Sed valdè hos miror, qui etiam in cauſalitate phyſicâ admittant phyſice produci vnam formalitatem ſine aliâ, quod tamen cùm ipſi alibi negent, non ſcio ad quod propoſitum afferant hîc exemplum de præciſionibus obiectiuis ab intellectu ſolo in eorum etiam ſententiâ poſſibilibus. Hi ergo reiiciendi ſunt argumẽto ſæpè à nobis facto de repugnantiâ duorum contradictoriorum in eadem indiuiſibili entitate creatâ, qualia eſſent, produci à Deo rationem entis, & non produci rationem ſpecificam illi idemtificatam. Reſpondeo ergo obiectioni, negando Deum determinare voluntatem ad rationem entis repertam in actu peccati, quia illa à parte rei eſt mala; itaque ſolùm parat Deus concurſum voluntati, vel ad hanc vel ad illam rationem entis in indiuiduo, indifferenter tamen; quare non eſt cauſa per ſe, nec peccati, nec entitatis in peccato repertæ.

55 Denique obiicies: Deus determinat ad hoc indiuiduum peccati in particulari; voluntas enim creata, licet ſe poſſit determinare ad ſpeciem actus, eò quòd illam cognoſcit, nequit tamen ad hoc indiuiduum potiùs quàm illud, quia non diſtinguit inter illa; ergo Deus erit cauſa huius indiuidui peccati in particulari. Vt huic difficultati reſponderent nonnulli, dixerunt indiuiduationem effectus oriri ex circumſtantiis temporis, loci, &c. Hanc doctrinam reiiciam in Metaphyſicâ, vbi oſtendam, in qualibet circumſtantiâ eſſe poſſibiles multos effectus numero diſtinctos. Aliter igitur reſpondendum eſt Primò, etiamſi Deus, ſuppoſitâ determinatione voluntatis ad ſpeciem actus, hoc indiuiduum potiùs quàm aliud eligeret, adhuc non futurum cauſam pec-
56 cati, quia in hoc indiuiduo potiùs quàm in illo non reſplendet ſpecialis malitia: imò nec eligere inter hoc & illud, non eſt eligere aliquam malitiam, quia hæc conſiſtit ſolùm in ratione ſpecificâ; ſicut è contrario ſuppoſitâ determinatione voluntatis dandi eleëmoſynam, non eſt ſpecialis honeſtas in eo quòd eligat hos nummos aureos potiùs quàm alios omnino ſimiles. Secundò reſpondeo, Deum non velle determinatè hoc indiuiduum voluntate abſolutâ & determinatâ, ſicut nec vult ſpeciem illius peccati, ideoque ſicut huius non eſt cauſa; neque etiam eſſe cauſam indiuidui. Quod vt intelligas, lege Sectionem ſequentem.

SECTIO II.

De voluntate generali Dei concurrendi cum cauſis liberis.

RES hæc non caret difficultate: inde autem ea prouenit, quòd Deus non videatur poſſe velle concurrere ad peccatum; id enim eſt formaliſſimè velle peccatum, Deo autem repugnat velle poſitiuè peccatum, ergo & velle concurrere ad illud, ergo non poteſt parare concurſum indifferentem ad peccatum vel bonum opus.

SVBSECTIO PRIMA.

Aliquæ ſententiæ reiectæ.

COMMVNIS reſponſio eſt, Deum velle pec- 57
catum ſub conditione, ſi voluntas ſe ad illud determinauerit, velle autem hoc modo conditionatè peccatum, non dicere vllam repugnantiam. Hæc voluntas dupliciter poſſet intelligi, Primò, vt Deus quaſi expectet quid faciat voluntas, præuiſâ autem ipſius ad peccatum determinatione, ipſe etiam velit peccatum. In hoc ſenſu eſt omnino improbabilis hic dicendi modus, Primò, quia determinatio voluntatis Dei cùm ſit cauſa neceſſaria ad hoc vt creatura operetur, non poteſt eſſe poſt præuiſam creaturæ determinationem. Secundò, quia voluntas illa eſſet Deo indecens, qui non ſolùm antequam homo peccet, non vult peccatum, ſed nec poſtquam homo peccauit poteſt illud amare, aut complacere in ipſo; ſicut in nobis eſſet malum non ſolùm optare vt peccet quis, ſed & approbare & gaudere de peccato iam ab eo commiſſo.

Aliter ergo poteſt ea voluntas Dei explicari, vt 58
antecedenter ad opus dicat hoc modo, *volo concurrere ad odium, non quantum eſt ex me, ſed ſi tu concurreris; vel ad amorem, ſi tu etiam concurreris*, ita vt per hanc voluntatem conſtituatur omnipotentia proximè potens ad operandum cum creaturâ. Sed & hoc modo explicata ea voluntas, ſuſtineri non poteſt; videtur enim nugatoria. Pono enim, cõcurſum Dei & concurſum creaturæ eſſe eumdem à parte rei, vnde infero, Ergo dum dicit Deus, *volo ego meum concurſum, ſi tu ponis tuum*, idem eſt ac dicere, *volo meum, ſi ponatur meus*, & *volo tuum, ſi tuus ponatur*, quia tuus & meus omnino idem ſunt. Ratio à priori eſt, quia non poteſt eſſe conditio vt obiectum ametur dependenter ab ipsâ, niſi ea, quæ diſtinguatur ab obiecto; nihil enim pendet propriè à ſe, aut eſt conditio ad ſe, vt ex terminis patet. Addo præterea, etiamſi concurſus Dei & creaturæ eſſet duplex, adhuc prædictũ modum dicendi non poſſe ſuſtineri, quia, vt ſæpè dixi, quando ſunt duę actiones partiales, nõ poteſt vna priùs quàm altera exiſtere, nec vna cauſa partialis ante alteram partialẽ operari. Ratio eſt ma- 59
nifeſta, quia cauſa partialis indiget concurſu alterius cõcauſæ, ergo ſola nõ poteſt prodire ad opus. Confirmo, Effectus non poteſt intelligi exiſtens, etiam in priori naturæ, per ſolam actionem partialem, ergo, cùm actio, in quocumque ſigno ſit, neceſſariò actu habeat ſuum terminum, non poterit actio partialis eſſe ſine alterâ actione, quia quælibet debet tunc habere effectum, & ſola non

potest, debent ergo esse simul. Et in Deo id specialiùs ostendo: fortè enim in duabus causis creatis posset hoc vtrumque explicari. nam ea actio distincta, quâ creatura operaretur, etiam penderet & produceretur à Deo, esset enim creatura; ergo ea actio non potest videri existens, antequam Deus operetur, ergo Deus, vt determiniet suam omnipotentiam ad operandum, non potest expectare quid creatura faciat, an se determinet,
60 an non. Patet consequentia, quia tunc operatio creaturæ deberet esse conditio præuisa, saltem priùs naturâ, ante actualem determinationem ipsius omnipotentiæ Dei, quod ex dictis repugnat; non ergo potest ea volitio conditionata vllo modo sustineri.

Ideò nonnulli recentiores, rem profundiùs considerantes, hanc Dei generalem volitionem sic explicuêre. Pro quo supponunt duo v.g. odij, & totidem amoris indiuidua, hîc & nunc possibilia, A. & B. non quia plura indiuidua repugnare censeant, sed claritatis causâ; quodque de duobus dicetur, potest & de infinitis. Dicit ergo Deus, vt hi contendunt, primò, *nolo concurrere ad odium A. & amorem A.* secundò, *ad odium nolo impedire meam omnipotentiam*; est ergo obiectum voluntatis huius, carentia impedimenti ex parte omnipotentiæ, vt ita nec Dei volitio terminetur ad peccatum, nec aliunde eadem volitio sit nugatoria, & rectè declaretur, quomodo omnipotentia Dei iam sit expedita ad operandum.

61 Hanc opinionem Primò reiicio, ex eâ enim sequitur, etiam ad producendum Angelum non esse necessariam voluntatem positiuam, quâ Deus dicat, *volo Angelum existere*, sed sufficere si dicat, *nolo impedire meam omnipotẽtiam in ordine ad productionem Angeli*, quod ab ipsis negatur, & meritò; solùm enim circa actus liberos talem agnoscunt volitionem.

Dices fortè, disparitatem esse manifestam, quia in vno casu omnipotentia Dei determinatur ab ipsâ creaturâ, vnde non est necessaria positiua volitio ex parte ipsius Dei; in altero verò, quia solus Deus concurrit, indiget positiuâ voluntate, quâ applicet suam omnipotentiam. Sed contrà euidenter, quia vel omnipotentia, ablato altero impedimento resistentiæ, est potentia completa in actu primo ad operandum vel non. Si est
62 completa, ergo ipsa necessariò prodibit ad producendum Angelum, etiamsi non sit alia causa à quâ determinetur, & consequenter eo ipso quòd dicat Deus, *nolo impedire meam omnipotentiam in ordine ad productionem Angeli*, etiam sine voluntate positiuâ producetur Angelus. Patet euidenter consequentia, quia potentia physica, quæ formaliter non est libera, qualis per te est omnipotentia, eo ipso quòd in actu primo sit completa, & non impedita, necessariò prodit in operationes.

Quòd si propterea dicas, etiam positâ permissione, non esse adhuc completam omnipotentiam, quantum est ex parte sui; tunc retorqueo argumentum, Ergo etiam ad concurrendum cum arbitrio nostro, post illam volitionem Dei non impediendi suam omnipotentiam, adhuc noua deliderabitur positiua voluntas, quâ vltimò omnipotentia reddatur potens concurrere, sicque redit tota difficultas quam vitare contendis.

63 Fortassis aliter Secundò respondebis, productionem Angeli indigere ex se voluntate positiuâ ex parte Dei, pro peccati verò productione sufficere permissiuam. Sed & hæc solutio reiecta iam est; nam omnipotentia ex se tam est potens sola producere Angelum, quàm simul cum causâ secundâ actum bonum aut malum, ergo si non impeditur, æquè sola producet Angelum, ac simul cum creaturâ producit actum bonum. Nec video vel apparentem differentiam, nisi, vt effugias argumenti vim, id reducas in naturam propriam effectuum, quasi vnus petat volitionem positiuam, alter non: quod tamen omnino gratis dicitur, quia ex parte omnipotentiæ non reperitur minor continentia respectu vnius, quàm alterius; nec maior minórve necessitas ex parte omnipotentiæ assignari potest, cùm ex se sit potentia necessaria, quæ cùm non impeditur, operatur. Nec in effectu est minor exigentia in vno quàm 64
in altero, præsertim in meâ sententiâ, aiente, eumdem actum, qui est liber ex se, posse esse necessarium. Quomodo ergo ille idem numero iam petit positiuam volitionem Dei, iam verò est contentus indirectâ seu non impediente?

Secundò impugno euidenter hanc sententiam: nam rogo, Quod est impedimentum quod Deus vult non ponere omnipotentiæ, quando dicit, *nolo illam impedire?* Non potest dici, quòd sit carentia illius permissionis, quia tunc ea voluntas nihil aliud haberet pro obiecto quàm se ipsam, carentia enim ipsius est impedimentum; ergo ipsa est formaliter ablatio impedimenti; ergo dum ea dicit, *volo auferre impedimentum*, nihil aliud dicit, quàm *volo me ponere*, quod est prorsus 65
ridiculum; est enim inexplicabilis talis voluntas sine vllo aliquo alio impedimento obiecto, saltem ratione nostrâ distincto, & ipsimet aduersarij propterea dicunt, condonationẽ extrinsecam peccati difficillimè explicari, quia non videtur inueniri obiectum illius voluntatis distinctum ab ipsâ voluntate, & tamen ibi multum est de moralitate, ratione cuius potest vtcumque explicari obiectum condonationis. Imò & physicum dedi Disputatione v. de Pœnitentiâ à num. 53. Athîc, cùm sit res purè physica, & nihil aliud sit ablatio impedimenti, quàm ea voluntas, quid poterunt illi assignare pro obiecto?

Si verò dicas, impedimentum esse actum positiuum nolendi concurrere, & ita permissionem habere pro obiecto negationem illius volitionis; facilè etiam impugnaberis: inde enim sequere- 66
tur, quòd si per impossibile Deus purè omitteret, quia tunc esset carentia illius impedimenti, nempe *nolitionis concurrendi*, eo ipso omnipotentia productura esset omnia quæ simul esse possunt, quod videtur absurdum. quis enim vmquam fecit dependentem quæstionem de indifferentiâ Dei ad operandam ad extra, à quæstione de purâ omissione ipsius Dei? Contrà præterea, quia cùm Deus, vt tu supponis, non habeat voluntatem positiuam concurrendi, sicut nec habet de non concurrendo, debebit tunc necessariò has duas reflexas habere, *nolo velle concurrere & nolo nolle*; seu aliter clariùs, *non volo habere voluntatem de concursu nec de carentiâ illius*, quia neutrum per te vult: quis autem dicet, Deum se applicare sufficienter liberè ad concurrendum, per hoc quòd dicat, *nec volo concurrere, nec volo non concurrere?* Certè ex ipsis terminis apparet 67
doctrina imperceptibilis, nam post illam volitionem

tionem tam parum vel nihil vult, quàm anteà, ideoque tam non applicata manet omnipotentia, quàm anteà.

Tertiò principaliter impugno hanc sententiam: quia si Deus de facto concurrit & producit opus ad extra, cur non poterit illud opus velle? quale enim agens est, quod non possit id, quod facit eo modo quo facit, velle? Certè ego tam sanctam puto omnipotentiam Dei, quàm eius voluntatem. Quòd si non potest voluntas velle directè, nec omnipotentia poterit directè concurrere.

Fortè dices, omnipotentiam, quando concurrit, determinari à causâ secundâ; voluntatem autem, si hoc velit, à se determinandam ad volen-
68 dum malum: hoc autem repugnare Deo. Sed contrà, quia si non est malum, concurrere determinatum ab alio; ergo non est malum, velle concurrere determinatum ab alio. Idem enim obiectum quod licet omnipotentiæ facere, licet voluntati velle facere.

Tandem hæc sententia reiicitur, quia in eâ manet eadem difficultas: dum enim vult Deus non impedire concursum, virtualiter vult illud disiunctum hunc vel illum actum. Probo euidenter, quia illud disiunctum sequitur necessariò ex eâ negatione à Deo volitâ, ergo Deus volens negationem virtualiter, vt minimum vult illud disiunctum; sicut tu ipse dicis, qui vult materiale peccati, vult virtualiter ibi formale peccati, quod inde consequitur. Iam autem tota remanet tua difficultas, quomodo virtualiter velit Deus illud disiunctum, an conditionatè, an sub disiunctione, prout contra voluntatem formalem nostram nobis obiiciebas: parum ergo ad rem ea tua permissio.

69 Ideò alij ponunt in Deo antecedentem quamdam voluntatem generalem concurrendi ad omnes actiones, sine determinatione specificâ illarum. Sed hæc sententia non fugit inconuenientia aliarum, & addit noua: noua, quia ponit in Deo voluntatem confusam & indeterminatam, indignam particularis prouidentiæ Dei. In eâ autem omnes antiquæ difficultates redeunt, quia in eâ virtualiter vult omnes effectus, etiam malos, & æqualiter bonum ac malum. Præterea nõ vult efficaciter hunc concursum, ergo sub conditione. Da ergo illam cõditionem. Tandem, quia saltem indiuiduationem effectuũ debet Deus determinare, quia ad illos creatura non se determinat, eo autem ipso quòd velit indiuiduum odij, ibi vult omnia prædicata odij superiora, & est ibi tota difficultas, quæ contra voluntatem expressam fieri poterat.

SVBSECTIO SECVNDA.

Aliquæ aliæ sententiæ reiectæ.

70 VASQVEZ Parte 1. disput. 99. cap. 7. & aliis in locis, ponit in Deo decretum quoddam determinatum & efficax, sed concomitans operationem. Ideò verò illud dicit *concomitans*, quia præuisâ per scientiam mediam operatione, liberâ futurâ sub tali auxilio, & auxilio præuiso absolutè existente, potest iam Deus efficaciter & concomitanter futuritionem absolutam illius velle. Hæc sententia multò minùs potest sustineri, quàm præcedentes: Primò, quia si Deus præuidit per scientiam mediam, eam operationem futuram, vidit proculdubiò omnes causas illius, id est, Si ponatur concursus indifferens auxiliũ, &c. Petrus operabitur; ergo iam præsupponitur concursus præuisus, ergo ille concursus non datur dependenter à futuritione conditionatâ, cùm eam antecedat. Quòd si dicas, illum concursum, 71
sub quo videtur futurus effectus conditionatè, esse ipsam actualem & efficacem voluntatem Dei, quæ posteà ponetur, tunc ea cognitio per scientiam mediam æquiualebit huic, Si ponatur voluntas efficax, & actualis concursus Dei, erit actualis operatio creaturæ; quæ cognitio non pertinet ad scientiam mediam, sed ad necessariam. Imò ego ipse, & omnes Philosophi ac Theologi, hoc certo cognoscimus, etiamsi careamus scientiâ mediâ. Et inde rursus infertur, illam volitionem efficacem esse simpliciter antecedentem effectum, quia videtur in statu conditionato ex parte causarum, sub quibus præuidetur futurus ille consensus. Quod ampliùs ostendo: voluntas, antequam concurrat, debet esse potens concurrere, & habere omnia requisita ex parte actus primi, aliàs non erit libera; sed decretum Dei est 72
vnum è requisitis, ergo decretum Dei est antequam voluntas operetur, & malè à P. Vasquez dicitur, esse concomitans. Confirmatur: quando voluntas non operatur, quia liberè cessauit, non fuit illud decretum concomitans, vt per se patet, & tamen tunc habuit in actu primo voluntas potentiam ad concurrendum; ergo vel debuit esse aliud decretum Dei antecedens, vel hoc, quod tu ponis, non requiritur ad operandum, quando sine illo fuit tota potentia completa in actu primo.

Fortè dices, tunc esse in Deo decretum concomitans de non concurrendo. Sed contrà, quia voluntas etiam tunc potuit concurrere, ergo debuit esse in Deo decretum, etiam de concurrendo; at hoc non potuit esse concomitans, quia de facto non concurrit voluntas, ergo fuit antecedens. Iam de hoc est tota difficultas, quale sit.

Tandem, quia imperceptibile est, quomodo il- 73
lud decretum sit concomitans. Si enim Deus se determinat ad illud habendum, quia videt creaturam operari, ergo priùs naturâ est operatio creaturæ: si verò illud decretum est causa operationis, erit priùs naturâ quàm operatio. Quomodo autem potest simul naturâ cum operatione haberi? aut quid determinat Deum in eo priori? Non ipsa operatio præuisa, quia tunc, vt dixi, hæc esset prior naturâ: non ea quæ se tenent ex parte principij, quia hæc possunt esse sine operatione, & sine decreto. Vnde ergo determinatur? Nisi dicas, illud decretum constitui formaliter per ipsam operationẽ creaturæ, quia Vasquez docet, actus liberos Dei constitui formaliter per ipsas creaturas. Sed remanent tunc præcedentes difficultates, scilicet, illud decretum debere esse indifferens, vt sit cum carentia operationis, & etiam debere esse prius naturâ ad illam: vnde infertur, Ergo non potest constitui per ipsam operationem. Imò hinc efficaciter valdè redarguitur sen- 74
tentia Vasquez circa actus liberos Dei: sed de hoc dixi in primâ Parte. Tandem, quia est indignum, ponere in Deo decretum absolutum, etsi concomitans, de ipso peccato.

Alij Auctores ponunt in voluntate ante actua-

lem operationem ipsius quamdam virtualem applicationem, quâ præuisâ Deus determinatè vult concurrere ad illum actum, ad quem voluntas se applicuit: hanc autem applicationem explicant exemplo actuum liberorum Dei, qui etiamsi solùm virtualiter distinguantur, potuerunt tamen à Deo abesse. Ita aliqui iam; & olim in Hispaniâ scio à nonnullis recentioribus hanc sententiam fuisse traditam.

75 Hæc tamen omnium improbabilissima est. Et quidem mirari satis non possum multorum Auctorum ingenia, qui in rebus clarissimis & facillimis procedere non possunt, eáve intelligere, nisi per difficultates alias omnino humano captui imperceptibiles. Vix est materia, vbi hi recentiores non applicent hos actus liberos Dei. In Eucharistiâ, dum de nouo ponitur Christus sub hostiâ, nouam ponunt virtualitatem in Christo, quam ex actibus liberis Dei explicant: quandocumque aliquid reproducitur, vel in duobus locis collocatur, eamdem virtualitatem admittunt. Iam, vt voluntas se applicet ad operandum, rursus ea virtualitas, rursus actus liber Dei. Verè hinc incipio suspicari, ab istis Auctoribus actuũ liberorum mysterium (quod nullus, quod ego viderim, vel apparenter explicare potuit) perfectissimè & clarissimè perceptum comprehensumque esse; aliàs quis possit credere, eos in tot materiis facilibus illo mysterio vsuros? Interim tamen, dum mihi de eâ explicatione non constat, quia volo res claras clarè intelligere, sic argumen-
76 tor contra hanc virtualitatem, Primò, prout Disputatione III. de Eucharistiâ à num. 10. illam reieci, quia euidens est argumentum distinctionis realis apud omnes hucusque Philosophos & Theologos, separabilitas realis duorum inter se; ergo si illa virtualis applicatio anteà non erat, iam verò est realiter in ipsâ animâ, non est formalitas sola, sed entitas realiter distincta. Confirmo: si semel licet duabus rebus realiter idemtificatis tribuere ea prædicata contradictoria, quòd vnum existat alio non existente, vnum producatur à Deo verè, aliud non (nam voluntas à Deo verè producitur, ea autem applicatio non, & tamen sunt idem realiter) rogo hos Auctores, si quispiam vellet, dicere ipsos, & lapides aut bruta non esse res distinctas, sed duas formalitates, ratione quarum brutum potest mori ipsis viuentibus, & è contrario ipsi intelligere, licet brutum non intelligat, & similia; si inquam hoc quispiam diceret, quomodo vel apparenter poterunt ipsi contra illum argumentari? ego sanè nolo talem doctrinam ponere, ex quâ possit probari, me realiter esse brutum.

77 Fortè dices, ideò à bruto distingui, quia ego sum hîc, & brutum alibi, & hanc esse separabilitatem realem, quæ arguit distinctionem. Sed contrà, quia hæc non est separabilitas, sed vbicatio in locis dissitis; hæc autem nec per somnium arguit distinctionem realem, Deus enim idem indiuisibilis est hîc & Romæ, &c. & ibi potest operari, etiamsi non operetur hîc: & si eadem res creata in duobus locis ponatur, sicut de facto est Christus in altari, esset in eis locis distinctis, & tamen non ideò esset à se distincta realiter, imò in verâ sententiâ neque virtualiter; ergo quia tu sis in ciuitate, & brutum in campo, non infertur, te non esse realiter brutum, si aliunde concedis, posse duas res, vel formalitates idemtificatas, vnam esse producibilem à Deo, aliam verò non; vnam existere, aliam non existere: de his enim prædicatis est eadem prorsus ratio quæ de illis, *discurrere & non discurrere*, quod est inter te & brutum. Imò hoc idem in eâ applicatione repe- 78
ritur: da enim, potentias esse idem cum animâ, ea anima discurrit, ea applicatio idemtificata cum animâ non discurrit: anima odio habet, applicatio ad amorem non odio habet: quid ergo specialius in bruto, quàm in eâ applicatione, vt non possit vtraque esse vna formalitas tui?

Respondebis fortè cum aliis recentioribus, tunc eam virtualitatem distingui realiter, quando per eam subiectum accipit mutationem realem; per eam verò virtualem applicationem non mutari realiter voluntatem, ideoque non esse quid realiter distinctum. Sed hæc solutio supponit id quod impugnatur: ego enim ostendo, repugnare in terminis, eam applicationem posse realiter separari, & non esse realiter distinctam; & consequenter repugnare, non fieri per eam in subiecto mutationem realem. Aliàs dicas mihi, sed sine circulo, cur albedo facit mutationem realem, dum superuenit muro?

Dices, quia distinguitur realiter à muro. Rur- 79
sus vrgeo, Vnde infers distingui realiter? Non potes dicere, quia facit mutationem realem, hic enim esset vitiosus circulus, quem excluſi meritò à solutione. Ergo debes dicere, quia realiter potest ea albedo separari. Ecce, iam venis ad iugulum, ergo cùm ea applicatio separari queat realiter, distinguetur realiter, & faciet mutationem realiter in voluntate non secùs quàm albedo in muro, quod contendo.

Exemplum autem de actibus Dei non est ad rem, tum quia omnino puto, nec ibi rem ita contingere; vnde nonnulli recentiores, qui eas virtualitates separabiles in actibus liberis posuere, quia ideò malè audierunt, & ea virtualitas sapere videtur entitatem realem distinctam, non ausi sunt secundò idem docere, sed aliam quæsiuere viam: tum quia maior est in tuâ doctrinâ diffi- 80
cultas, quia illæ formalitates actus Dei semel existentes in Deo, sunt inseparabiles, cœternæ, &c. at tu das hîc duas in tempore separabiles, & in ordine ad omnia alia prædicata æquè capaces, ac si realiter distinguerentur. Tandem, quia non debes, quæ Deo propter ipsius infinitatem possunt conuenire, etiam transferre statim in creaturas. Mirum, quòd non posuerint in creatis vnam naturam idemtificatam tribus suppositis distinctis realiter, & fortè omnipotentiam etiam in aliquâ aliâ creaturâ, vt sic vniuersaliùs & consequentiùs à Deo ad creaturas argumentarentur.

Secundò impugno eam sententiam specialiùs ad punctum præsens: quia vel positâ eâ applicatione virtuali, sequitur actus necessariò, vel non, sed adhuc manet voluntas indifferens. Si hoc vltimum, adhuc manet tota difficultas, qualis sit voluntas indifferens Dei quæ sequitur. Si verò 81
dicas primum, ergo tota libertas consistet in eâ applicatione, & actus in se non erunt capaces libertatis. Iam ergo, quomodo in eâ applicatione naturali ad operandum supernaturaliter potest consistere meritum ipsius amoris Dei, vel aliorum actuum supernaturalium? Certè ego non video, quomodo illa applicatio sit meritoria

vitæ

vitæ æternæ, sit dolor de peccatis, & dispositio ad gratiam.

Respondebis Primò, Etiamsi imperentur actus voluntatis ab alio actu, adhuc manent formaliter liberi & meritorij, ergo etiamsi ab eâ applicatione oriatur necessariò amor Dei, adhuc hic manebit formaliter liber, bonus & meritorius. Ecce rursus responsio per aliam rem difficillimam: puto enim omnino falsum, quòd, si quis actu efficaci imperet hîc & nunc alium actum, iste secundus maneat formaliter liber. Sed de hoc egi in materiâ de Actibus humanis.

82 Secundò adhuc, hoc admisso, responsio non habet locum, quia ideò potest dici actum imperatum manere liberum, quia ex se est capax libertatis formaliter; potuit enim sine imperio fieri: at in horum sententiâ, cùm omnis actus necessariò pendeat ab applicatione præuisâ, & hac positâ necessariò sequatur, non video, quomodo vmquam possit esse formaliter liber, magis, quàm in meâ & omnium sententiâ, actus ipse exterior, qui in omnium sententiâ non est capax meriti propriè, etiamsi sit denominatiuè liber. Ratio autem ea est, quia naturâ suâ solùm est mediatè liber: atqui etiam naturâ suâ omnes actus in hac sententiâ sunt solùm mediatè liberi, & tota libertas in eâ applicatione saluatur, ergo nullus actus erit formaliter liber, quod contendo.

83 Respondebis fortè, etiam in meâ sententiâ, ponente actionem distinctam, esse eamdem difficultatem: tota enim libertas est in actione, & tamen non propterea actus ipsi non sunt formaliter meritorij. Fortasse propter hoc argumentum quidam recentiores negant in actibus vitalibus actionem intermediam; sed immeritò, vt iam constabit. Respondeo ergo, negando esse eamdem difficultatem in nostrâ sententiâ. Disparitas est manifesta, quia actio non facit vt effectus non oriatur immediatè à causâ, neque vt causa non sit immediatè libera; sicut nec vnio impedit extrema immediatè vniri inuicem, non enim mediat vt extremum, sed vt ratio *quo*, quod idem de actione dico: at ea applicatio mediat non vt ratio formalis *quo*, sed vt quid prius naturâ ad operationem antecedens, & ex quo sequitur posteà operatio; ideò tollit libertatem immediatam operationi, sicut actus imperans actui imperato.

Tertiò impugnatur: Quia indignum est Deo, etiam post præuisam eam voluntatis applicationem, determinatè velle peccatum, sicut esset indignum, postquam ego Petrum viderem peccantem, velle efficaciter vt peccaret. Quòd si & tunc ponas voluntatem indifferentem, eamdem posses ponere ante eam virtualitatem applicationis.

84 Quartò impugnatur: Quia ea applicatio non tollit difficultatem præsentem; nam vel ea requirit concursum Dei in actu primo, vel non. Si requirit, in eo concursu iterùm insurgit tota difficultas, scilicet qualis ille sit. Si verò ea applicatio non requirit concursum Dei, ergo non potest Deus eam impedire, nec poterit facere, ne voluntas se applicet ad operandum, quod est valdè durum; nam in eâ applicatione voluntas esset independens à Deo, quod nullus audebit concedere: Deus enim potest subtrahere mihi concursum, ne ego vllo modo exerceam meam libertatem, ergo & ne habeam applicationem liberam, vt omnes admittunt.

Quintò: Quia inexplicabilis est ea applicatio, 85
etiamsi dicat eam esse realiter distinctam: non enim consistit in approximatione, non in ablatione impedimenti, non quòd dicat *volo*, quia iam hoc esset operari; non in eo quòd vel calamum vel instrumentum aliud in manus accipiat, non quòd accingat vestes, non quòd præcingat lumbos, non quòd dormientem voluntatem excitet vel oscitantem. Quid ergo est? Verba, video, tibi suppetent, applicari, disponi, &c. sed quid in re per hæc significetur, interrogo, quia solis verbis, si non datur significatum illorum, nihil declaratur.

Dices: Si ea applicatio non præcedat, non potest reddi ratio, cur voluntas potiùs amet quàm odio habeat. Hoc est lepidum! quasi in ipsâ applicatione non esset eadem difficultas. rogo enim de illâ, Da mihi rationem, cur voluntas se applicet ad amorem potiùs quàm odium. Non, credo, recurres ad aliam applicationem, quia abiremus ex vnâ in aliam sine termino. Si ergo reddis pro ratione à priori ipsam libertatem in actu primo, & benè; eamdem ego reddo sine applicationibus. Si dederis pro ratione formali ipsammet applicationem respectu sui, & ego dabo ipsam operationem respectu sui sine aliâ applicatione. Et hæc est vera eius obiectionis solutio.

Alij tandem dicunt, eam volitionem Dei habe- 86
re hoc obiectum, *volo vt causa secunda meam indifferentiam determinet*; quomodo explicata ea voluntas, non videtur esse nugatoria, neque Deo indigna. Sed contrà Primò, quia non explicat quid sit illud determinari concursum Dei à concursu causæ creatæ. Contrà Secundò, quia Deus non vult directè, vt causa secunda ipsum determinet, sed vt possit determinare; quia per illam volitionem non vult Deus vt causa secunda peccet, sed vult vt possit benè aut malè operari. Explica ergo mihi quid sit ea potentia: vel si vis vt ipsa actualis determinatio sit ipsa operatio, ergo vult Deus vt creatura operetur. sed non vult hoc determinatè, ergo indeterminatè; iam ergo laberis in difficultates de voluntate conditionatâ.

SVBSECTIO TERTIA.

Nostra sententia.

DICENDVM ergo est, Deum velle inefficaci- 87
ter, & concursum ad peccatum, & concursum ad bonum opus; ideoque velle applicare suam omnipotentiam, nihil aliud esse, quàm habere eam volitionem inefficacem concurrendi vel non concurrendi cum creaturâ. Est tamen magna differentia inter voluntatem prout versatur circa peccatum, & prout versatur circa bonum opus; hoc enim Deus vult inefficaciter, sed ita, vt quantum est ex se, illud optet, desideret, verè complaceat in illo. At in peccato ita ad illud vult concurrere, vt hoc non velit, nisi quia aliter non potest causæ vniuersalis & naturæ conseruatoris muneri satisfacere; & ideò est illi inuoluntarium simpliciter peccatum. Exemplo res hæc 88
pulchrè declaratur. Mercator conscendens nauim habet duas voluntates, & conseruandi merces in naui, si fuerit prospera nauigatio, & simul

proiiciendi easdem in mare, si ad tutandam vitam necessum fuerit; est tamen magnum discrimen inter has duas voluntates: nam conseruare merces, si non sit tempestas, est illi voluntarium simpliciter, hoc appetit, hoc desiderat, in hoc complacet; at proiicere merces nullo modo illi placet, sed quasi necessitate coactus id appetit, quia aliter vitam tutari nequit: vnde rursus prouenit, vt conditionem illam, id est, serenitatem, ex quâ pendet retentio mercium, ex se simpliciter optet, in eâ præsenti sibi congratuletur; è contrario verò tempestatem, quæ est altera opposita conditio, à quâ pendet mercium in mare proiectio, nec appetat, nec velit, nec de eâ præsenti lætetur, sed tristetur, sed omnibus modis eam,
89 si posset, sedaret. Ita suo modo Deus vult inefficaciter & actionem bonam, item & malam, diuerso tamen valdè modo: nam actio bona est illi simpliciter voluntaria, in eâ sibi complacet, ad eam propositis præmiis velut calcaribus hominem impellit, exemplis hortatur; at opus seu actionem malam vult quidem inefficaciter, & ad eam parat concursum, sed quasi coactus, quia aliter muneri causæ vniuersalis satisfacere non potest. Vnde aliunde optat simpliciter, ne homo talem actionem malam efficiat, & quæ non tentat media, vt homines ab eâ deterreat, & quàm in illâ existente displicet? Neque vllum inconueniens est, concedere Deo talem voluntatem circa peccatum, præsertim cùm, vt suprà dixi, videatur indignum, dicere, non posse Deum velle concurrere eo modò quo concurrit.

90 Hæc volitio ex se satis clara est, ampliùs tamen aliquarum obiectionum solutione explicabitur.

Prima sit: Quia repugnat, Deum displicere in peccato, si parat concursum ad illud. Respondeo, negando assumptum: possum enim ego secundùm quid velle id in quo multò magis displiceo, vt in exemplo mercatoris suprà posito constat.

Secundò: Quia volitio hæc Dei debet esse efficax; nam licet non velit efficaciter effectum, tamen efficaciter vult parare concursum ad operandum. Respondeo, eam voluntatem, dum inefficaciter vult concurrere ad hunc vel illum actum, parare in actu exercito concursum, qui formaliter paratur per eam volitionem inefficacem.

Sed vrgebis Primò: Voluntas inefficax non est sufficiens ad hoc vt Deus operetur ad extra, ergo debet parari concursus per volitionem efficacem concurrendi. Patet Antecedens etiam in nobis; nam per voluntatem inefficacem non possum ego
91 prodire in deambulationem. Respondeo, si Deus se ipsum liberè deberet determinare ad operandum, tunc futurum necessarium actum efficacem, quo omnipotentiam applicaret; at quia in eo concursu determinatur à creaturâ, sufficit illa voluntas inefficax. Quod vt intelligas, aduerte, Dei omnipotentiam ex naturâ rei esse indifferentem, vt subiiciatur quasi potestati voluntatis creatæ, ad modum quo habitus voluntatis cum illâ concurrens subiicitur ipsi voluntati, & sicut sol subiicitur causis particularibus, eumque determinantibus. At, quia hæc quasi subiectio, si non penderet à volitione diuinâ, esset summa imperfectio in Deo, ideò oportet vt pendeat ab aliquo actu voluntatis Dei libero; tunc enim saluatur perfectissimè dominium Dei in
92 hunc concursum. Ad hoc autem non requiritur vt actus ille sit efficax, sufficit enim inefficax; eo autem posito, tam est subiecta omnipotentia Dei nobis, quàm habitus voluntati, vel creaturæ ipsæ Deo cum illis concurrenti, quando ab illo determinantur. Vnde fit, vt tunc Deus, suppositâ primâ voluntate, nullo modo liberè operetur, sed perinde ac si esset agens necessarium, & nobiscum sine cognitione concurrens. Vnde etiam intelligitur, quomodo determinetur à creaturâ, etiamsi non sit prior concursus creaturæ. Neque in hoc maior est difficultas, quàm quomodo homo determinet solem ad concurrendum, licet idem sit vtriusque concursus: aut quomodo causa efficiens determinet materialem ad concurrendum in communi sententiâ, cùm tamen eadem sit actio & passio, vel voluntas habitum, & in vniuersum vna causa partialis alteram?

Vrgebis adhuc Secundò: Potest Deus velle 93
inefficaciter aliquid, & tamen non ideò fiet, ergo fortior voluntas quàm inefficax requiritur ad operandum de facto. Confirmatur: nullus non dicet, Deum, sicut potest velle inefficaciter meam salutem, non dando media vlla ad illam, ita posse velle inefficaciter meum bonum opus, & tamen non continuò parare concursum ad illud; ergo volitio inefficax non parat concursum.

Respondeo, inter ipsas voluntates inefficaces esse magnâ diuersitatem. Aliquæ enim sunt tantùm puræ complacentiæ in obiecto, quæ vix merentur nomen volitionis etiam inefficacis, prout hîc vsurpatur; aliæ vlteriùs desiderant obiecti existentiam, non tamen omnino, etiam quantum est ex parte suâ; habent enim alias rationes, quæ magis præponderant. Aliæ verò, quantum est ex 94
parte suâ efficaciter, sed non ideò omnino absolutè rem volunt, eò quòd pendeat etiam res illa ab alio, cui non volunt vim aut violentiam inferre. Et talis est voluntas de opere bono in Deo: quantum enim est ex se, dum vult concurrere, vult illud efficaciter; sed quia pendet à voluntate aliorum, & debet ei relinqui sua libertas, non est ea voluntas efficax absolutè. Et talem dico non posse dari in Deo, nisi paretur simul concursus ad opus bonum, licet aliæ complacentiæ, vel inefficaces volitiones, esse possint sine tali præparatione concursus, quod solùm probat obiectio. Propterea hæc voluntas potest dici quasi virtualiter efficax, & virtualiter conditionata, quatenus ita vult cum voluntate creatâ concurrere, ac si penderet ab eius concursu priùs viso; & ita suam omnipotentiam subiicit creaturæ, ac si efficaciter voluisset concurrere.

Tertia obiectio sit: Quia iam ponitur hæc vo- 95
luntas conditionata, id est, *volo amorem, si non sit carentia*; & *volo carentiam, si non sit amor*, quæ est voluntas ridicula. Respondeo Primò, quidquid sit de hoc puncto, certè hos Auctores non posse voluntates similes Deo denegare: quandocumque enim dicit, *offer mihi par turturum, aut duos pullos columbarum*, habet voluntatem hanc conditionatam, id est, offer mihi duos pullos, si non obtuleris par turturum; vel, offer mihi par turturum, si non duos pullos. Quomodo ergo, quæso, hi eam explicabunt, ita vt non sit ridicula? Quo ergo pacto illa explicabitur ibi, & mea hîc explicanda est. Absolutè ergo respondeo, eam voluntatem, etiamsi aliquo modo sit conditionata, non esse repugnantem; ideò enim illa

alia

alia conditionata in principio posita reiiciebatur, quia nolebat obiectum dependenter à se ipso, *volo vt sit meus concursus, si fuerit meus concursus.*
96 At hæc conditionata, etsi dicat, *volo actum liberum creaturæ, si non sit omissio libera*, non est ridicula; quia est medium, scilicet nec esse actum liberum, nec esse omissionem liberam, si nimirum nullum haberet concursum ad operandum, vel non existeret, tunc nihil esset. Tandem dico, aliud est velle obiectum disiunctiuè, aliud conditionatè. Hoc denotat se velle vnam partem determinatè, expectare tamen conditionem aliquam, quâ positâ ponatur vel fiat illud quod amatur. At, velle disiunctiuè, tantùm dicit, ex se contentum fore quocumque, vel ad nullum cogere, vel nullum alteri absolutè præferre; hunc autem modum respiciendi à se ipso habet formaliter ille
97 actus: sicut quòd vnus actus dicat, *Petrus & Paulus currit*, & alter dicat, *Petrus vel Paulus currit*, habent à seipsis, quia illud *vel* ac &, non est in obiecto, sed est diuersus modus affirmandi; ita in actu voluntatis est diuersus modus amandi: & in ipso intellectu non est idem dicere, *Petrus vel Paulus currit*, ac dicere, *si Petrus non currit, Paulus currit*; hæc enim secunda propositio non esset vera, si vterque curreret; prima tamen, vt dixi in Summulis, etiam vtroque currente vera est. non ergo voluntas aut iudicium disiunctiuum est idem cum conditionato.

Aduerte hinc Primò, Deum ad indiuiduationem determinare directè, sicut determinat ad speciem: dum enim dicit, *nolo concurrere ad odium*, vel *ad amorem*, dicit *ad hoc indiuiduum*
98 *odij*, vel *ad hoc indiuiduum amoris*. vnde non est tunc ex parte creaturæ prior determinatio ad odium in specie, quàm ad indiuiduum, vt malè aliqui suspicantur; sed dum se determinat ad odium, quia non habet concursum nisi ad hoc indiuiduum, simul formaliter se determinat ad hoc indiuiduum. Vnde numquam Deo soli tribui potest determinatio, etiam quoad indiuiduum odij.

Secundò infero, non esse necessariam ex parte Dei voluntatem aliquam, quâ posteà, præuisâ determinatione creaturæ, dicat, *volo peccatum*; hæc enim, vt suprà dixi, esset imperfecta: & talis secunda volitio iam hîc esset omnino otiosa, supponeret enim iam operationem creaturæ, & concursum Dei existentem; ad quid ergo requireretur?

Omitto hîc sententiam aliquorum, qui volunt dicere, Deum solùm concurrere ad rationem entis, vt sic, &c. quia vel hi sapiunt præcisiones obiectiuas, quòd scilicet ratio communis operationis, & non differentiæ ipsæ à Deo producantur. Et hoc est improbabile, quia in creaturis non po- 99
test neque per cognitionem vna ratio idemtificata attingi sine aliâ, vt alibi docui: & quidquid sit de cognitione, certè actioni productiuæ id repugnat. Præterea, non potest poni formalitas, quæ in se non pendeat immediatè à Deo, qualis illa esset, ad quam Deus non concurreret. Quòd si hi Auctores non velint talem præcisionem obiectiuam ponere, vt quid confundunt quæstionem terminis redolentibus eam præcisionem, & dantibus occasionem ad illam, in re autem nihil dicunt? Sufficiant quæ à nobis dicta sunt, satis enim ex se clara videntur.

DISPVTATIO VNDECIMA.

De Causâ secundâ efficiente.

SECTIO I.

Causæ secundæ verè Physicè operantur.

1 NON defuêre, qui causis secundis omnem negauerint operationem, censentes, Deum solùm omnia efficere ad præsentiam causarum secundarum. Hæc opinio est error in Fide & principiis naturalibus. In Fide, quia in Tridentino definitur, nos respectu actuum supernaturalium non esse inanime instrumentum, nec merè passiuè nos habere, sed actiuè. Præterea, in multis Scripturæ locis tribuuntur creaturis operationes, vt quando dixit Deus Abrahamo, *quia fecisti rem hanc:* item dixit Deus Caino, dum illius peccatum reprehendit, *quid fecisti?* quod non potest intelligi de Deo operante ad præsentiam Caini, aut Abrahami. si enim id ita esset, nec Abrahamus præmium, nec Cainus pœnam mererentur, sed Deus se ipsum laudare & reprehendere debuisset, qui ad præ-
2 sentiam Abrahami & Caini benè & malè operatus fuisset. Ratio naturalis desumitur ex dictis, quia operationes bonæ & malæ necessariò debent esse liberæ, & consequenter debent esse ab ipsâ creaturâ liberâ, alioquin non ipsa, sed Deus ad præsentiam illius operans, dignus esset laude aut vituperio; sicut, si ego decreuissem, ad præsentiam Petri laudare Deum, & ad præsentiam Pauli illum odio habere, nec Petrus nec Paulus mererentur pœnam aut præmium, sed ego ad præsentiam illorum benè aut malè operans. ergo nequit negari creaturis liberis effectio physica suarum actionum. Addunt nonnulli aliam rationem, eò quòd si ipsæ causæ secundæ non essent operatiuæ, nulla esset ratio, cur Deus ad præsentiam ignis produceret ignem, non autem ad præsentiam lapidis aut ferri; aut cur ad præsentiam lucis produceret calorem, non autem frigus, & ad præsentiam albedinis non produceret albedinem, sicut ad præsentiam caloris producit calorem.

Non satis solidè nostra sententia hoc argumen- 3
to fulcitur: sicut enim nos tenemur explicare, cur ignis producat alium ignem, non verò vnus Angelus alium, aut vnum ferrum aliud, idque reuocamus in proprias eorum naturas; ita etiam possent facilè, qui creaturis actiuitatem negant, respondere, ex propriis diuersarum rerum naturis prouenire, vt ignis v. g. exigat ad sui præsentiam produci à Deo alium ignem, id verò non exigat Angelus respectu alterius Angeli, & sic de aliis omnibus rebus.

Alij

Alij Auctores, impugnatam opinionem limitantes, creaturis spiritualibus operationem tribuerunt, negarunt verò materialibus. Alij è contrario concesserunt materialibus, & negarunt spiritualibus. Hi vltimi facilè refutantur, quia creaturæ spirituales sunt capaces libertatis, imò, in multorũ sententiâ solæ illæ possunt esse liberæ; ergo creatura spiritualis habet propriam operationem. Consequentia probata est numero 1. Antecedens est certum in Angelo & animâ rationali.

4 Primi Auctores, negantes creaturis materialibus operationes, impugnantur communiter, quia etiam bruta habent operationes vitales sentiendi & appetendi, hæ autem operationes debent fieri ab ipso principio in quo sunt, vt constat ex differentiâ principij vitalis à non vitali; ergo debent produci à bruto, sunt ergo bruta operatiua: esse autem brutum principium vitale, non verò lapidem, est per se notum, nec sine manifestâ amentiâ negari potest. Huic argumento non fiderem; admitto enim libenter, aliqua entia viuere, alia verò non: addo tamen, posse hanc differentiam explicari, licet negetur viuentibus operatio propria, si viuentia dicantur ea quæ sunt capacia recipiendi sensationes & cognitiones, &c. & earum effectus, etiamsi eas physicè non producant. 5 Eodem modo possit assignari differentia inter incrementum viuentium quod dicitur per intus-sumptionem, & inter incrementum non viuentium per iuxta-positionem, quin concederetur viuentibus propria operatio, sed ita, vt Deus ad exigentiam illorum faceret illud incrementum per intus-sumptionem, quod non faceret in non viuentibus, quia illud non exigunt. Et confirmo euidenter hanc differentiam: peto enim, Vnde probatur, bruta, quando vident v.g. vel audiunt, physicè operari? Dices, quia viuunt. Sed adhuc vrgeo: Vnde probas, ea viuere hac vitâ physicâ? Si dicas, quia operantur immanenter, facis vitiosum circulum, probans, ea viuere quia operantur immanenter, iam verò in hac quæstione probas, eas debere operari immanenter, quia 6 viuunt. Si verò dicas, à te videri bruti operationem, facilè redarguêris: licet enim videas, bruta videre vel audire, non tamen vides actionem in se emanantem à brutis (numquid si Deus eis infunderet visionem, id posses dignoscere?) ergo experientia non ostendit mihi eam actionem; sicut etsi videam niuem albam, coruum nigrum, an autem albedo & nigredo ab eis producantur, non video.

Dices, esse magnum discrimen, quia visio est actus vitalis, non verò albedo niuis. Ecce iterùm redis ad tuam conclusionem, & petitionem principij: ego enim probo, non esse vitalem physicè, etiamsi recipiatur in viuente; tu verò probas, esse vitalem quia producitur, & ideò produci quia est vitalis, & ibi est tota difficultas. Vnde tu probas esse vitalem physicè?

7 Denique Disputatione 2. de Animâ, à num. 58. funditus hanc rationem euertam, vbi ostendam, viuens intentionale non requirere actionem. Solùm hîc addo, me mirari, hos Auctores, stando rationi & experientiæ, clarius putasse, leonem producere suam visionem, quàm calorem suam calefactionem, vt velint eos, qui hoc vltimum negant, conuincere ex primo. Omissa ergo hac probatione, meliùs posset hoc idem ex eisdem brutis confirmari. Si enim bruta non efficiunt motum, cur cæduntur baculis, cur equo calcaria adhibes, cur canem ad te vocas, si ipsa animalia nihil prorsus agunt, sed Deus ad eorum præsentiam? Nisi fortè dicas, tunc Deum vocari, aut baculo cædi, vt moueat bruta; quæ qualis non esset blasphemia?

Secundò potest refutari ea opinio ex Scripturâ Genes. 1. vbi Deus dicitur imperasse terræ, vt produceret herbam virentem, & facientem fructus; subditurque, id ita factum fuisse, & protulisse terram herbam virentem. Si autem Deus 8 solus ad præsentiam terræ herbas produceret, terra verò ipsa nihil ageret; vt quid Deus terræ imperaret productionem herbarum? Sicut, quia ipse solus produxit lucem ad præsentiam aëris, non imperauit aëri vt produceret lucem, sed id quasi sibi ipsi imperauit, sicut in aliis effectibus. Accedit, verba Scripturæ intelligenda esse propriè, & in rigore: non autem intelligerentur, si *ita produxit terra*, non de terrâ ipsâ, sed de Deo acciperentur; ergo etiam creaturæ omnino materiales habent proprias operationes. Ratione etiam idem suadetur: quia, quando ad præsentiam harum rerum videmus resultare effectus aliquos, ad præsentiam scilicet caloris calorem, lucis lucem, &c. connaturalius est (si aliqua ratio non vrgeat) eos effectus reducere in eas res tamquam in causas, quàm tamquam in conditiones puras. quæ autem ratio erit, quæ probet à calore non posse procedere calorem, vel à luce lucem? ergo. Imò addo, difficilius multò esse, ostendere Deum 9 immediatè influere in hos effectus: non enim videtur necessarius talis influxus, vt voluit Durandus, quàm necessitatem influxus à causis creatis persuadere; hic enim ita clarus est, vt & idiotæ omnes, omnesque Nationes videantur supponere, calorem calefacere, solem illuminare, &c. non autem ita videtur clarum, Deum cum omnibus causis creatis influere. Sed & hoc etiam extremum vitandum est, de quo suprà satis.

Aduerto tandem, à nonnullis tamquam magnũ absurdum inferri ex contrariâ sententiâ, posse etiam dici, causas materiales non recipere accidentia, neque hæc illis inhærere. Sed si hi loquantur de causalitate materiali, iam ostendi suprà, valdè dubium esse, vtrùm detur talis causalitas materialis in rerum naturâ; & probabilissimum esse, non dari. vnde non esset pro me absurdum, si hoc negaretur. Si verò loquantur de receptio- 10 ne, id est vnione, in hoc sensu, negarent illi consequentiam, quia video albedinem meæ manui iniunctam; & hoc, dicent illi, vocamus nos vnionem, siue id fiat per modũm distinctum, siue non, calorem autem à calore prodeuntem non video, ideò hoc nego, non illud.

SECTIO II.

De ratione immediatè operatiuâ causæ secundæ.

DVPLEX potest esse quæstio, altera de ratione immediatè producente substantiam, altera de producente accidentia. Vtramque breuiter expediemus.

SVB-

SVBSECTIO PRIMA.

De immediatâ causâ producente accidentia.

ACCIDENS aliud *proprium*, quod dicitur propria passio essentiæ, quale est summus calor respectu ignis, frigus respectu aquæ, &c. aliud *commune* & *minus proprium*, vt actus cognoscendi & appetendi respectu animalis: & de vtrisque potest esse præsens difficultas.

11 PRIMA CONCLVSIO. Propriæ passiones producuntur immediatè à substantiâ, cuius sunt. Ita P. Suarez Disputatione 14. Metaphysicæ, sect. 3. & Disput. 18. sect. 13. & 17. Hurtadus Disp. 9. Physicâ, §. 21. & recentiores communiter. Probatur facilè Primò experientiâ, quâ videmus, aquam recuperare pristinam frigiditatem, quam contrariorum agentium violentia ei ademerat; illius autem frigiditatis nulla alia potest esse causa, nisi substantia aquæ.

Respondebis, id fieri per occultam qualitatem accidentalem, residentem in aquâ. Sed benè communiter hæc euasio præcluditur: si enim tam occulta est illa qualitas, vnde illam nosti? vel quo fundamento illam adstruis sine vllâ prorsus ne-
12 cessitate, nisi præcisè, ne des substantiæ virtutem operandi, prout semel id apprehendisti? Secundò reiicitur, quia de ipsâ qualitate occultâ fit idem argumentum: illa enim non potest habere aliam causam creatam, nisi ipsam substantiam aquæ, ergo aqua immediatè est operatiua illius qualitatis.

Dices, illam qualitatem non ab aquâ, sed ab eius generante fuisse productam. Sed contrà, quia generans non potest illam conseruare in secundo instanti; nam vel tunc non existit, vel non est approximatum aquæ, ergo saltem conseruatur immediate ab aquâ.

Adhuc respondebis, eam conseruari à solo Deo, supplente defectum generantis. Sed contrà Primò, si ad Deum recurris pro causâ conseruante eam qualitatem occultam, relinquis eam qualitatem, & recurras ad Deum vt ad causam caloris & frigoris, quis te ad occultas qualitates tra-
13 hit? Contrà Secundò, quia non est recurrendum ad Deum, quando datur causa secunda sufficiens, & sufficienter approximata: sed aqua est sufficiens & sufficienter approximata sibi, vt in se possit producere eam qualitatem, ergo non est recurrendum ad Deum. Maior & consequentia sunt certæ. Minor suadetur, & quoad approximationem non eget probatione. Quoad proportionẽ sic ostenditur: quia si accidens, quod est multò imperfectius substantiâ, habet virtutem vt producat aliud accidens, cur substantia non erit proportionata vt producat suam passionem? Sanè sine fundamento id illi negabitur. Et hinc infero, passiones non solùm conseruari, sed etiam primò produci non à generante essentiam, sed ab ipsâ essentiâ cuius sunt, quia hæc non est minùs proportionata in primo, quàm in secundo instanti; ergo in vtroque illas producet.

14 Mitto aliorum fundamentum, desumptum ex eo quòd ignis generans v. g. producit aliũ ignem & eius passiones, ergo poterit & proprias producere: mitto, inquam, hoc fundamentum, quia respondebunt aduersarij, passiones ignis geniti non à substantiâ ignis generantis, sed ab accidentibus illius produci, quæ est aduersariorum doctrina.

Aduerte Primò, passionum productionem dici simplicem emanationem, non quia non sit propria & rigorosa actio; si enim passiones sunt verum ens reale, distinctum ab essentiâ, necessarium est vt terminent propriam & rigorosam actionem: dicitur ergo emanatio, quia consequitur necessariò productionem essentiæ.

Aduerte Secundò, licet passiones dicantur fieri nomine generantis, re tamen verâ non fieri, nisi ab ipsâ essentiâ immediatè. Dicuntur autem fieri à generante, quia oriuntur necessariò ex essentiâ ab illo productâ; sicut etiam tribuitur igni calefactio ob eamdem rationem, licet propria illius causa & proprio nomine operans sit calor. quod obserua pro his quæ dicturi sumus libris de Animâ, dum de motu vitali egerimus.

Sed obiicies contra Conclusionem: Substan- 15
tia non est immediatè operatiua, ergo non producit suas passiones. Respondeo, sine vllo fundamento asseri hoc Antecedens, quod omnino falsum est: æquius est enim, vt virtus, quæ accidenti tribuitur, tribuatur etiam substantiæ multò perfectiori, quàm vt tribuatur accidenti imperfectiori.

Dices: Esse est prius quàm posse operari, ergo posse operari, est quid accidentale substantiæ. Sed ego contra hoc argumentum insto, & probo inde sequi, etiam in ipsis accidentibus, v. g. in calore, virtutem productiuam esse aliquid superadditum calori, & sic in infinitum; quia etiam in calore prius est esse, quàm operari, ergo. Respondent nonnulli, priùs naturâ esse ipsum esse, quàm posse operari. Sed hæc solutio non placet, quia si priùs naturâ est esse quàm posse operari, ergo esse distinguitur à potentiâ operandi, quia nihil potest esse priùs naturâ se ipso; virtus autem cale-
factiua in calore non est posterior ad ipsum calo- 16
rem, neque realiter neque naturâ: loquor de virtute in actu primo, abstrahendo iam ab approximatione, &c. Meliùs ergo negatur illud Antecedens, quod nullo modo vel apparenter potest vniuersaliter suaderi. Item & consequentia, quia etsi prius sit esse quàm operari, inde solùm fit, priùs substantiam debere existere quàm possit operari, vel ad summum infertur, eam indigere consortio accidentium; nullo verò modo inde probatur, eam per se non posse saltem inadæquatè operari simul cum accidentibus posteriùs aduenientibus.

SECVNDA CONCLVSIO. Substantia potest etiam immediatè se solâ producere alia accidentia, quæ non sint propriæ passiones. Hæc probabitur fusiùs libris de Animâ, dum ostenderimus, ab ipsâ solâ produci amorem; interim suadetur à simili, quia si vnum accidens potest se solo producere aliud, etiamsi non sit passio illius, cur non poterit idem præstare substantia quæ perfectior est accidente?

TERTIA CONCLVSIO. Potest substantia im- 17
mediatè in alio subiecto producere ea accidentia quæ in se producit, nisi impediatur concursu accidentis in ipsâ substantiâ existentis. Ignis v. g. si carens miraculosè calore, applicetur alicui passo, illud calefaceret. Probatur, quia calor productus in alio subiecto, non est perfectior quàm perductus in se; item modus operandi transeun-

ter.

ter non est perfectior modo operandi immanenter: sed in se ipso potest producere calorem immediatè, ergo etiam in altero passo, si ei applicetur. Quare autem de facto, quando ignis habet calorem, non producat immediatè calorem in alio subiecto, dicetur Conclusione quartâ. Quid huic argumento responderi posset, vide numero 18.

Huic Conclusioni opponitur Suarez, moueturque, eò quòd numquam videmus substantiam operari eiusmodi accidentia in alio subiecto sine consortio accidentis, ergo quia nequit
18 sine illo. Sed facilè negatur consequentia: ratio est, quia cùm ignis sit minùs distans à seipso quàm ab alio passo, priùs in se producit calorem, quàm in alio, nisi illum habeat in se; id autem non oritur ex necessitate consortij caloris ad illum producendum in alio subiecto. Vnde, si sine calore applicaretur passo, impediretur que in se illum producere, sine dubio illum producere posset immediatè in passo, sicut poterat anteà in se.

Posses adhuc fortè vrgere, non esse bonam consequentiam, *potest ignis in se producere calorem, ergo potest etiam in passo sibi approximato*; nam Angelus potest producere in se intellectionem, non potest autem in altero Angelo sibi approximato.
19 Respondeo, concedendo libenter, eam consequentiam non esse vniuersaliter bonam, ego autem eam facio in materiâ particulari, vbi non est specialis aliqua ratio, propter quam possit negari: nam & ignis est productiuus caloris absolutè (vt suprà ostendi) & calor est producibilis ab extrinseco, nam saltem ab alio calore extrinseco produci potest. Inde valdè probabiliter infero, & ab ipso igne posse produci in alieno passo: at intellectio in Angelo non est producibilis ab extrinseco, vnde non solùm ab altero Angelo, sed neque ab intellectione alterius produci potest, cùm tamen calor, de quo agimus, produci possit ab extrinseco; non ergo ex Angelo quidquam infertur contra nos.

QVARTA CONCLVSIO. Naturaliter loquendo accidentia passi, similia accidentibus substantiæ operantis, non producuntur immediatè ab ipsâ
20 substantiâ, sed ab accidentibus illius. Calor v.g. productus in ligno, non fit immediatè ab igne, sed à calore ignis. Ratio est clara, quia illa accidentia sunt magis proportionata effectui, quia sunt eiusdem speciei; ergo ipsa producunt immediatè accidentia in passo. Confirmatur: illa accidentia, in quocumque subiecto existant, producunt alia sibi similia eodem modo; calor v.g. siue in ferro, siue in aquâ, siue in alio subiecto existat, producit eodem modo calorem: sed tunc non iuuatur à substantiâ ferri aut aquæ, quæ non est productiua caloris, ergo etiamsi sit in igne, se solo producet alium calorem, nec tunc attemperabit suam virtutem, etiamsi vnus ignis eam attemperet in præsentiâ alterius; quia cùm sit magis proportionatus calor, quàm ignis alteri calori, inde est, vt licet vterque possit producere calorem, connaturalius tamen sit, vt eum producat solus calor; in duobus autem ignibus reperitur eadem proportio, vnde vterque æqualiter concurrit ad alium, si æqualiter applicatus sit.
21 QVINTA CONCLVSIO. Multa sunt accidentia, quæ producuntur simul à substantiâ, & ab alio accidente, v. g. omnes cognitiones ab animâ & à speciebus impressis. Item actus voluntatis ab animâ, & ab habitibus vel naturalibus vel supernaturalibus, vt fusiùs ostendetur in libris de Animâ.

SVBSECTIO SECVNDA.

De causâ immediatè productiuâ substantiæ.

TRIPLEX potest esse difficultas. Prima, an substantia sola concurrat vel possit concurrere ad productionem immediatam alterius substantiæ. Secunda, an solum accidens. Tertia, an substantia simul & accidens.

SVBSECTIO TERTIA.

Sententia Thomistica proponitur.

THOMISTÆ negant, vllam substantiam totaliter aut partialiter posse immediatè aliam substantiam producere. Probant Primò auctoritate S. Thomæ & Aristotelis, asserentium, omnem actionem esse inter contraria quæ solùm sunt accidentia, ergo substantia non producit immediatè aliam substantiam. Abutuntur hi 22
Auctores hac doctrinâ D. Thomæ, quæ, si vt iacet intelligenda esset, probaret contra ipsos Thomistas, nec ab accidentibus posse produci substantiam, nec actum ab habitu, nec amorem à voluntate, quia nulla ex his productionibus esset inter contraria; consequens autem in omnium sententiâ falsum est. Respondeo ergo, intelligendos esse hos Doctores de primâ radice operationis substantialis, quia vna substantia semper incipit debellare aliam, producendo accidentia contraria illis quæ sunt in substantiâ debellata: cum hoc tamen stat, vt posteà, expulsis iam contrariis accidentibus, vna substantia immediatè producat aliam. Eodem modo eos intellige, quando docent, substantiam non esse immediatè operatiuam, id est, non esse primò operatiuam extra se, quia priùs accidentia producunt alia sibi similia, deinde substantia producit aliam substantiam immediatè.

Dices Secundò cum recentioribus quibusdâ, 23
Si substâtia sit immediatè operatiua alterius substantiæ, sequitur, eam agere in distans, quod repugnat. Respondeo Primò, me dixisse suprà, posse causas operari in distans, dummodò operentur in medio. Secundò rogo, quomodo hi intulerint ex eo, quòd ignis in stupâ sibi approximatâ producat formam ignis, sequi, ignem agere in distâs; numquid tunc distat stupa ab igne? ergo propter hoc non debet negari vniuersaliter virtus producendi substantiam aliis substantiis. Adde, hoc argumentum etiam probare, neque ab accidentibus posse eam produci, quia tam distant accidentia ignis, quàm forma ipsa ignis à stupâ comburendâ: ignis enim forma est in toto passo, vbi sunt eius accidentia, quomodo ergo propter hoc argumentum negatur formæ ignis productio alterius formæ, & ea conceditur accidentibus ipsius?

Quòd si propterea dicas nec accidentia ignis 24
id effic[illegible] accidentia quæ sunt in ipso passo; si hoc, inquam, dicas, reiicieris Primò argumento communi, quo id infrà negabitur omnibus accidentibus. Secundò, quia in ipsis accidentibus

latet tota difficultas. Rogo enim, calor ille stupæ nónne est productus à calore ignis? ergo in distanti, ita tu suprà inferebas; ergo est eadem difficultas de accidentibus.

Video, te adhuc habere vnum angulum ad quem fugias: dices enim fortè, ignis accidentia producere calorem in solâ superficie indiuisibili stupæ sibi contiguâ, hanc autem rursus in aliâ immediatâ, & sic de ceteris. Parum hæc solutio iuuat hos Auctores. Primò, quia sententia Aristotelica, quam ipsi defendunt, non admittit tales superficies indiuisibiles vnam post aliam. Vnde necessariò debent concedere, aliquando produci ab agente calorem in parte diuisibili, & consequenter in aliquâ non immediatâ secundùm se totam agenti, quia pars diuisibilis secundùm se
25 totam non tangit agens vicinum. Sed relinquamus hanc impugnationem pro alio loco, iam magis ad rem nostram. Secundò arguo, Cur ergo idem non dicunt de formâ ipsâ substantiali ignis, scilicet eam producere ignem in primâ superficie stupæ, à quâ superficie rursus in secundâ producatur, sicque diffundatur ignis per totum passum. Concludo, argumento ex distantiâ non specialiùs impugnari substantiæ actiuitatem, quàm accidentis; quia tam vicina est substantialis forma, quàm eius accidentia, cùm ambo sint in eodem subiecto.

Tertiò, quia potentia & actus debent esse in eodem genere, ergo substantia non est immediatè operatiua. Sed retorqueo argumentum: accidens & substantia non sunt in eodem ordine, ergo accidens non poterit immediatè producere substantiam. Imò ex hoc Antecedente contrarium ego inferrem, scilicet, substantiam à solâ substantiâ posse produci, quia ambæ solæ sunt in
26 eodem ordine. Negandum ergo absolutè est illud Antecedens, quia Deus producit creaturas, cum quibus non est in eodem ordine, & substantia producit accidentia, à quibus maximè differt. Dixi, negandum absolutè, nam pro meo intento deberem iam eo vti, vt inde inferrem, substantiam producere substantiam, quia sunt in eodem ordine, vt actus & potentia, sed non vtor pro verâ sententiâ falso principio.

SVBSECTIO QVARTA.

Vera sententia.

SIT ergo PRIMA CONCLVSIO. Substantia potest, imò de facto producit aliam substantiam. Hæc est communis inter nostros, Scotistas, & Nominales. Hanc probant nonnulli, quia inter creaturas debet esse virtus productiua formæ ignis v. g. materia enim habet virtutem passiuam ad illam causandam materialiter, ergo illi debet correspondere virtus creata efficiens; hæc autè non potest esse accidens, quia est improporti-
27 onatum, ergo erit substantia. Hoc argumentum displicet, quia ex re minùs certâ, qualis est causalitas materialis materiæ in formas (de quâ suprà) vult probare rem certiorem, scilicet ignem produci ab igne. Secundò, quia etsi detur potentia passiua in materiâ, non ideò debet in creatis dari virtus actiua illi respondens; Angelus enim habet virtutem passiuam naturalem recipiendi species impressas, & tamen ei virtuti non correspondet alia creatura effectiua, quia solus Deus potest vt auctor naturæ, eas species infundere, iuxta sententiam valdè communem, quæ etsi fortè vera non sit, non reiicitur ex hoc capite. Non ergo est bona ea consequentia. Meliùs ergo probatur Conclusio nostra, quia magis proportionata est substantia ignis cum alterâ substantiâ ignis, quàm calor cum igne; ergo potiori iure ignis immediatè producit alium ignem, quàm calor. Confirmatur: quia inter duas res, 28
quarum vna est proportionata cum effectu, alia verò non, nequit sine fundamento productio immediata effectus adscribi causæ minùs proportionatæ, & negari magis proportionatæ. Sed (vt vidimus) nullum est fundamentum ad concedendum productionem substantiæ accidenti, & non alteri substantiæ; neque experientia ostendit nobis, ignem procedere à calore, & non ab ipsâ formâ: aliunde autem magis proportionata est substantia cum substantiâ, quàm accidens cum substantiâ; cur ergo, si nec proportio inter causam & effectum te iuuat, nec experientia contrarium docet, tam violenter contra naturas rerum negabis substantiæ virtutem productiuam alterius substantiæ, & eam concedes accidenti? Veritas hæc ex secundâ Conclusione amplius confirmabitur.

SECVNDA CONCLVSIO. Nequit accidens se 29
solo producere substantiam. Probatur, quia causa totalis debet continere formaliter vel eminenter effectum, nemo enim dat quod non habet; sed accidens non præcontinet substantiam nec formaliter, quia non est substantia, nec eminenter, quia non est perfectius, sed multò imperfectius illâ; ergo non potest esse causa adæquata substantiæ.

Respondent Primò Thomistæ, accidens operari nomine substantiæ continentis alteram substantiam. Sed contrà, quia operari nomine substantiæ, est mera denominatio extrinseca in accidente, quâ nihil perfectionis illi additur: quòd autem substantia præcontineat aliam, parum interest, si ipsa non influat immediatè in substantiam. Sicut enim parum prodest, Regem esse egregium Ducem, vt eius milites nomine ipsius decertantes hostes superent, si Rex ipse illis non adsit consilio, nec cum eis pugnando, vel eos regendo, hortando, &c. concurrat similiter, quid pauperem subditum iuuat, vt sui Domini nomine magnificos sumptus faciat, si neque nummum Dominus ei donat neque dat mutuò, nec alij eius nomine. Ita parum proderit accidenti ad 30
hoc vt substantiam producat, hanc contineri ab alterâ substantiâ, cuius nomine accidens vt illius famulus operatur, si nihil ex eâ continentiâ substantiæ deriuatur in ipsum.

Respondet Paulus Aresius lib. 1. de Generatione, quæst. 20. sect. 4. eò quòd accidens operetur nomine substantiæ, posse assurgere ad producendam substantiam. Sed hoc est ludere verbis. Quid enim est assurgere? numquid dormiebat accidens? aut iacebat in lecto? aut dum assurgit, induit nouam essentiam, quâ ditius factum iam possit substantiam producere, quam, si non haberet eam denominationem *operantis nomine substantiæ*, non potuisset generare? Respondent Secundò alij, deriuari à substantiâ in accidens virtutem, mediâ quâ operetur. Sed con-

trà, quia vel hæc virtus deriuata est accidens, vel
31 substantia. Si accidens, adhuc est improportionata ob dicta: si substantia, ergo iam substantia producit aliam substantiam immediatè, ideoque non erit necessaria illa virtus deriuata, sed immediatè ipsa substantia ignis operabitur, quia non est fundamentum ad concedendum illi substantiæ ignis deriuatæ immediatam operationem, non verò ipsi substantiæ ignis, à quâ deriuatur; cùm tua argumenta æquè procedant de vtraque substantiâ: fundantur enim in conceptu substantiæ creatæ vt sic.

Hinc etiam reiicies sententiam aliorum, qui eas productiones, factas ab accidentibus, tribuunt rationi genericæ aut specificæ illius substantiæ quæ producitur, v.g. quando producitur rana ex aquâ & calore, &c. dicunt, eam productionem fieri à ratione specificâ ranæ, cuius ea
32 accidentia sunt instrumentum. Dixi, ex dictis reiici hanc sententiam: quia si, etiam quando existit ipsa rana, non possunt accidentia illius adæquatè producere ranam, multò minùs poterunt eamdem producere quando actu non existit. Quòd si hi Auctores dicant, ea accidentia solùm partialiter concurrere, & ab eo cõcursu accidentium ranam denominari operantem; si hoc, inquam, dixerint, quoad primam partem conuenient cum sententiâ Suarez, de quâ statim; quoad secundam verò erit quæstio de nomine, vtrùm scilicet propter eum accidentium concursum, etiam ranæ, quæ tunc non existunt, dicendæ sint operari, de quâ quæstione de nomine non sum sollicitus. Vides ergo, hos in re planè conuenire cum Thomistis, & quasi noui aliquid dicerent, recurrere ad rationem specificam ranæ.

33 Displicet verò Secundò in his, quòd cùm ipsi negent rationem aliquam ranæ vt sic abstractam ab inferioribus, (negant enim nobiscum præcisiones omnes obiectiuas in creatis, neque aliam rationem specificam ranæ agnoscunt, quàm omnes ranas simul sumptas, confusè tamen cognitas) cùm inquam hoc concedant, non video, quo pacto dicant, rationem communem ranæ producere aliam ranam, quia in ipsâ ratione communi includitur rana ipsa producta, & ipsius filij, vt sic dicam, & aliæ possibiles, quæ numquam existent. Quomodo autem rana dicetur se ipsam primò producere, & quomodo huius ranæ filij vsque ad finem mundi, dicentur genuisse suum proauum vel atauum? Idem est de numquam extituris.

Fortassè propterea hi limitabunt suam sententiam, dicentque, se solùm nomine rationis specificæ ranæ, intelligere solas ranas quæ iam extite-
34 runt. Sed contrà manifestè, quia si de re ipsâ loquamur, eodem planè modo hîc in lacunâ aut piscinâ Pragensi producitur rana, siue in Indiâ siue alibi essent ab initio mundi aliæ ranæ, siue non, vt est manifestum lumine naturæ; ergo ista accidentia non magis respiciunt ranas, quæ ante quinque millia annorum fuerunt in Indiis, quàm futuras. Sed nec necessum est, tam procul aut tam retrò abire. quid ad hanc generationem cum accidentibus ranæ, quæ iam sunt vel in alterâ parte piscinæ, in quâ ista generatur? ergo non potest vllâ probabilitate tribui ea generatio ranæ omnibus aliis ranis quæ de facto existunt, & multò minùs iis quæ iam extiterunt.

Ex hac eâdem ratione ostenditur, hos multò grauiùs errare, dum eis accidentibus tribuunt respectum transscendentalem ad omnes & solas ranas quæ præcesserũt. Constat autem, id esse falsis- 35
simum, quia eadem accidentia essent in hac piscinâ, siue fuissent siue non aliæ ranæ in Indiâ & alibi, vt dixi; ergo si tunc non dixissent hæc accidentia respectum essentialem ad illas ranas, nec illum iam dicent. Patet euidenter consequentia, quia respectus essentialis seu trâsscendentalis est omnino immutabilis. Neque meliùs poterunt hi respondere, si rationem genericam ranæ velint dicere esse aliquam formalitatem ab omnibus obiectiuè abstractam: nam ratio communis abstracta, neque realiter existere, & multò minùs realiter operari potest, ergo non potest ei rationi communi vllo modo tribui ea productio. Videas ergo, hos Auctores & in re & in modo loquendi errasse. In re; iam enim ostendi eos conuenire cum Thomistis impugnatis; insuper, quia illum respectum transscendentalem malè concedunt ad ranas præcedentes. In modo autem loquendi etiam errarunt, quia numquam dicuntur omnes ranæ præcedentes producere iam vllam ranam, præsertim quando hæ producuntur sine concursu immediato aliarum, sed ex putri, seu ex excrementis.

Obiicies: De facto multæ substantiæ producuntur à solis accidentibus, animalia oriuntur ex putrefactione; aurum, argentum, reliquaque metalla & gemmæ non habent vllam causam substantialem à quâ producantur, ergo à solis accidentibus producuntur, potest ergo accidens se solo producere substantiam. Respondeo, eas 36
substantias produci à solo Deo, vt auctore naturæ, qui tenetur supplere defectum causarum naturalium, quando materia accidentibus disposita exigit naturaliter productionem formæ substantialis ad quam est disposita. Nec alienum est à Philosopho in his casibus ad Deum recurrere, cùm ratio naturalis ostendat, nullam esse tunc causam creatam sufficientem: si enim aliqua esset, maximè Sol; hic autem nullo modo præcontinet animalia & virtutem illorum sentiendi & appetendi, ergo non potest se solo illa animalia producere. Deinde, etiamsi possit dici, eum præcontinere aurum, argentum, gemmas, &c. adhuc non semper potest esse causa immediata illorum, quia non semper adest illis per operationem in
medio productam: non enim dubium, quin sæ- 37
pè nocturno tempore vltimò disponatur materia, tunc autem non habet sol vllam operationem in illam materiam, quia tunc solùm influunt alij Planetæ, ergo tunc non poterit sol eam formam producere. meliùs ergo ad Deum recurritur, qui semper præsens est, & præcontinet omnes effectus creatos.

Idem dico, quando ex silice oritur ignis, vel quando ferrum ardens comburit stupam: neque enim verum reputo, quod à nonnullis docetur, scilicet, in poris ferri candentis introductum fuisse ignem; tum quia ferrum ferè nullos habet poros, tum quia si quos habet, sunt adeò exigui, vt ignis ibi introductus nequeat conseruari in tam exiguâ quantitate. Quòd si adhuc ibi velis occultari ignem, tunc minorem difficultatem habebit in præsenti ea experientia.

TERTIA CONCLVSIO. Accidens neque vt causa par-

sa partialis attingit productionem substantiæ.
38 Hæc est Scoti & Nominalium, & valdè inter nostros communis: quam non probo, ex eo quòd res imperfectior nequeat etiam partialiter aliam perfectiorem producere; video enim, speciem impressam obiecti concurrere partialiter ad cognitionem, quæ est perfectior quàm ipsa species impressa: item visio beata est perfectior lumine gloriæ, à quâ tamen producitur partialiter. Probo ergo Conclusionem, quia substantiæ naturales operatiuæ, sunt se solis sufficientes ad alias substantias similes producendas, ergo non concurrunt de facto accidentia. Patet consequentia, quia quando datur causa proportionata vniuoca cum effectu, non est ponendus concursus alterius causæ æquiuocæ, vt in simili diximus nu. 11. de accidentibus. Antecedens probatur; quia si calor se solo est proportionatus ad alium calorem, cur non erit ignis proportionatus alteri igni? tam enim æqualis est vnus ignis alteri igni,
39 quàm vnus calor alteri calori. Vnde ad productionem animantium in vtero materno non concurrit nec partialiter immediatè semen à parente decisum, sed sola mater. loquor de productione animarum materialium; nam anima hominis à solo Deo producitur, à matre verò ad summum producetur vnio, de quo infrà.

Posses fortè obiicere: Sicut non repugnat vna forma substantialis, quæ adæquatè sit productiua alterius, & alia quæ nullo modo sit productiua alterius sibi similis, vt in adamante sæpè dixi; ita etiam non repugnabit altera, quæ sit solùm inadæquatè productiua. vnde ergo inferes formam ignis non esse talem? rursus ergo malè infertur, eam non indigere consortio accidentis. Hæc obiectio probat quidem, sententiam nostram non esse omnino certam, verùm licet possit esse talis forma substantialis partialem solùm habens virtutem (vt obiectio probat, & ego sæpè alibi dixi)
40 addo tamen, quando nos videmus ad præsentiam talis formæ alteram produci, connaturaliùs tribui à nobis totalem influxum tali formæ, quia non habemus fundamentum vllum ad dicendum eam indigere alterius consortio, vel ad multiplicandas causas, hoc enim non debet fieri sine necessitate, vt omnes fatentur: quidquid sit, an de potentiâ absolutâ possit esse aliqua indigens consortio alterius, an non. Simili discursu vtar ad distinguendas potentias ab animâ, ad non ponendos gradus heterogeneos, nec duas vniones in composito essentiali; licet admittam libenter, non repugnare aliquam animam indigentem potentiis distinctis, nec esse impossibiles gradus aliquos heterogeneos, aut duas vniones, &c.

Probari solet vlteriùs hæc Conclusio, quia nulla causa concurrit naturaliter ad effectum, in
41 quo non relucet aliqua formalitas correspondens illi causæ; sed in igne producto nulla est formalitas quæ correspondeat calori, omnes enim formalitates sufficienter alteri igni respondent, cùm sit vterque eiusdem speciei; ergo accidens non potest producere substantiam. Hoc argumentum semper mihi valdè debile visum est: multæ enim causæ concurrùt ad effectum, in quo non dantur aliquæ speciales formalitates respondentes ipsis, v. g. in effectu causæ secundæ nulla est formalitas respondens Deo, quæ non respondeat etiam creaturæ. Item si potentiæ distinguantur ab animâ, nulla est formalitas in cognitione quæ non respondeat potentiæ, & tamen simul cum illâ concurrit etiam anima; ergo ex hoc capite non est negandus accidentibus concursus in substantiam.

QVARTA CONCLVSIO. Non apparet repu- 42
gnantia in eo, quòd detur accidens naturâ suâ potens producere partialiter substantiam inadæquatè. Probatur, quia si aliqua ratio repugnantiæ posset afferri, ea esset desumpta ex minori perfectione accidentis; hanc autem reieci suprà: quæ verò desumitur ex defectu formalitatis correspondentis accidenti, proximè refutata est; ergo in ordine ad potentiam absolutam non est repugnantia in eo, quòd detur accidens immediatè attingens substantiam inadæquatè, & quo simul, tamquam concausâ, vtatur ipsa substantia ad productionem alterius, quod ex dictis paulò antè in solutione obiectionis contra tertiam Conclusionem clarissimè constat.

SECTIO III.

De causâ instrumentali & principali.

DE hac quæstione nonnulli latissimè disputant, sed immeritò; est enim ferè tota quæstio de nomine: certum enim est, in re aliquas causas esse tantùm dispositiuas, alias etiam immediatè producentes substantiam, alias concurrentes ad effectus sibi improportionatos vel nobiliores se, alias ad æquales vel etiam imperfectiores, alias concurrere sine eleuatione, alias verò eleuatas. Quæ autem ex his dicendæ sint causæ 43
principales, quæ instrumentales, quæstio est (vt per se constat) de solo nomine, in quâ non deerunt patroni pro quocumque modo loquendi.

Primò, omnes docent, causam æqualis vel maioris perfectionis cum effectu, & habentem proportionem naturâ suâ ad illum, dicendam principalem; quia si quæ alia hoc nomen meretur, non dubium, quin hæc. Vnde, Deus est causa principalis creaturarum, item vnus ignis respectu alterius, calor respectu caloris, item anima respectu potentiarum & actuum illarum, &c.

Secundò est certum, causam imperfectiorem effectu, nec habentem naturaliter virtutem ad illum, sed egentem eleuatione, esse causam instrumentalem: quod facilè suadetur, quia non potest esse imperfectior modus causandi, quàm prædictus; ergo, si quæ causa non est dicenda principalis, sed instrumentalis, maximè hæc. Vnde, si gratia physicè producitur ab aquâ, vt opinantur multi, aqua erit causa instrumentalis, & quia imperfectior gratia, & quia non habet naturalem virtutem ad illam.

Contra hoc secundum suppositum videntur 44
stare aliqui recentiores, docentes, illam esse causam instrumentalem, cui nulla formalitas respondet in effectu. vnde inferunt, etiamsi visio beata sit perfectior intellectu, & hic concurrat vt eleuatus; quia tamen in visione beatâ datur formalitas vitalitatis correspondens intellectui, ideò hic dicendus est causa principalis visionis: solùm ergo poterit esse causa instrumentalis, quæ mediatè & dispositiuè concurrit ad effectum, si de instrumentis naturalibus sermo sit, quia naturaliter (inquit) nequit aliqua causa immediatè

attingere effectum, nisi in illo detur aliqua formalitas exigens eam causam; in supernaturali-
45 bus autem, quia potest eleuari aliqua res ad producendam immediatè aliam, in quâ nulla datur formalitas exigens eam causam, ideò potest esse instrumentum supernaturale immediatè attingens effectum, vt aqua respectu gratiæ. Quòad hoc vltimum de instrumentis supernaturalibus acquiesco his Auctoribus, quoad primum verò de naturalibus displicent, quia causa instrumentalis verè & propriè est causa iuxta acceptionem communem; causa autem remota, vt talis, non est propriè causa, in sententiâ præsertim ipsorum; ergo vt talis non conuertitur cum causâ instrumentali. Et suprà dixi, etiam in causis naturalibus non requiri eam formalitatem ex parte obiecti respondentem, de quo fusiùs infrà. Præterea, nullus dixit, Angelum eleuatum supernaturaliter ad productionem alterius Angeli, futurum causam principalem, licet omnes formalitates Angeli producti correspondérent producenti.

46 Hinc Tertiò videtur dicendum, etiam eam causam, quæ perfectior est effectu, si tamen ad illum concurrat vt eleuata, & non virtute naturali, esse causam instrumentalem. Sic ab omnibus humanitas Christi dicitur causa instrumentalis miraculorum, v. g. restitutionis visus, auditus, &c. cùm tamen humanitas multò perfectior sit eis effectibus. Omnis ergo causa, quæ concurrit ad effectum aliquem eleuata, dicetur causa instrumentalis illius, præcipuè quando ipse effectus non requirit eam causam ex se: quod noto propter visionem beatam. licet enim intellectus naturaliter loquendo non possit illam producere, quia tamen ipsa visio petit produci ab intellectu, potest intellectus dici causa principalis illius. Ex dictis concludo, non esse de ratione instrumenti, non attingere immediatè effectum.

Secundò, nec esse de illius ratione, operari ali-
47 quid prævium ad effectum. Tertiò, nec esse de illius essentiâ, accipere aliquem impulsum, vel qualitatem, mediâ quâ operetur: aqua enim eleuata ad producendam gratiam est instrumentum, & tamen nihil prævium ad illam operatur, nullam qualitatem accipit quâ determinetur, sed immediatè se ipsâ attingit gratiam. Idem est de humanitate Christi respectu miraculorum, si ad illa physicè concurrat.

Sola ergo hæc restat difficultas, vtrùm omnis causa imperfectior suo effectu, etiamsi ad illum naturali virtute concurrat, dicenda sit causa instrumentalis. Affirmat P. Suarez Disputatione 7. Metaphysicæ, sect. 2. à num. 16. & Hurtado eam reputat probabiliorem, §. 137. & plures recentiores eam sequuntur, quæ placet, quia communior; & in quæstione de nomine solùm est attendendus communior loquendi modus.

48 Aduerte, instrumentum artis à nonnullis reiici à ratione proprij instrumenti physici, quia non attingunt physicè effectum, serra v. g. non diuidit lignum, nisi medio impulsu à mouente illam impresso, qui impulsus recipitur à serrâ, non tamen fit ab illâ, vnde ipsa non efficit physicè diuisionem, non ergo est propriè instrumentum. His acquiesco, quia causa instrumentalis debet esse propriè causa; ergo instrumenta artis, quæ non sunt causa, neque erunt propriè instrumenta Philosophicè loquendo.

Instrumentum diuiditur in *coniunctum* & *separatum*, coniunctum sunt omnia instrumenta artis; quæ non operantur, nisi actu moueantur ab artifice: separatum sunt omnes dispositiones naturales, v. g. calor aut frigus, quæ etiam separatæ ab igne & aquâ operantur, & disponunt materiam. In nostrâ sententiâ, asserente, non esse instrumentum nisi quod immediatè attingit effectum, nullum poterit esse instrumentum separatum in operando à causâ principali, quia, vt sæpè diximus, nulla causa partialis potest operari sine aliâ.

SECTIO IV.

Vtrùm per potentiam obedientialem possit quælibet creatura assumi ad producendum quemlibet effectum.

POTENTIA actiua, est potentia efficiendi; pas- 49
siua verò, recipiendi. Vtraque potest esse naturalis, quando scilicet est virtus naturalis efficiendi & recipiendi. Potest etiam esse supernaturalis, si non possit efficere vel recipere, nisi eleuata supernaturaliter; qualis est potentia Angeli, in ordine ad actus supernaturales. Hæc potentia supernaturalis dicitur alio nomine *obedientialis*, quia est potentia quâ creatura quasi obedit voluntati Dei, eleuantis illam ad aliquos effectus supra proprias vires producendos: & de hac quærimus in præsenti, vtrùm reperiatur in qualibet re, & ad quos effectus. Vtrùm aqua v. g. possit à Deo eleuari ad producendam gratiam, visionem beatam, vel quemlibet alium effectum. Videatur hac de re P. Suarez Tomo 1. in 3. Partem Disputatione 31. & Hurtadus Disputatione 9. sectione 14.

SVBSECTIO PRIMA.

Datur ea potentia in ordine ad aliquos effectus.

EAM potentiam dari in ordine ad recipiendos 50
multos effectus supernaturales, est extra controuersiam, quia anima recipit gratiam, habitus, & actus supernaturales, vt Fides docet.

Dices: Hæc dona non recipiuntur in animâ immediatè, sed in alio principio supernaturali. Sed contrà, quia illud principium recipitur in animâ immediatè, ergo negari nequit, aliquid supernaturale posse diuinitus recipi immediatè in subiecto naturali. Contrà deinde, quia omnino Chimæricum est tale principium supernaturale receptiuum medium, cui cetera dona supernaturalia inhæreant. Quale enim est, substantiale, an accidentale? si accidentale, ergo debet in animâ recipi, & redit de illo eadem difficultas. Si verò est substantia, rursus, vel completa, & sic non vnietur animæ, neque hæc ratione illius habebit gratiam: si verò incompleta, & vnitur animæ, ergo iam habet anima potentiam obedientialem, vt vniatur cum eâ substantia supernaturalis. Sed quid in hoc hæremus, cùm gratia, habitus, &c. in omnium sententiâ immediatè recipiantur in animâ, vel in eius potentiis? Datur ergo in animo potentia obedientialis passiua.

Deinde

51 Deinde etiam videtur certum, ineſſe animo rationali & Angelis potentiam obedientialem actiuam reſpectu actuum ſupernaturalium, quia anima per voluntatem & intellectum concurrit immediatè actiuè ad eos actus: definiuit enim Tridentinum, animam non habere ſe merè paſſiuè, & vt inanime inſtrumentum, reſpectu illorum actuum. Nec poteſt dici, eos actus non effici immediatè ab animâ, ſed ab habitibus ſupernaturalibus, qui ſint tota ratio agendi; non, inquam, id dici poteſt, quia hæc ſolutio tantùm probat, animam ſe habere merè paſſiuè, ſuſtentando ſcilicet in ſe habitus qui operantur, ſicut aqua habet ſe merè paſſiuè reſpectu calefactionis ortæ à calore ſibi inhærente. Secundò, quia ſi voluntas non concurrit immediatè cum illis habitibus, non poteſt operari liberè, quandoquidem nullo modo operatur. Vnde ſolus habitus poterit eſſe liber, imò neque hic, quia habitus ille non eſt potentia libera, potens & pro libito deter-
52 minare. Confirmatur: ille habitus, per te, ſe ſolo producit actum; ergo, ſi à Deo conſeruaretur ſine animâ, etiam tunc illum produceret eodem modo; ſed tunc voluntas non operaretur liberè per illum habitum, ergo neque modò. Minor eſt certa: quia ſi habitus eſt cauſa adæquata, non eſt neceſſum vt ſit in animâ; ſicut, quia calor eſt adæquata cauſa caloris etiam ſeparatus vt in Euchariſtiâ, naturaliter operatur, ſuppoſito primo miraculo. Conſequentia verò patet: quia modò non concurrit magis voluntas, quàm tunc, ſolumque habet vnionem cum illo habitu; hæc autem vnio non ſufficit vt operatio habitus ſit formaliter in poteſtate voluntatis, poſſitque eum actum impedire, vel efficere, ſicut non ſufficit vnio animæ cum corpore vt hoc operetur liberè formaliter per operationes animæ liberas. Videatur hac de re Hurtadus Diſputatione 9. Phyſicorum, à §. 165. Negari ergo nequit potentia obedientialis actiua & paſſiua, ſaltem in ordine ad aliquos effectus ſupernaturales, in quo conueniunt omnes noſtræ Societatis Auctores cum P. Suarezio ſuprà. Hoc autem ideò hîc fuſiùs non probo, quia in libris de Animâ Diſputatione III. à num. 6. hunc immediatum influxum animæ in actus liberos etiam ſupernaturales, ex profeſſo oſtenſurus ſum.

SVBSECTIO SECVNDA.

Argumenta ad negandam eam potentiam obedientialem in aliis rebus, proponuntur & ſoluuntur.

53 DIFFICILIVS eſt, vtrùm detur in omnibus rebus potentia obedientialis, actiua & paſſiua ad quoſcumque effectus. P. Vaſquez Tomo 2. in 1. Partem Diſputatione 176. cap. 3. & 4. quem alij recentiores ſequuntur, acriter negat eiuſmodi potentiam obedientialem in omnibus rebus.

Obiicit Primò: Quia vel hæc potentia eſt naturalis vel ſupernaturalis: ſed neutrum poteſt eſſe, ergo non datur. Probat Minorem: non enim eſt naturalis, quia non eſt ad effectus naturales; nec ſupernaturalis, quia non diſtinguitur ab entitate naturali, ergo. Reſpondeo Primò, hoc argumentum infringi in potentiâ obedientiali animæ ad videndum Deum; dicam enim etiam ego, Illa non poteſt eſſe naturalis, quia eſt in ordine ad terminum ſupernaturalem; nec poteſt eſſe ſupernaturalis, quia non diſtinguitur ab ipsâ ſubſtantiâ animæ. vide ergo tuum argumentum, 54
propter quod tamen non puto cogêris negare eam potentiam obedientialem animæ in ordine ad viſionem beatam efficiendam, vel ſaltem recipiendam, ſiue voces eam potentiam obedientialem, ſiue alio quocumque nomine. Abſolutè reſpondeo, illam potentiam in recto & intrinſecè eſſe naturalem, quia idemtificatur cum entitate naturali; ex parte verò termini eſſe ſupernaturalem, quia eſt ad terminum ſupernaturalem, à quo abſolutè ſupernaturalis potentiâ ſeu obedientialis denominatur.

Secundò obiicies: Illa potentia non eſt proportionata effectui, ergo non poteſt illum producere. Hoc argumentum etiam patitur inſtantiam in ſententiâ ipſius Vaſquez, admittentis, intellectum poſſe eleuari ad videndum Deum; nam, & ea viſio eſt extra ſphæram naturalem potentiæ, & potentia eſt ad illam improportionata ante eleuationem, & tamen eleuatione proportionatur. Diſtinguendum ergo eſt argumenti 55
Antecedens: Ante eleuationem non eſt proportionata ea potentia, conceditur Antecedens; poſt eleuationem, negatur Antecedens, & eadem diſtinctione diſtinguitur conſequens: ergo non poteſt ante eleuationem producere, conceditur conſequentia; poſt eleuationem, negatur.

Sed hinc inſurgit Tertia obiectio: Ante eleuationem erat improportionata, ergo & poſt eleuationem. Patet conſequentia, quia eleuatio non immutauit illam potentiam; nihil enim eſt aliud eleuatio, quàm voluntas extrinſeca Dei, quæ non immutat intrinſecè potentiam. Hæc etiam obiectio retorquetur contra ipſum Vaſquez, ſicut & duæ priores; quia in eius ſententiâ potentia paſſiua animæ, reſpectu gratiæ & aliorum donorum ſupernaturalium; item & productiua actuum ſupernaturalium (quando ſcilicet per auxilia extrinſeca fiunt, prout fieri poſſe fatetur ipſe Vaſquez & alij recentiores contra quos agimus) proportionatur per ſolam extrinſecam Dei eleuantis voluntatem. Sicut ergo ad aliquos effectus poteſt extrinſecè proportionari, poterit & ad omnes, ſi aliunde non obſtet.

Reſpondet huic inſtantiæ Vaſquez, intelle- 56
ctum ad hos actus concurrere per virtutem innatam. Sed contrà: quia ſi nomine virtutis innatæ intelligis concurſum immediatum intellectus, etiam idem ego dico de aliis entibus eleuatis, quia actio immediatè oritur ab illis: ſi autem virtutem innatam dicas virtutem naturaliter potentem eum effectum producere, dicis errorem, ſi non hæſerim, quia naturaliter non poſſumus efficere viſionem Dei. Nulla ergo eſt differentia inter hos & illos effectus quoad punctum præſens. Reſpondeo ego abſolutè, quòd ea entitas ſit proximè potens, non eſſe denominationem omnino intrinſecam illi, ſed partim intrinſecam, partim extrinſecam: ſicut etiam in igne poſſe proximè calefacere, non eſt denominatio igni omnino intrinſeca, ſed partim extrinſeca, proueniens ex voluntate Dei concurrendi cum igne, & ab approximatione paſſi, quæ etiam igni eſt extrinſeca; & partim intrinſeca, à propriâ entitate. Imò quantum ad hoc, eodem pror- 57

sus modo se habet potentia naturalis, ac obedientialis, cum hac solâ differentiâ, quòd potentiæ naturali debetur naturaliter illud complementum extrinsecum, scilicet, voluntas Dei concurrendi cum potentiâ; obedientiali autem potentiæ non debetur, imò est supra eius exigentiam, illud complementum, ideoque ante eleuationem, quia non exigit ipsam eleuationem, non potest dici absolutè potentia & virtus, sed solùm cum addito *obedientialis*: naturalis verò etiam ante concursum Dei dicitur potentia, quia illum petit.

Quartò obiicies: Nulla causa potest eleuari ad effectus non contentos intra sphæram suæ actiuitatis, sed gratia v. g. non continetur intra sphæram aquæ, ergo non potest aqua eleuari ad
58 eam producendam. Confirmatur: intellectus ideò non potest etiam de potentiâ absolutâ amare, quia amor non est intra sphæram eius; similiter voluntas non potest intelligere, nec visus audire, &c. ergo nec gratia poterit ab aquâ produci. Confirmatur Secundò, gratia naturâ suâ non pendet ab aquâ, ergo non potest Deus facere vt ab aquâ dependeat, quia gratiam dependere ab aquâ, est aliquid idemtificatum cum gratiâ.

Iam Quartò cogor ostendere his argumentis ipsosmet Auctores peti: admittunt enim in lapide v. g. potentiam passiuam ad sustentandam gratiam, cùm tamen gratia non sit intra sphæram lapidis; quomodo ergo Deus facit, vt dependeat tunc gratia à lapide aut à subiecto, cùm tamen natura suâ sit ab illo independens? Idem ostendo rursus in potentiâ obedientiali actiuâ animæ respectu visionis beatæ, actuum voluntatis, &c. qui actus non includuntur sub sphærâ naturali
59 animæ. Respondebis, eos actus non contineri sub sphærâ naturali intellectus, sed sub sphærâ supernaturali. Sed cur non vides, me idem dicturum de gratiâ respectu aquæ, scilicet, eam non contineri intra sphæram naturalem, sic verò intra supernaturalem aquæ? Dices rursus, neque sub sphærâ supernaturali aquæ contineri gratiam, cùm nec supernaturaliter possit ab illâ produci. Benè, de hoc est tota quæstio: probas tuam conclusionem ipsâ conclusione. Argumento tuo iam respondi, dum illud contra te vrli, & tuâ solutione vsus illi satisfeci.

Ad confirmationem, desumptam ex intellectu, respondeo, eam posse eleuari ad efficiendum amorem, non verò ad amandum. Discrimen fortè assignabitur à multis, eò quòd intelligere est actus vitalis, qui eo ipso debet esse ab intrinseco, id est, debet petere, oriri, & recipi in intellectu:
60 quod quia non habet ille amor, ideò non communicat intellectui effectum formalem amantis; vt autem efficienter quomodocumque producat amorem, nihil horum requiritur. Ita non pauci, imò ferè omnes respondent. Sed ego non vtar hac solutione, Primò, quia (vt dicam Disp. vt. de Animâ, à num. 37.) effectus formalis amantis vt sic non requirit necessariò amorem produci à voluntate, sed potest prouenire ab amore per se infuso. Secundò, quia etsi requireretur ea vitalitas, sufficienter saluaretur, dummodò actus amoris oriretur & reciperetur de facto in ipso intellectu. Meliùs ergo respondeo, discrimen manifestum esse inter operari efficienter amorem & inter reddi amantem, quia hic est effectus formalis, seu totum quoddam, quod non potest prouenire à quibuscumque partibus: neque enim potest facere Deus, vt sit homo, & sine animâ rationali, aut sine materiâ primâ. Vnde nequit Deus 61
eleuare Angelum, vt cum animâ rationali constituat hominem; poterit tamen illum eleuare vt producat animam; quia hoc solùm dicit, Angelum producere diuinitus aliquid à se distinctum, quod naturaliter non poterat, nec propterea mutatur eius intrinseca essentia. At effectus formalis amantis est totum, resultans ex voluntate & amore, sicut album ex albedine & subiecto, & homo ex materiâ & formâ: vnde sicut Deus non potest facere sine albedine album, etsi nigredinem loco illius substituat; ita neque amantem sine voluntate, licet loco illius ponat intellectum. Vbi aduerte, malè nonnullos putare, effectum formalem esse solam formam: nam (vt sæpè dixi) includit tamquam compartem ipsum subiectum tam essentialiter quàm formam, vnde eo mutato necessum est vt mutetur effectus formalis. Vnde, si gratia diuinitus poneretur in lapide, 62
non ideò esset gratus: nec si verbum diuinum assumpsisset naturam irrationalem, illa natura esset sancta & amica Deo, etiam in sententiâ Vasquez & aduersariorum. Idem rursus confirmo in ipso Deo, qui potest solus producere calorem, & supplere defectum causæ efficientis, non tamen potest solus sine subiecto facere cum calore album. Quod ergo Deus non potest facere sine omni subiecto, ita non potest facere in ordine ad effectum formalem amantis sine voluntate, etiamsi sine illâ, vtendo tamquam instrumento ipso intellectu, possit amorem producere, sicut solus potest eum amorem producere. Vel si hoc negaueris, pone exemplum in albedine, vt paulò antè dixi, & hæc est tam clara instantia contra obiectionem, vt manifestè constet, malè argui ab effectu formali ad causam efficientem.

Ad secundam confirmationem Primò respon- 63
deo, dependentiam effectus à causa non esse propriè exigentiam, iuxta dicta suprà, dum ostendi, eumdem effectum posse oriri simul à duplici causâ totali. Est ergo dependentia, *acceptio esse à causâ*. Quare nego, non posse à Deo fieri, vt effectus, qui naturaliter non accipit esse ab aliquâ causâ, illud accipiat de potentiâ absolutâ. Adde, etiamsi dependentia sit exigentia, rectè posse à Deo fieri, vt effectus ex se non exigens causam aliquam, eò quòd ab alterâ producitur sufficienter, illam tamen exigat hîc & nunc. Si enim Deus auferret causam à quâ anteà producebatur, proculdubiò, vt existat, poterit exigere aliam, etiam illam à quâ anteà non pendebat, seu quam priùs non exigebat. Ad probationem respondeo, actualem dependentiam effectus à causâ esse distinctam ab ipso effectu; vnde rectè potest mutari eo 64
inuariato: dependentiam autem radicalem, id est, non-repugnantiam, vt possit actu dependere, non distingui ab ipso effectu, sed tunc nego, gratiam naturâ suâ non habere eiusmodi dependentiam respectu aquæ, & è contrario; nam gratiâ naturâ suâ posset de potentiâ absolutâ produci ab aquâ, & aqua diuinitus posset producere gratiam.

Sed hinc insurgit grauior difficultas, quia si est essentiale aquæ, posse producere saltem de potentiâ absolutâ gratiam, & quascumque alias res,

ergo

ergo aquæ possibilitas pendet à possibilitate omnium rerum in particulari, quod videtur absurdum. Deinde etiam sequitur, Angelum comprehendentem lapidem, vel aquam, debere cognoscere omnes res possibiles in particulari, quod repugnat. Respondeo, concedendo totum intentum, scilicet, possibilitatem lapidis pendere à
65 possibilitate omnium rerum. Vide quæ diximus Disputatione VII. à num. 14. & seq. de causâ in ordine ad suos effectus, & ea omnia in præsenti, mutatâ materiâ, applica. Nego autem id esse absurdum. Ad secundam illationem, concedo, eo ipso quòd perfectissimè lapis cognosceretur, debere in eo cognosci omnes res possibiles; nego tamen, naturaliter loquendo, posse eâ perfectione lapidem ab Angelo comprehendi, sicut licet intellectus habeat per te eiusmodi potentiam obedientialem respectu actuum supernaturalium, & lapis illam habeat saltem passiuam respectu gratiæ, non tamen ideò Angelus naturaliter cognoscens intellectum deuenit in cognitionem actuum supernaturalium & gratiæ, quia ad hoc non sufficit cognitio naturalis quam habet Angelus de illo obiecto.

66 Sed vrgent adhuc multi recentiores: Si dicamus, potentiam obedientialem esse idemtificatam cum creaturâ, non est vnde eam possimus distinguere à potentia naturali; hoc autem est falsum, ergo. Explico hoc vlteriùs: quandoquidem ea potentia est idemtificata cum ipsâ animâ, ergo Deus, dum illi dat concursum ad eos actus supernaturales, non facit contra vel supra naturam illius, ergo ille concursus non poterit illi esse supernaturalis, ergo neque effectus, qui ex illo concursu naturaliter sequitur, erit ei supernaturalis. Neque hoc argumentum vrget vllo modo, Primò, quia & qui negant respectum essentialem naturalibus terminis, sicut & supernaturalibus, non magis possunt assignare differentiam inter effectus naturales & supernaturales, quàm nos, qui vtrisque eum respectum concedimus. Vel meliùs pro me dicam, qui docent, igni non esse essentialem respectum ad alium ignem, adhuc posùt benè explicare, in quo differat potentia naturalis ignis ad comburendum à potentiâ obedientiali ad producendam gratiam; ergo ea differentia non pendet ex eo, quòd potentia naturalis
67 sit essentialis, obedientialis verò non, vt hi supponunt. Pro solutione ergo aduerte, etiamsi alicui subiecto sit idemtificatus aliquis ordo, vel respectus ad aliquam formam, posse tamen esse magnum discrimen in modo respiciendi illum terminum. Aquæ essentialis est capacitas passiua recipiendi calorem, sicut est essentialis igni, non tamen propterea aquæ connaturalis est calor, sicut igni. Item lapidi essentialis est capacitas motus ad centrum, & sursum, & per planum; & tamen vnus motus est illi connaturalis, alter violentus, alter medius; ergo licet intellectui sit essentialis capacitas videndi Deum, sicut est eidem essentialis capacitas cognoscendi Deum, non propterea fit, visionem Dei futuram ei connaturalem, sicut est ei connaturalis cognitio de Petro. Dico ergo, etiamsi potentia illa remota recipiendi gratiam sit essentialis animæ, sicut est es-
68 sentialis capacitas recipiendi volitionem naturalem; tamen, quia volitio naturalis est illi proportionata, non solùm habet remotam capacitatem, sed & exigentiam eius volitionis, ita vt non fiat ei extraordinarius fauor, si concedatur. At respectu gratiæ ita habet capacitatem, vt non habeat exigentiam illius, nec naturalem proportionem ad eam recipiendam, sed solùm id possit miraculosè. Quòd si petas, vnde proueniat ea differentia inter gratiam & actus naturales; dico, ex inæquali perfectione, ratione cuius gratia excedit animæ capacitatem: amor autem naturalis, quia non ita perfectus, est proportionatus ipsi animæ. Hinc ad confirmationem respondeo, Deum eleuantem voluntatem, non facere cõtra id ad quod creatura habet potentiam remotam; facere tamen supra id quod exigit, vel debetur, vel supra id quod ei est proportionatum. Et hoc sufficit, vt ea eleuatio sit supernaturalis.

Nec puto, hos Auctores mihi negaturos, quòd 69
si esset intellectus aliquis, qui nec diuinitus posset eleuari ad visionem Dei (siue repugnet siue non) illum eo ipso futurum diuersum essentialiter à nostro, etiamsi in aliis prædicatis conueniret: ergo capacitas illa obedientialis passiua eis causis essentialis est, aliàs repugnaret in terminis, vt per solam illius ablationem intelligeremus diuersitatem essentialem in ipsis rebus. Vnde D. Augustinus lib. 1. de Prædestinatione Sanctorum, cap. 5. hæc ait: *Posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, naturæ est hominum; habere autem charitatem, gratiæ est fidelium.* quo clarissimè nostram sententiam expressit. Iam autem in eo casu facio idem argumentum, quod illi contra me in aliis potentiis obedientialibus aquæ ad gratiam, &c. & necessariò debebunt recurrere ad meam solutionem de diuerso modo respiciendi illos terminos, etiamsi vterque respectus sit essentialis.

Confirmo & explico. Homo differt à lapide in 70
hoc quod est hominem posse eleuari ad videndum Deum, quod non habet lapis; ergo in homine illa eleuabilitas (vt sic loquar) aliquid est essentiale, aliàs non posset per illam differre à lapide, etiam antequam eleuaretur, &c. Hæc autem rursus non maneret in homine, si visio Dei repugnaret, ergo dicit essentialem ordinem ad visionem diuinitus possibilem.

Denique in hoc consequentiùs loquimur ad virtutem causarum naturalium, quia si semel dicis, sine vllo respectu essentiali per solam eleuationem possibilem reddi hominem potentem videre Deum, cur etiam non dices, sine vllo respectu essentiali ad intellectionem, etiam naturalem, per solum auxilium naturale possibile, reddi hominem intellectiuum, & consequenter etiam si repugnaret omnis intellectio, posse hominem eumdem manere? Hæc contra eos, qui 71
licet nobiscum potentiam obedientialem adstruant, negant tamen eam esse essentialem. Redeamus ad negantes eam potentiam.

Qui tandem possunt obiicere, se non intelligere, quomodo possit aqua eleuari ad productionem gratiæ. Respondent benè recentiores; hanc esse valdè periculosam obiectionem in quæstionibus de potentiâ Dei absolutâ: vbi si non inuenitur clara repugnantia, oportet captiuare intellectum in obsequium omnipotentiæ Dei. Ita verum est, sed hi iidem recentiores hìc ita pro omnipotentiâ Dei loquentes, alibi negant de potentiâ absolutâ multa possibilia propter obscuram & solùm apparentem difficultatem, quod non

cohæret cum hac eorum propositione, *oportet inuenire apertam repugnantiam, siue captiuare intellectum*, &c.

SVBSECTIO TERTIA.

Datur ea potentia obedientialis, & quid sit.

IGITVR dicendum est cum P. Suarez suprà, & ferè cum omnibus nostræ Societatis recentioribus, in quacumque entitate creatâ dari eiusmodi potentiam obedientialem actiuam ad quoscumque effectus.

Primò probatur, quia non implicat contradictionem eiusmodi eleuatio, vt ex solutione argumentorum constat, non ergo est neganda diuinæ omnipotentiæ.

Sed oportet tantillum in bonitate consequentiæ hærere: nam eam absolutè nonnulli negant: aiunt enim, licet à Deo possint fieri omnia quæ non implicant contradictionem, à creaturâ tamen non posse fieri omnia quæ non implicant, sed necessarium esse vt sit aliqua proportio inter
72 causam & effectum. Rationem reddunt, quia licet terminus omnipotentiæ diuinæ sit omne id quod non implicat contradictionem, creaturæ tamen virtus non ita extenditur, sed certos habet terminos suæ actiuitatis.

Hæc doctrina videtur manifestam inuoluere implicantiam. In præsenti enim non quærimus, quid causa secunda ex se possit suis viribus facere, sed an Deus possit eâ vti ad producendos quoscumque effectus. Hi dicunt, & benè, Deus potest facere, quæ non implicant contradictionem. Admittunt vlteriùs, Deum eleuare creaturam ad omnes effectus, non dicere duo contradictoria; ergo tenentur admittere, Deum posse eleuare creaturam ad quoscumque effectus. Confirmo ad hominem: Probant, idem corpus posse à Deo in multis locis poni, quia non implicat contradictionem: atqui etiam tunc ea positio, seu illæ vbicationes, vel quidquid est (ne in hoc
73 cum illis hæream) competunt immediatè creaturæ, imò magis intrinsecè, quàm operatio ad extra; ergo, licet creaturæ etiam debeat competere operatio, tamen quia ex eo, quòd Deus eam eleuet, non sequuntur duo contradictoria, poterit illam eleuare ad producendum, sicut potest illam eleuare ad recipiendas multas vbicationes in multis locis. Malè ergo, admisso Antecedente, consequentia negatur. Disparitas verò illa non benè assignatur: quia licet verum sit, creaturam suos terminos habere, vltra quos ex se non possit extendere; vt tamen Deo volenti ipsam eleuare obediat, non potest habere alios terminos, nisi quando sequuntur ex eleuatione duo contradictoria, quæ tamen fatentur non sequi, vel saltem admittunt pro consequentiâ.

Secundò eamdem sententiam probat P. Suarez suprà sect. 6. quia Patres videntur affirmare, sicut aqua in Baptismo mundat exteriùs, ita interiùs mundare animam, &c. quibus videntur physicam causalitatem aquæ in Sacramento docere.
74 Sed ego puto omnino, hæc & similia loca potiùs esse contra P. Suarez quoad quæstionem de facto, quàm pro illo. Et quidem non illi fauere, patet, quia Patres solùm dicunt, nos interiùs ab aquâ lauari & mundari, &c. Vtrùm autem id fiat physicè, an moraliter, non pertinebat ad intentum Patrum. Quòd verò sint contra P. Suarez, facilè suadetur: nam Patres in eis locis eodem modo dicunt nos ab aquâ lauari, siue priùs terminetur ablutio quàm verba Baptismi, siue eodem momento: nec Patres fecerunt in hoc vllam distinctionem, vt per se constat. Atqui, si priùs fiat ablutio quàm verba terminentur, non potest aqua physicè causare gratiam, sed solùm moraliter, etiam in sententiâ ipsius Suarez; ergo Patres non loquebantur ibi de causalitate physicâ, sed de morali. Probo Minorem, in quâ est difficultas, quia Sacramenta non causant gratiam, nisi in vltimo sui esse: nam antequam sint partes essentiales illius, non causatur gratia; sed quando terminatur Sacramentum in posito casu (qui fre-75
quentissimus est) iam ablutio aquæ physicè periit, ergo aqua seu ablutio non potest physicè operari gratiam, quia nihil physicè non existens nec diuinitus potest operari, in sententiâ ipsius etiam Suarez. Parum ergo ex locis Patrum pro præsenti quæstione potest inferri. Quod dico de Sacramentis, dici potest de humanitate Christi Domini in ordine ad miracula, scilicet Patres non fuisse sollicitos de causalitate physicâ, sed vel hac vel morali contentos.

Aliam probationem ex eo, quòd dæmones torqueantur igne materiali, concurrente per potentiam obedientialem, etiam omitto, ne committam circulum; quia ad illud debet hæc quæstio supponi probata: nolo autem hanc ex illâ, & illam ex hac probare. Hoc vltimum feci in materiâ de Angelis, ideò primum omitto.

Secundò ergo probatur ex potentiâ obedien-76
tiali passiuâ, quam & aduersarij concedunt in omnibus rebus ad quascumque formas, ergo etiam erit potentia obedientialis actiua ad quoscumque effectus. Probo consequentiam, quia difficilius esse videtur, efficere vt aliqua forma dependeat à subiecto quod ex se non respiciebat, quàm efficere vt effectus pendeat à causâ extrinsecâ, ad quam ex se non dicebat ordinem; quia imperfectior modus dependendi est, dependere à causâ materiali seu subiectiuâ, quàm ab extrinsecâ seu efficienti; ergo si quodlibet subiectum potest eleuari ad recipiendas quascumque formas, poterit & ad quæcumque extrinsecè efficienda.

A paritate verò rationis ex potentiâ actiuâ obedientiali intellectus ad videndum Deum, valdè etiam confirmatur ad alios actus: differentiæ enim quæ assignari possunt, nullæ sunt, vt respondendo contrariis argumentis ostendi. Quod ve-77
rò dicunt, intellectum naturâ suâ habere virtutem ad vitalitatem, & illi hanc correspondere formalitatem, nihil est ad rem, quia intellectus non habet naturâ suâ virtutem ad eam vitalitatem, sed ad aliam genere diuersam. Si autem illam rationem ita abstractam mihi accipis, etiam dicam, aquam posse eleuari ad gratiam, quia habet virtutem naturâ suâ ad rationem accidentis vt sic, in quâ conuenit gratia cum frigore, quod potest aqua producere. Et, vt sæpè dixi, istæ conuenientiæ, quæ ex rationibus abstractis desumuntur, nullæ sunt. Quis enim poterit taxare, in quo genere debeat esse illa conuenientia? Et sicut ponis eam in tertio genere, ego in quarto, alius ponet in quinto; vnde certa mensura desumetur?

Hinc

Hinc etiam constat, eam differentiam de formalitatibus nullam esse, quia intellectui in visione nulla ex naturalibus formalitatibus conuenit, quia ea vitalitas visionis Dei est longè alia à vitalitate quam respicit intellectus, quæ solùm est naturalis. Si autem ratio generica abstrahatur, etiam calori respondebit ratio accidentis, quæ est in gratiâ, vt paulò antè dixi.

78 Sed obiicies: Etiam non repugnat vna creatura, quæ nec diuinitus possit eleuari ad omnes effectus. Quæ enim duo contradictoria sequuntur ex tali creaturâ? Ergo non est vniuersaliter verum, dari in omnibus eam potentiam obedientialem ad omnes effectus.

Difficilis obiectio, in quâ contra nostram sententiam forma nostri argumenti retorquetur. Sicuti enim ego argumentor, Possunt omnia entia eleuari, quia ex eo quòd eleuentur, non sequuntur duo contradictoria; ita hîc retorquetur argumentum, Non sequuntur duo contradictoria ex eo quòd producatur vna creatura cui hoc repugnet, ergo. Respondeo tamen, hîc esse duas quasi contrarias partes, quarum vna dicit, *non sequuntur duo contradictoria ex eo quod Deus non possit eleuare*; altera dicit, *non sequuntur duo con-*
79 *tradictoria ex eo quòd Deus possit*. In hac autem controuersiâ, quamdiu nobis non constiterit de repugnantiâ, tenemur inclinare ad partem quæ auget omnipotentiam Dei, & dicere, si neque in eo quòd non possit, video duo contradictoria, neque etiam & video in eo quòd possit; dico, Deum posse, quia hoc est magis dilatare omnipotentiam Dei. Fortasse in re erit aliqua creatura, quam Deus non possit eleuare: sed quando de neutrâ parte nobis constat, debeo ego dicere, Deum posse omnes eleuare, & pro omnipotentiâ magis quàm pro alterâ parte sentire.

Obiicies Secundò: Ergo etiam erit potentia obedientialis actiua in relationibus diuinis, vt possint immediatè ad extra aliquid producere, etiamsi iuxta communem veramque sententiam naturâ suâ non sint operatiuæ. Consequens autem est absurdum, ergo. Respondeo, negando sequelam, & ratio est, quia in diuinis operationes ad extra sunt communes toti Trinitati, vt omnes
80 Theologi supponunt, & consequenter debent oriri ab aliquo communi principio tribus personis: hoc autem non potest esse relatio, sed essentia, quia sola hæc est communis tribus personis; ergo non potest relatio vt talis vllo modo immediatè ad extra operari; præterquam quòd ibi non habet locum eleuatio, quia hæc dicit aliquid
77 supra naturam rei eleuatæ; nihil autem potest esse supra Dei aut personalitatis diuinæ capacitatem.

Rogabis, quid sit eiusmodi obedientialis potentia actiua, cuius existentiam probauimus. Hac de re Hurtadus Disputatione 9. à §. 129. Nos breuiùs dicimus Primò contra aliquos, eam non esse aliquid negatiuum ex parte ipsius creaturæ. Ratio est, quia à negatiuo vt tali non potest oriri immediatè effectus physicus, siue id explices per non-repugnantiam, siue quomodocumque: ergo si non des mihi aliquid positiuum quod in-
81 fluat, non potes dare veram causam. Dico Secundò, ex præcedentibus constare, eam potentiam esse ipsammet entitatem creaturæ, quia ostensum est, creaturam immediatè recipere ea dona supernaturalia, animam v. g. habitus supernaturales, item & voluntatem intellectumque immediatè actiuè concurrere ad intellectionem & volitionem. Diximus insuper, eodem modo posse eleuari cetera entia ad operandum. Hinc vlteriùs fit, eam potentiam non esse aliquid superadditum ipsi creaturæ, quia sine vllâ qualitate superaddita concurrunt & effectiuè & receptiuè; est ergo eiusmodi potentia ipsa entitas creata vt connotans eleuationem supernaturalem Dei, quâ completur in ordine ad eos effectus producendos.

SECTIO V.

Vtrùm creatura possit eleuari ad creandum.

QVIA in præsenti de actiuitate & eleuatione causarum nobis est sermo, oportet pro exactâ huius rei notitiâ de eleuatione ad creandum disputare.

Duplex potest esse quæstio: prima, vtrùm 82
creatura possit vt causa principalis aliam creare; secunda, vtrùm possit vt instrumentum. Rursus potest quæri, vtrùm vt instrumentum naturâ suâ ordinatum, an verò solùm ex eleuatione Dei.

SVBSECTIO PRIMA.

Nulla creatura de facto creauit, & aliorum pro hac Conclusione rationes.

SVPPONENDVM Primò cum communi, de facto nullam creaturam ab aliâ fuisse creatam. Hanc putat de Fide P. Suarez, & cum eo alij plures ex Concilio Lateranensi cap. Firmiter, de Summâ Trinitate, vbi Concilium solum Deum omniû creatorem agnoscit. Miror P. Suareziû id ex hoc loco intulisse, Primò, quia ibi *creator* non sumitur in rigore Philosophico, prout dicit productionem ex nihilo, sed solùm lato modo pro *productore*; sicut omnis res à Deo producta dicitur creatura, non quia rigorosè creetur, sed quia producitur. In hoc sensu acceptum fuisse illud 83
verbum à Concilio, est certo certius, quia ibi loquitur Concilium de Deo producente omnes res, spirituales & corporales, & ex eis mixtas, vt ex verbis sequentibus constat: certum autem est, non fuisse à Deo rigorosè creatum equum, leonem, &c. ergo ibi *creator* non sumitur in rigore Philosophico. Sed demus, in illo sumi, adhuc inde solùm infertur, nullam creaturam creasse omnes alias; non verò infertur, non creasse aliquam: nam Concilium Deum solùm dicit creatorem omnium, quo non excluditur alius à Deo qui creauerit cum ipso, non quidem omnes, sed aliquas creaturas. Affertur etiam Augustinus lib. 12. de Ciuitate Dei, cap. 24. Verùm ibi solùm negat Augustinus Angelis productionem aliarum creaturarum sublunarium: cap. autem 25. etsi doceat, creaturam nullam esse causam alterius, solùm est intelligendus, vt neget, eas esse causas à se independentes à Deo; alioquin nec causas generantes admitteret Augustinus, quod apertè falsum est, & contra omnes. Quòd si alij 84
Patres videntur etiam negare creaturis virtutem creandi,

creandi, intelligendi sunt in eodem sensu, quo Augustinus: nam de creatione rigorosâ, vt contradistinctâ à generatione, fortè numquam fuit eis Patribus termo, vt ex eorum verbis facilè potest intelligi. Licet autem à Patribus ea sententia non fuerit expressè tradita, est tamen communis inter omnes ferè Scholasticos antiquos & recentiores, secutos Magistrum in 2. dist. 1. & D. Thomam 1.p.q.45.a.5. Sed non est vna eorum pro sententiâ ratio.

Prima sit D. Thomæ suprà: Quia effectus vniuersalissimi sunt tribuendi causæ vniuersalissimæ, scilicet Deo; sed terminus creationis est vniuersalissimus, quia est ens in quantum ens, ergo est tribuendus Deo. Hæc ratio non vrget, quia terminus creationis non est vniuersalior termino generationis, neque enim est vniuersalior
85 Angelus animali, aut aquæ guttâ. Deinde, etiamsi esset magis vniuersalis, adhuc non inferretur, non posse cõcurrere simul cum Deo aliquam creaturam ad illum terminum. Denique, quòd docet, terminum creationis esse ens in quantum ens, videtur obscurum; nam terminus creationis solùm differt à termino generationis, quòd hic producitur simul cum concursu subiecti, ille verò sine eo concursu. hoc autem quid efficit, vt hîc terminus sit ens in quantum ens, non verò ille, cùm vterque terminus verè sit ens, & productus ex nihilo sui?

Secunda aliorum ratio: Quia, quò magis elongatur terminus à subiecto, eò maiorem virtutem requirit vt producatur: sed terminus creationis distat infinitè à nihilo, ex quo extrahitur quasi ex subiecto, ergo requirit infinitam virtutem vt producatur. Hoc argumentum est præcedenti inefficacius, quia ens finitum non distat infinitè à nihilo (nec enim ab illo magis distat, quàm sit ipsius entis perfectio) ergo cùm hæc sit finita, non potest infinitè distare à nihilo, sicut ob eamdem rationem numerus dualis non potest
86 infinitè distare à negatione omnis numeri; distaret autem, si numerus dualis esset infinitus. Præterea, etiam terminus generationis tam producitur ex nihilo sui, quàm terminus creationis, vt sæpè diximus, ergo tam extrahitur ex termino
87 infinitè distanti, quàm terminus creationis. Vnde elegãter Tertullianus lib. de Resurrectione carnis hæc ait: *Quo enim interest ex nihilo quid proferri, an ex aliquo, dum quod non fuit fiat, quando etiam non fuisse, nihil sit fuisse?* Vbi rectè probat, omnia produci ex nihilo sui; & inde infert, vix aliquid interesse, si ex subiecto aut sine illo aliquid producatur, dummodò res, quæ non fuit, producatur de nouo.

Tertia ratio: Quia minor virtus requiritur, ceteris paribus, ad producendam aliquam rem simul cum concursu subiecti quàm sine illo, ergo nulla creatura poterit sine concursu subiecti operari. Patet consequentia, quia tota virtus, quam
87 habet equus v. g. est necessaria ad producendum equum, etiam simul cum materiâ; ergo ad producendum illum sine materiæ concursu, requiritur maior virtus, ergo non sufficit virtus equi, ergo ille non poterit creare. Hæc ratio nulla est: quia vel dicis, ad creandum equum requiri præcisè maiorem virtutem, quàm ad eum generandum, & hoc verum est. Vnde tamen tibi constat, equum habere præcisè virtutem ad generandum alium equum, & non etiam ad creandum, vel saltem in alio ente perfectiori quàm sit equus non esse eiusmodi virtutem? Si verò dicas, ad creandum equum requiri maiorem virtutem, quàm ad producendam per generationem quamcumque aliam rem, quantumuis equo perfectiorem, gratis omnino id doces. Nam actionem creatiuam ex genere suo esse perfectiorem eductiuâ, solùm efficit, vt si vtraque comparetur cum eodem termino, perfectior sit creatiua quàm eductiua; non verò efficit, vt si 88
creatiua comparetur cum re imperfectâ, eductiua autem cum re perfectissimâ, debeat etiam tunc eductiua esse imperfectior quàm creatiua. Sicut, licet actio immanens sit ex genere suo perfectior transeunte, non tamen ideò actio immanens sensationis materialis v. g. est perfectior actione transeunte, & generatiuâ equi, aut creatiuâ Angeli. Et ratio est, quia excessus in modo operandi compensatur per perfectiorem terminum, vt in pluribus aliis rebus contingit; ergo ex eo quòd creatio ex genere suo sit perfectior eductione, non licet inferre, creationem etiam entis imperfectissimi debere esse perfectiorem eductione formæ perfectissimæ, & consequenter nullam creaturam posse aliam imperfectam creare. Adde, hac ratione vt summùm probari, equum solum non posse alium creare, quia tota virtus, quam habet, est necessaria ad generationem, quæ est imperfectior; verùm quomodo probabis, 89
equum adiutum aliâ concausâ naturali, non posse creare, etiamsi ad generandum non indigeat alterius consortio?

Quarta ratio sit illorum, qui non distinguunt creationem à volitione Dei, qui inde inferunt, nullam creaturam posse creare, quia volitio Dei non potest esse actio creaturæ, ergo nec vlla creatura poterit habere actionem creatiuam. Hoc argumentum falsum supponit Antecedens (vt suprà ostendimus) & consequentiam habet malam; quia hi Auctores in tantum non distinxerunt creationem à Deo & termino, in quantum non reperierunt subiectum in quo ea creatio distincta poneretur. Cur autem non posset esse aliquis terminus creabilis, qui essentialiter per se ipsum penderet à Deo & à creaturâ, respectu cuius actio Dei esset ipsa volitio Dei, actio verò creaturæ esset ipsa entitas termini creati, qui se ipso essentialiter penderet ab eâ creaturâ creante; sicut multi dicunt, actus vitales se ipsis sine 90
actione mediâ dependere ab intellectu? Nec quia actio creatiua effectus dependentis à solo Deo adæquatè idemtificetur cum volitione Dei, ideò omnis creatio cuiuscumque effectus debet adæquatè idemtificari cum volitione Dei, præsertim si ille effectus ponatur dependens seipso à Deo & ab alterâ causâ creatâ.

Quinta ratio sit P. Vasquez 2. Tomo in 1. p. disp. 175. cap. 2. ex Scoto & aliis: Quia si talis potentia creatiua daretur, esset spiritualis; res enim materialis cùm in suo esse dependeat à materiâ, non potest independenter ab illâ operari: sed substantia spiritualis non potest creare, quia deberet creare mediâ volitione, hæc autem cùm sit accidens, est improportionata, ergo, &c. In primis falsum videtur, non posse creaturam materialem operari independenter à subiecto: ostendimus enim suprà, esse possibile corpus simplex carens

carens subiecto, cur ergò illud non posset crea-
91 re, cùm esset independens à subiecto? Deinde, etiamsi sola creatura spiritualis capax esset creandi, non tamen sequitur, eam debere creare per volitionem tamquam per rationem formalem creandi in actu primo, sed vt per applicationem potentiæ creatiuæ; sicut de facto non generat homo per volitionem, sed per potentiam generatiuam.

Quòd si roges, vtrùm in eo casu perfectior esset potentia creatiua, quàm volitiua; facilè respondeo, futuras æquales, quia non distinguerentur ab ipsâ subsantiâ neque inter se. Sed quid si distinguerentur? tu videris, non est meum in præsenti ostendere quæ esset perfectior, sed præcisè, vtrùm sit possibilis ea potentia creatiua, nécne. Dico tamen, ex conceptu suo perfectiorem esse creatiuam, posset autem aliunde ille excessus compensari vel fortè superari.

91 Recentiores nonnulli aliam addunt rationem, desumptam ex modo essendi creaturarum, quem imitatur modus operandi. Cùm enim omnis substantia includat aliquam dependentiam à subiecto, saltem ratione subsistentiæ quæ includitur in principio operandi, inde fit vt etiam debeat operari dependenter à subiecto, & consequenter non possit creare. Hæc ratio sustineri nullo modo potest. Primò, quia videtur incredibile, quòd si Deus per impossibile componeretur ex subsistentiâ & naturâ distinctis realiter, non posset eo ipso creare. Secundò, quia res materialis potest concurrere ad productionem rei spiritualis in tuâ sententiâ, & communi, scilicet sensatio communis ad productionem specierum intellectualium, neque obstat ibi diuersitas in modo essendi; cur ergo non poterit etiam res dependens à subiecto producere aliam independentem ab illâ, sicut res dependens à materiâ, potest producere aliam independentem à mate-
93 riâ? Tertiò, quia Angeli substantia, à quâ immediatè deberet oriri creatio, non dependet à subiecto. quid autem interest, quòd ab ipsâ naturâ Angeli dependeat subsistentia? Sanè ego inde inferrem, Sicut Angelus secundùm suam naturam est independens à subiecto, dependens autem secundùm subsistentiam, ita illum posse producere aliam substantiam independentem à subiecto secundùm naturam, dependentem autem secundùm subsistentiam, vt ita omnino proportionaretur effectus ipsi causæ, & modus operandi modo essendi. Quartò, quia non apparet repugnantia vlla in eo, quòd de potentiâ absolutâ detur substantia cum quâ idemtificetur subsistentia, vt docent aduersarij; illa autem cur non possit creare, cùm vndequaque esset independens à subiecto?

Recentiores alij inde probant, virtutem creatiuam esse infinitam, quia arguit talis virtus in ipsâ causâ actionem immanentem idemtificatam causæ; nulla autem creata & finita virtus potest habere actionem immanentem secum idemtifi-
94 catam, ergo nec vim creandi. Consequentia est bona. Minor probatur, quia causa habens secum idemtificatam actionem immanentem, caret potentialitate, estque emersa ab omni potentialitate, quod proprium est rei infinitæ: ergo res finita non potest habere actionem immanentem secum idemtificatam. Maior probatur, quia si causa creans haberet actionem immanentem distinctam, illa actio reciperetur in subiecto inhæsionis, & consequenter esset imperfectior actione creatiuâ transeunte, quæ non pendet à subiecto inhæsionis: hoc autem repugnat in terminis, quia vna causa non potest perfectiùs foris operari, quàm intra se, ergo nec habere actionem creatiuam, si habet immanentem distinctam. Hæc illi fusè, nec admodum clarè.

Ego in hac ratione multa video planè falsa. In- 95
primis enim falsum est, non posse aliquam creaturam habere actum intellectus, quam hi vocant *actionem immanentem*, secum idemtificatum, vt alibi ostendi: & constat euidenter, nam hoc non arguit infinitatem, neque emersionem à potentialitate (quæ istis Auctoribus est valdè familiaris) nam hæc potentialitas est, quòd possit à Deo annihilari, possit adesse & abesse in rerum naturâ: atqui licet ei esset idemtificata cognitio, adhuc posset à Deo destrui, & priùs potuit produci, ergo adhuc erit immersa vel submersa in potentialitatis gurgitibus. Secundò, poterat etiam esse mutabilis in se per alia accidentia, sibi ab extrinseco vel etiam ab intrinseco superaddita, per quod rursus in vortices potentialitatis raperetur, etiamsi aliquam actionem immanentem haberet secum idemtificatam. Secundò falsum est, non esse possibilem actionem transeuntem perfectiorem immanenti: non enim dubito, quin productio substantialis equi, quâ alium equum generat (quæ est actio transiens) sit ordinis perfectioris, quàm auditio aliqua immanens, aut
perceptio doloris in eodem equo. Tertiò fal- 96
sum est, actionem creatiuam, eò quòd non habeat subiectum inhæsionis, debere necessariò esse perfectiorem omni aliâ actione carente tali inhæsione. Numquid non habet inhæsionem gratia in animo rationali, item & visio beata? an propterea dicet vllus, gratiam esse imperfectiorem actione productiuâ materiæ primæ? Ratio à priori est, quia licet ex eo capite dependentiæ à subiecto inhæsionis aliqua noscatur imperfectio, non propterea aliunde non poterit compensari; sicut res incorruptibilis ex genere suo est imperfectior corruptibili, non tamen ideò quælibet incorruptibilis est perfectior qualibet corruptibili, v.g. cælum perfectius homine. idem est inter substantiam & accidens, gratia enim sine dubio est perfectior formâ lapidis, etiamsi hæc substantia, illa verò accidens sit. Quod quia multi Auctores non notant, passim efficiunt similia argumenta, quæ non magnam habent vim. Circa illos verò terminos immersus potentialitati, & emersus è potentialitate, nihil aliud significare, quàm Deum esse ens necessarium, creaturam verò contingentem. Cumque hoc ipsum non significent clariùs, sed obscuriùs multò, mirandi sunt, qui putant clariùs ex istis terminis confusis conclusionem intentam probari, quàm ex æquipollentibus, facilibus & claris.

SVBSECTIO SECVNDA.

Vera sententia.

Ex dictis infero, nullam esse rationem proban- 97
tem, repugnare, creaturam posse creare. Vnde dicendum censeo,

Primò,

Primò, propter auctoritatem communem, de facto nullam creaturam productam fuisse, quæ habeat virtutem ad creandum. Hæc facilè probatur, quia licet possit esse aliqua creatura habens talem virtutem, non tamen continuò necessum est vt omnibus creaturis ea virtus conueniat: sicut licet possint multæ creaturæ generare alias sibi similes, vt equus, ignis, &c. non ideò omnibus creaturis ea virtus conuenit; neque enim aurum generat aurum, neque adamas adamantem, quod prouenit ex propriis illarum naturis; ergo licet creaturæ vt sic non repugnet creare, non ideò quælibet creatura debet posse creare, sed erunt multæ quibus ea virtus repugnet. Dico igitur, omnes, quæ de facto existunt, esse ex numero illarum quibus ea virtus non conuenit: sicut in simili docet P. Molina, & ego docui cum ipso in materiâ de visione Dei, esse possibiles aliquas substantias naturâ suâ capaces videndi Deum,
98 nullam tamen ex his quæ de facto existunt, esse de numero illarum, quia Deus propter multas rationes, quæ ei suppetunt, noluit aliquam ex illis producere. Idem dico ego respectu creaturarum habentium virtutem creandi. Et ad id moueor communi omnium consensu, qui in quæstionibus de facto præcipuum locum obtinet, maximè, quando in oppositum nulla est vel leuis ratio, quæ etiam in præsenti non est. Si enim nulla sit ratio repugnantiæ in eo quòd creatura possit creare, nulla etiam est cogens, ad dicendum eas creaturas, quæ de facto existunt, habere talem virtutem creatiuam.

Secundò dicendum censeo, probabilius apparere, posse à Deo creari de potentiâ absolutâ creaturam aliquam habentem virtutem naturâ suâ ad creandum non solùm vt causam instrumentalem, sed etiam vt principalem. Hæc sufficienter videtur probata ex solutione argumento-
99 rum, quibus videbatur ostendi repugnare; nam in ordine ad potentiam absolutam ea solùm sunt neganda, quæ manifestam inuoluunt contradictionem. Præterea auctoritas Patrum non vrget nos, & quia non loquuntur de creatione rigorosâ, vt suprà ostendimus, & quia si de eâ loquuntur, præcisè negant virtutem creandi his creaturis quæ de facto existunt, de aliis autem possibilibus non illis venit in mentem. Denique communis Scholasticorum consensus efficaciter probat in quæstione de facto, verùm in quæstione de possibili non videtur vrgere, nisi aliquâ firmetur efficaci ratione, quam in præsenti non esse, suprà ostendimus. Adde, plures ex Scholasticis solùm locutos de creaturis de facto existentibus, non autem de possibilibus.

Sed insurgit Primò P. Suarez: Si ea creatura esset possibilis, constitueret diuersum ordinem ab his quæ de facto existunt, ergo de facto esset
100 creata; ad perfectionem enim huius Vniuersi pertinet, vt in eo dentur omnes gradus creaturarum. Immeritò huic rationi fidit P. Suarez, Primò, quia ipse Disput. 13. sect. 10. fatetur, esse possibile corpus simplex completum, quod constitueret alium ordinem ab his quæ de facto dantur; & tamen etiam docet, non fuisse de facto creatum. Deinde, non dubium, quin Deo fuit liberum, etiam creato hoc Vniuerso, non producere in illo Angelos, quo casu non liceret inferre, eos non esse possibiles, eò quòd non existerent. idem ergo erit de hac creaturâ virtutem habente ad creandum. Et ratio à priori est, quia non tenetur Deus producere omnem ornatum huius Vniuersi, quia illud producit liberè. non enim dubium, quin maior ornatus esset Vniuersi, si in illo non tot formicas aut muscas, v. g. sed earum loco alia animantia multò perfectiora produxisset; quod tamen quia noluit, non fecit.

Secundò arguit: Quia illa creatura non posset 101
esse superioris ordinis quàm sint Angeli, qui existunt in supremo gradu intellectualium creaturarum, ergo non posset creare, quia neque Angeli, qui sunt vt minimùm illi æquales, creare possunt. additque Augustinum pro comperto habere libro 3. de Trinitate cap. 8. si Angeli non possunt creare, nec aliam creaturam id posse. Vt ab Augustino incipiam, inprimis toto eo capite nullam similem conditionalem habet, sed solùm contendit, dæmones non creasse serpentes, & ranas, quas Magi Pharaonis incantationibus suis produxerunt, ostenditque, eos coniunxisse semen eorum animalium cum terrâ & aquâ, vt ita ea animalia nascerentur; sicut (inquit Augustinus) *homo qui plantat, non creat segetem, nec Iacob applicans virgas in riuis, è quibus biberunt oues, creauit colorem fœtus.* Vnde concludit, tam bonos quàm malos Angelos solùm applicare causas naturales. Ex his autem quis non videat, Au- 102
gustino non esse sermonem de creatione strictâ, quia serpentes, plantæ, colores, non creantur propriè, sed generantur; & virtus productiua harum rerum, licet non insit Angelo, inest tamen aliis creaturis: nam rana generat ranam, & serpens serpentem; ergo Augustinus non potest citari pro hac quæstione de creatione rigorosâ; & quod ibi negat dæmonibus, non potest absolutè omni creaturæ negari.

Ad argumentum respondeo, fortè illam creaturam non futuram Angelo perfectiorem; quia sicut non valet, *calor potest producere calorem, ergo est perfectior adamante*, qui non potest alium adamantem producere; ita non valet, *illa creatura potest creare, ergo est perfectior Angelo incapaci creationis.* Et ratio est, quia ille excessus posset in Angelo aliunde compensari. Deinde, transeat Antecedens, eam esse Angelo perfectiorem, quid inde? Vnde probas, Angelum esse perfe- 103
ctissimam creaturam possibilem? sanè communis sententia oppositum docet: non ergo, quia Angelo repugnet creare, dicendum est, id etiam repugnare creaturæ possibili. Concludo quæstionem hanc ratione hac à priori pro meâ Conclusione, quia, vt dixi, creatio solùm differt à generatione in eo, quòd ad hanc concurrit subiectum cum causâ efficiente, ad creationem verò sola efficiens causa: at concursus subiecti vt talis, est finitus & limitatus, imò imperfectior multò, iuxta omnium sententiam, quàm concursus causæ efficientis: quæ ergo repugnantia in eo, quòd sit vna creatura quæ possit æquiualere virtuti & subiecti & efficientis; vel si hoc non vis, vt vna æquiualeat virtuti subiecti, altera virtuti efficientis, vt ita vtraque simul producat aliquem terminum, sine concursu subiecti, & consequenter creet?

Hic aduerto, Granadum ad quæstionem 44. 1. p. 104
opinantem, nec diuinitus posse à Deo creaturam eleuari ad creandum. Mouetur, eò quòd nullum instrumentum vmquam operetur, nisi priùs qua-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

si efficiendo aliquid quò disponat, sicut calor disponit passum ad formam ignis. Quod rursus probat longâ valdè inductione. Subsumit autem, Eo ipso quòd tale instrumentum habeat passum disponendum, iam non operatur ex nihilo, sed ex passo, ergo non potest creare. Hæc ratio duo falsa supponit. Primum est, Omne instrumentum debere aliquid prævium operari; quod impugno euidenter: nam ipse fatetur, aquam in Baptismo physicè causare gratiam, & Christum Dominum produci per verba consecrationis, tamquam per instrumentalem physicam causam: atqui ea ablutio nihil producit propriâ virtute prævium ad gratiam, nec verba aliquid causant ante productionem Christi, sed immediatè assumuntur ad operandum instrumentaliter, ergo potest aliqua creatura immediatè sine vllâ prævià dispositione eleuari ad creandum. Ratio à priori est, quia instrumentum saltem in ordine supernaturali illud est, quod assumitur à Deo ad efficiendum aliquid supra virtutem naturalem; hoc autem non requirit vt producat priùs aliquid proportionatum sibi, vel dispositiuum ad alium effectum.

105 Vidit hoc Granadus, & respondit: se solùm velle, ex mente S. Thomæ, in effectu debere esse aliquid quod correspondeat ipsi instrumento, siue id sit prævium, siue idemtificatum cum ipso effectu. Verùm in hoc sensu illud Antecedens non est ad rem, nam proculdubiò in effectu producto aliquid respondet creaturæ creanti, totus enim effectus ab eâ producitur simul cum Deo. Quòd si rursus aliquam formalitatem propriam requirat, quæ causæ creanti soli possit respondere, vt voluit Vasquez, facilè reiicitur, tum quia hoc expresè alibi ipse negat; tum quia aquæ nulla formalitas respondet in gratiâ, ratione cuius gratia petat ab eâ oriri; tum quia in hoc sensu calor posset eleuari ad creandum calorem extra subiectum, & iam ibi esset formalitas aliqua petens causam illam, licet non eo modo operantem, quod vltimum iam ad eleuationem ipsam spectat.

106 Tandem, ne faciamus vim in nomine (nollem enim quæstiones de re offundi significationibus nominum) vocetur vel non vocetur instrumentum, poterit saltem diuinitus vna creatura, non habens ad id proportionem, eleuari ad creandum; vel assignetur repugnantia, nec ad instrumentum ampliùs recurratur. Secundò, etiam Minor assumpta à P. Granado est falsa: non enim benè infertur, *producit aliquid prævium in subiecto, ergo non potest creare*; nam ad creationem animæ rationalis debet præcedere materia disposita; possunt enim & res creatæ pendere à dispositionibus præuiis ex parte subiecti in quo creantur, etiamsi ab eo non causentur materialiter; ergo ex hoc capite posset anima matris v. g. vt instrumentum assumi ad creationem animæ filij.

Aduerte Secundò, ipsum sibi obiicere, verba 107
consecrationis eleuari ad producendum Corpus Christi, ergo ad creandum; & respondere, eam non esse veram creationem, quia non est omnino ex nihilo, nec tendit ad ens quatenus est ens. Hæc tamen doctrina euidenter reiicitur; videtur enim eâ probari, animum nostrum rationalem non creari propriè, quod est erroneum. Sequelam probo, quia animus rationalis magis petit accidentia & dispositiones ex parte materiæ, quàm Christus in Eucharistiâ: minùs enim vnitur Christus eis accidentibus, quàm animus noster corpori dispositio, & consequenter, minùs videtur productio animi tendere ad ens in quantum ens, quàm productio eiusdem animi Christi Domini in Eucharistiâ. Adde, quod dicit, Christi animam ibi non creari, quia ea productio non tendit ad ens in quantum ens, esse manifestam petitionem principij, nec aliquid per eam rationem declarari. Ratio à priori est, quia creatio solùm petit, ne res creata educatur materialiter ex subiecto; ergo cùm corpus & animus Christi, licet non producatur nisi sub accidentibus, tam non educitur ex illis, quàm non educitur animus rationalis ex materiâ; tam propriè creabitur, quàm animus: ergo iam de facto eleuatur in Granadi sententiâ aliqua creatura ad creandum.

Quòd verò dicit, creationem tendere ad ens in quantum ens, iam alibi refutatum est: nam creatio non magis formam ipsam totam extrahit à non esse, quàm eam extrahat eductio; tam enim nihil fuit in materiâ de formâ equinâ, quàm de rationali; nec materia quæ præcedit, minùs distinguitur à formâ eductâ, quàm causa creans à termino creato. quòd autem ei vniatur, non obest, nam etiam animus rationalis vnitur materiæ: diuersitas enim solùm consistit in eo, quòd subiectum concurrat ad eductionem, non verò ad creationem, quod nihil planè conducit, vt magis vel minùs eius terminus sit ens aut non ens, vt ex se patet.

LIBER TERTIVS ET QVINTVS PHYSICORVM.

HOS duos libros communiter coniungunt Philosophi, quia in vtroque Aristoteles de motu disserüit. In Tertio disserüit etiam de infinito, de quibus nos suo ordine agemus.

DISPVTATIO DVODECIMA.

De Motu & Quiete.

QVIA contrarium motus est quies, & in ordine ad vtrumque natura definitur, ideò de vtroque in hac Disputatione agendum est.

SECTIO I.

Quid sit motus, & an ab actione & passione distinguatur.

1 MOTVS definitur in præsenti ab Aristotele, *actus entis in potentiâ prout in potentiâ*. Hanc definitionem solùm applicant Conimbricenses motui successiuo, quia ille solus est qui simul actuat potentiam secundùm vnam partem sui, & secundùm aliam eam relinquit in potentiâ; quod non videtur conuenire motui instantaneo, qui non relinquit potentiam in potentiâ ad alium motum. Communiter tamen Philosophi eam applicant omni motui etiam instantaneo, quia τὸ *prout in potentiâ* præcisè significat, motum esse à quo actuatur potentia quatenus potentia, vt rectè Hurtadus Disputatione 11. §. 2. Addo, ipsos etiam Conimbricenses teneri id fateri: quia omnis pars motus successiui, est motus, & tamen vltima pars non relinquit potentiam in potentiâ ad alium
2 motum; ergo τὸ *prout in potentiâ*, etiam in Conimbricensium sententiâ non significat potentiam manere adhuc actuabilem per vlteriorem motum, nisi fortè dicant, motum non habere vltimum sui intrinsecum, ideò semper relinquere subiectum in potentiâ ad aliam partem. Est ergo motus *actus*, id est *forma*, quia omnis actus est in ordine ad subiectum quod informat: *entis in potentiâ*, id est *subiecti* habentis potentiam ad eum actum.

Vbi aduerte, ex communi acceptione requiri, vt ea potentia fuerit in instanti præcedenti cum carentiâ eius actus, alioquin eius productio non erit motus. vnde essentiæ in se producentes suas passiones, in primo instanti suæ existentiæ non mouentur per illas, quia non præcesserunt tempore sine illis, sed in eodem instanti producta
3 fuit essentia & passio. Aduerte deinde, hanc carentiam formæ, quæ prærequiritur in subiecto ad motum, non debere esse in eodem instanti cum ipsâ formâ, quia id est impossibile, sed solùm in instanti immediato antecedenti. Vnde inferes, rationem motus esse denominationem extrinsecam partialiter etiam prouenientem à negatione formæ immediatè anteà præcedente: quare eadem productio caloris in primo instanti dicitur motus, quia præcessit immediatè ante eius carentiam; eadem autem productio seu conseruatio caloris in secundo instanti non est motus, quia non præcessit immediatè carentia illius. Et hinc fit, vt in motu successiuo durante per dimidiam horam v. g. omnes partes sint propriè motus, quia non perseuerat eadem pars, sed semper nouæ producuntur, ideoque ad quamcumque præcedit carentia sui, quod non contingit in calore durante per eamdem dimidiam horam, quia solùm in primo instanti præcessit carentia illius.

Rogabis, vtrùm Angelus mutans actiones pos-4 set dici absolutè moueri. Respondeo negatiuè, sicut de facto non mouetur forma equi in secúdo instanti. Et ratio est, quia ad mutationem ex communi acceptione requiritur, non solùm vt sit noua actio, sed etiam nouus terminus, qui cùm non sit in eo casu (nam licet actiones sint diuersæ, Angelus tamen, qui est earum terminus, semper est idem) ideò tunc propriè non dicitur Angelus moueri. Sed quæstio est de nomine, & parui momenti. Aduerte, Verbum diuinum, etiamsi in tempore & de nouo habuerit denominationem aliquam intrinsecam, scilicet *vnitr*, non tamen mutatum, quia ad hoc requirebatur vt in se subiectaret vnionem; motus enim est actus, id est, forma rei motæ, vt diximus suprà, Verbum autem non fuit subiectum vnionis.

Motum distingui ab agente, subiecto, & ter-5 mino, probatur eisdem argumentis quibus suprà ostendimus, actionem & passionem distingui ab agente, subiecto & termino: quia potest existere Petrus v. g. calor, ignis, quin Petrus per illum calorem moueatur; ergo hoc, quod est actu moueri Petrum per calorem, aliquid est distinctum ab ipso Petro, & calore, & igne producente. Difficultas solùm potest esse, vtrùm distinguatur motus ab actione & passione. Communis sententia negat, quia motus subiecti est ille, quo subiectum in se recipit aliquam formam; sed hæc receptio est formaliter passio, ergo motus & passio non distinguuntur. Nihilominùs censeo, aliter dicendum in nostrâ sententiâ, distinguente causalitatem materialem ab vnione, scilicet motum consistere formaliter in ipsâ vnione, non verò in actione & passione: & ratio est,

quia

quia subiectum formaliter mouetur per vnionem sui cum formâ, non autem per causalitatem
6 etiam materialem. Prima pars probatur in materiâ, quæ per animam rationalem formaliter mouetur, & se habet aliter quàm anteà, etiamsi non causet eam animam, ergo motus non consistit in causalitate materiali formæ, sed in vnione cum illâ. Secunda pars probatur, quia etiamsi materia causaret materialiter albedinem, si tamen non vniretur illi, non mutaretur: quia tunc non redderetur formaliter alba, ideoque non transiret ex non-albâ in albam, ergo passio formaliter non potest esse motus, est ergo motus vnio formæ cum subiecto, quia per illam se habet aliter quàm anteà.

Sed hinc insurges, Ergo Verbum diuinum mutabitur per vnionem. Nego consequentiam, quia Verbum non est subiectum eius vnionis, vt aliunde suppono. Aduerte hîc, eam vnionem solùm dici motum in primo instanti suæ existentiæ, quia, vt suprà diximus, motus dicit aliquid extrinsecum vnioni, scilicet carentiam ipsius immediatè antè præcedentem. Rogabis, à quo specificetur motus. In primis specificatur ab extremis, scilicet à formâ & à subiecto: quia est idem cum vnione, quæ specificatur ab extremis vni-
7 tis. Deinde, etiam specificatur à principiis illius vnionis, seu motus, casu quo ea vnio essentialiter respiciat principia illa in particulari. Et ratio est, quia tunc habebit respectum essentialem ad principium diuersum, & consequenter erit diuersus in se.

Potest esse quæstio, vtrùm etiam specificetur à termino *à quo*, id est, vtrùm sit diuersus motus à calido in frigidum, ab eo qui est à non frigido præcisè in frigidum. Quæstio est de nomine. Dicendum censeo, non diuersificari, quia motus solùm requirit non præcessisse anteà formam illam in subiecto: quòd autem etiam forma contraria præcesserit vel non, omnino est extrinsecum motui, licet sit essentiale ratione conuersionis, vt alibi docui; ergo idem est, siue præcesserit sola carentia frigoris, siue etiam calor.

SECTIO II.

Cuiusdam opinio impugnatâ.

QVIDAM modernus, cùm nobiscum actionem & passionem à causâ & effectu distinxisset, postea inquirens an motus etiam distin-
8 guantur, omnino id negat. Mouetur autem Primò, Quia generatio non distinguitur à re generatâ, ergo neque motus qui est idem cum generatione. Probat Antecedens: quia nullum potest dari instans, in quo possit assignari modus distinctus generationis in formâ substantiali; quia inter esse & non esse non est medium: sed quando forma est, iam non generatur, quia iam est genita; quando autem adhuc non est, etiam non generatur, ergo non datur generatio distincta. Ratò sententiæ falsæ sibi sunt constantes: & quidem Primò hic Auctor debuisset considerasse, eamdem esse difficultatem in actione. Sicut enim per generationem res generatur, ita per actionem agitur: sed in primo instanti in quo est res, non agitur, quia iam est acta (hæc est forma argumentandi Auctoris huius) antequam verò sit, nondum agitur; ergo numquam, ergo non poterit dari actio distincta, quod ab isto negatur, & meritò. Quomodo ergo hic Auctor distinxit actionem, & negat propter hoc argumentũ distinctionem generationis? Deinde hic non tam pro- 9
bat, generationem non distingui à formâ, quàm nullam esse generationem. Si enim datur generatio, siue distincta sit, siue idemtificata, peto ab illo, quando ea sit, an antequam forma existat, an quando iam existit. Ergo hoc argumentum vel omnem reiiciet generationem, vel distinctionem illius non impugnat. Neque puto, istum Auctorem cogitasse, non dari in rerum naturâ generationes vllas substantiales, siue distinctas siue non. Adde, ipsum solùm videri loqui de generatione substantiali: est autem prorsus eadem difficultas de accidentali, quoad formam argumenti, vt ex se apparet. Respondeo ergo, in primo instanti quo res producitur, si simul educatur è subiecto, dici generari. Neque hoc repugnat cum actuali existentiâ formæ, quia tunc, licet verum sit dicere *est*, non tamen est verum dicere *fuit*, & propterea tunc dicitur generari, non verò generatam fuisse. Huius Auctoris in isto ar- 10
gumento æquiuocatio orta est ex vulgari modo loquendi: domus enim dicitur fieri, quando aliquid illius est factum; & aliquid deest, non autem, quando vltima manus ei imponitur. Et fortè in hoc aliqui alij Philosophi etiam errant, deberent tamen aduertere Primò, illum communem modum loquendi solùm habere locum in rebus quæ per partes fiunt; deinde, etiam ibi eo instanti, quo vltima manus imponitur, v. g. vltima tegula, dici etiam fieri, licet in eo instanti simul perfecta sit. In rebus autem, quæ indiuisibiles sunt, clarum est, eo instanti quo *fieri ipsarum* est, debere & ipsas esse, sed quia immediatè anteà non fuerunt, tunc ideò dicuntur fieri.

Secundò arguit: Quia in motu locali, vbi certior videtur ea distinctio, adhuc non distinguitur motus à re productâ; quia si motus distingueretur ab vbicatione, sequeretur, eum, qui continenter mouetur, non mutari, quia tunc retineret eumdem motum, etiamsi mutaret vbicationem. Consequens autem est falsum. Sed & hoc argu- 11
mentum æquiuocatione laborat: da enim, motum idemtificari cum actione productiuâ vbicationis, numquid, quando homo mouetur, quoties mutat vbicationem, debet & mutare actionem? Fortè putat hic Auctor, per eamdemmet actionem produci iam hanc iam illam vbicationem, qui esset error peior priori: hæc enim actio numero de se alligata est huic numero termino, & non potest iam hunc iam illum producere. Vnde, quotiescumque homo currit, & vbicationem mutat, mutat actionem, & consequenter mutat motum, ideoque mouetur: nihil ergo ex eo argumento probatur.

Tenenda ergo est nostra sententia suprà posita, de distinctione motus à re motâ, & à termino. Ratio etiam suprà tradita est: quia scilicet potest existere in rerum naturâ homo & albedo, quin homo mutetur per albedinem; quando enim non vnitur homini albedo, nõ mutatur per illam, ergo hoc quod est actu mutari, est aliquid distinctũ ab vroque. Et tantò magis miror hunc Auctorem, 12
quantò propter simile argumentum, & vnionis,

&actionis, & aliorum modorum distinctionem benè admittit, sed consequentiam hîc malè deseruit.

An autem motus distinguatur à generatione, dixi Sectione præcedenti, distingui realiter, quia motus in vnione formæ cum subiecto consistit formaliter, non autem in causalitate materiali: quod exemplo materiæ primæ ostendi, quæ formaliter mutatur per animam rationalem, etiamsi eam non causet præcisè, quia eam recipit, quod præstatur per vnionem formaliter.

SECTIO III.

Motus diuisio.

DIVIDITVR in *successiuum* & *instantaneum*, quos oportet breuiter explicare. *Instantaneus* est, qui est totus simul, vt hominis generatio: neque enim primò generatur vna pars hominis, deinde alia, sed simul introducitur anima in totam materiam tunc dispositam. Idem est in generatione aliorum animalium, in productione lucis, quæ tota & in instanti producitur in aëre. Hic motus vulgariter non appellatur *motus*, sed *mutatio*. 13 Motus *successiuus* est, quando per partes successiuè acquiritur forma, vt quando successiuè ignis calefacit lignum, vel quando successiuè animal acquirit plures vbicationes: quare motus successiuus componitur ex pluribus motibus instantaneis; ideoque hi motus non differunt inter se, nisi secundùm maius & minus, sicut punctum materiæ differt à pluribus punctis.

Dices: Gradus intensionis differunt specie inter se, primus à secundo, &c. ergo etiam motus successiuus terminatus ad omnes illos gradus differet specie à motu instantaneo terminato præcisè ad vnum gradum. Respondeo Primò, forte falsum esse Antecedens, de quo in libris de Generatione. Secundò, etiam in ipsis motibus instantaneis reperiri eam differentiam, quia motus instantaneus terminatus ad primum gradum, differet specie à motu instantaneo terminato ad quartum, si gradus inter se differunt. Item motus successiuus terminatus ad octo gradus caloris, etiam differet à successiuo terminato ad octo frigiditatis. 14 Igitur absolutè respondeo, eam differentiam esse accidentalem in ratione motus, sicut in Logicâ diximus differentiam in homine & equo in ratione speciei, esse differentiam accidentalem Logicè.

Rogabis, vtrùm motus successiuus possit fieri in instanti. Respondeo, in quantum successiuus, non potest, quia successio debet esse in pluribus instantibus; ille verò motus, qui de facto est successiuus, potuit esse instantaneus; vt si octo gradus caloris, qui de facto in octo instantibus v.g. successiuè producti sunt in vnico instanti, simul producerentur, quod fieri potest saltem de potentiâ absolutâ. Vtrùm autem motus localis possit fieri in instanti, infrà dicemus.

15 Rogabis deinde, ad quos terminos dentur motus successiui & instantanei. Motus successiuus potest dari ad omnia accidentia capacia intensionis vel extensionis, quæ possunt successiuè temporis intendi & augeri: quare calor, frigus, gratia, &c. quia possunt successiuè intendi, sunt termini motus successiui. Item & lux, quatenus ad maiorem approximationem luminosi successiuè factam, potest intendi successiuè, & etiam extendi, in nouâ parte subiecti. Præterea ad quantitatem potest dari motus successiuus, quatenus potest corpus v.g. per vnionem sui cum aliis partibus corporis, fieri maius quantitatiuè. Et hinc infero, non solùm dari motum ad tria Prædicamenta, scilicet ad *Quantitatem*, *Qualitatem* & *Vbi*, sed etiam ad *Durationem*, quę continuò mutatur. Deinde etiam potest dari ad *Situm*, imò & ad 16 *Substantiam*: quia sicut vna quantitas extensiuè augetur per aliam partem quantitatis, ita etiam vna materia & forma ignis extensiuè augetur per vnionem sui cum aliâ parte materiæ & formæ ignis; & quantum ad hoc, excogitari nequit differentia inter motum quantitatis, & motum substantiæ constantis partibus integrantibus. eodem enim modo quo quantitas augetur, etiam augetur forma substantialis materialis, & materia in quâ est ea quantitas. Motus instantaneus datur ad eas res quæ in instanti producuntur, & non successiuè: vel quia non habent partes, vt anima rationalis, Angelus, intellectus, voluntas, &c. vel quia, etiamsi habeant partes, omnes simul producuntur, vt in generatione animantium, etiam materialium, in instanti producitur & vnitur tota forma cum materiâ disposità.

SECTIO IV.

De Motuum contrarietate, vbi etiam de Quiete.

OMNIS motuum contrarietas oritur à con- 17
trarietate terminorum: vnde calefactio & frigefactio opponuntur, saltem in gradibus intensis, quia calor & frigus in illis opponuntur. Item motus sursum & deorsum, motus ad amorem & motus ad odium, &c.

Potest esse in præsenti difficultas, vtrùm per se, vel per accidens, possit simul res aliqua duobus motibus contrariis moueri. Ratio dubitandi est, quia cùm quis portatur in naui, vel in curru vehitur, potest se mouere versus Occidentem, cùm tamen à naui vel à curru moueatur versus Orientem. Deinde, anima rationalis, quæ tota est in manu & tota in pede, potest in manu moueri sursum, in pede deorsum; ergo possunt simul dari motus contrarij in eodem subiecto.

Vt ab hoc vltimo incipiamus, respondeo, ani- 18
mam rationalem esse capacem simul duorum locorum non discontinuatorum, seu quod idem est, duorum locorum partialium: vnde, etsi moueatur in manu sursum, & in pede deorsum, non ideò habet duos motus contrarios, quia illi motus possunt conuenire animæ simul, ideoq; non sunt contrarij. Ad illud de homine qui fertur in naui vel curru respondeo, eum tantùm moueri vnico motu. Pro quo distinguendum est: nam si ille homo velocius moueatur in naui vel curru versus Occidentem, quàm nauis versus Orientem, tunc præcisè mouebitur versus Occidentem, sed non tantum, quantum si nauis quiesceret, quia per motum contrarium nauis magnâ ex parte retardatur. Si verò nauis velocius moueatur versus Orientem, tunc præcisè ille homo versus Orientem mouebitur, sed non tantum quantum, si ipse

si ipse quiesceret in naui, quia per proprium motum contrarium aliquando retardatur motus versus Orientem: quòd si æquali velocitate ipse ac nauis moueatur, semper manebit sub eodem
19 puncto fixo cæli. Vnde, si cœpit moueri à rostro nauis in puppim, etiamsi videatur mutasse locum, verè tamen non mutauit; quia dum ipse accessit à rostro in puppim, puppis accessit ad locum vbi erat rostrum, nam eadem est distantia à rostro in puppim, ac à puppi in rostrum, & aliunde vterque æquali velocitate mouetur; ergo homo ille in illo casu non mutauit locum respectu puncti fixi in cælo. Confirmatur & explicatur ampliùs: pone supra hominem & nauim signum aliquod fixum, rogo, vel quando homo in naui currit à prorâ in puppim, manet semper sub eo fixo signum, & sic non mouetur, neque versus Orientem neque versus Occidentem, vel transit post illud signum ad Occidentem, & tunc solùm mouetur versus Occidentem, &
20 nullo modo accedet Orienti: vel non transit post signum, sed elongatur ab eo versus Orientem, & tunc solùm accedet ad Orientem, & recedet ab Occidente: transire autem simul & semel post illud signum ad Orientem & Occidentem, non potest; ergo non potest simul naturaliter motibus contrariis moueri. Diuinitus verò, si duobus in locis ponatur corpus, fieri id potest, vt infrà dicam suo loco.

Quies, contraria motui, est persistentia in termino acquisito. Potest esse duplex; alia *negatiua*, id est persistentia in carentiâ formæ, vt quam habet voluntas v. g. dum est sine amore aut sine odio: & *positiua*, quæ est possessio formæ positiuæ, vt v.g. persistentia caloris in subiecto.

Aduerte Primò: sicut non potest esse motus ad duos terminos contrarios, ita nec posse esse simul quietem sub illis, sed solùm sub altero illorum disiunctiuè.

Aduerte Secundò: quietem addere supra ac- 21
quisitionem formæ persistentiam in ipsâ formâ, ex communi acceptione quietis: & ratione huius differt à motu; vnde in primo instanti quo res acquiritur, propriè non est quies sub illâ. Sed quæstio est de modo loquendi, & parui momenti.

DISPVTATIO DECIMATERTIA.

De Infinito.

SECTIO I.

Definitio Infiniti.

1 INFINITVM est *id quod caret fine*. V. g. duratio à parte pòst futurâ in æternitate, est infinita, quia non habet terminum. Item à parte antè duratio Dei est infinita, quia non habuit principium. Infinitum aliud est *in multitudine*, quod includit infinitas vnitates, quæ numerari successiuè numquam possunt, ita vt finiantur; aliud *in magnitudine*, vt si infinitæ partes materiæ inter se vnirentur, facerent materiam infinitam in magnitudine: aliud *in intensione*, vt si in eodem subiecto infiniti gradus caloris ponerentur. Hæc tria infinita solùm sunt in aliquo genere, & secundùm quid, quia in alio genere habent finem: nam virga v. g. infinitè longa habet finem in latitudine, & materia infinitè magna habet finem in perfectione essentiali. Aliud infinitum est *in perfectione*, seu *in essentiâ*, & est illud quod habet omnem perfectionem possibilem, & hoc solùm Deo conuenit, quia est infinitus simpliciter, & in omni genere.

2 Secundò aduertendum est, vnum infinitum esse posse maius alio. Probatur clarè, quia quodlibet infinitum (non loquor de Deo) componitur ex duabus medietatibus infinitis: nam si illæ essent finitæ seorsum, etiam coniunctæ essent finitæ, quia finitum additum finito non facit infinitum. Ratio à priori, quia finitum potest successiuè pertransiri in tempore; vnde duo finita in tempore, licet tantumdem longiori, poterunt pertransiri; ergo illæ duæ solæ non possunt facere infinitum; debet ergo quælibet esse infinita. Atqui quælibet est minor quàm totum, quia totum includit illam partem & aliam tam magnam, ergo vnum infinitum potest esse minus vel maius alio. Confirmatur, quia infiniti homines possibiles, plures haberent manus & oculos, ac capillos, quàm ipsi homines sint in se; ergo maius esset infinitum capillorum quàm hominum. Deinde, occidat Deus ex illis hominibus tres vel 3
quatuor; qui remanerent, essent infiniti, & non totidem ac anteà, ergo: ex quo fit, posse fieri additionem infinito. Vbi aduerte, nonnullos acriter contendere, non posse vnum infinitum esse maius altero in ratione infiniti. Sed hi faciunt quæstionem de nomine, in quâ nolo mihi caput frangere: concedas mihi, quod lumine naturæ ita videtur per se notum, vt nec ab amente posse negari videatur, in infinito hominum plures esse oculos & capillos, quàm ipsi homines sint: posteà verò non curo, si dicas, in ratione infiniti esse æquales, quia hoc pertinet ad modum loquendi.

Tertiò aduertendum est contra communem 4
recentiorum sententiam, posse vnum infinitum, in multitudine v. g. aut in magnitudine, claudi inter duas vnitates, vel duo puncta determinata. Probatur autem euidenter, quia inter hominem & lapidem clauduntur infinitæ species animaliũ inæquales inter se, respectu quarum homo est vltimus, quia est perfectissimus illarum; & lapis est primus, quia est imperfectissimus illarum. Item, siquidem vnum infinitum potest esse maius alio, vt diximus, ponamus virgam infinitè longam versus Orientem, finitam tamen versus Occidentem; in primis hæc virga versus Occidentem habet punctum determinatum à quo incipit. Da ergo vlteriùs, illam à Deo diuidi in duas, etiam tunc versus Orientem manebit punctum determinatum, vltra quod non sit aliud, nempe illud quod amisit vnionem continuatiuã cum aliâ parte, quod punctum proculdubiò as-

signabile est à Deo, quandoquidem illi abstulit Deus vnionem; ergo illa virga haberet duo puncta determinata & signabilia, intra quæ clauderetur, quantumuis esset infinitè longa. Deinde, si 5
Deus ex infinitis gradibus intensionis tolleret medietatem, adhuc qui remanerent essent infiniti, & haberent primum & vltimum. De primo nullus dubitat: de vltimo probatur (& pone, claritatis gratiâ, eos esse dissimiles inter se) nam maneret aliquis gradus, qui amisisset vnionem cum ablatis, & solùm maneret vnitus cum præcedentibus; ille autem esset vltimus, quia vltra illum non esset alius, & omnes ante ipsum. Quòd si infinitum sit in magnitudine, necessariò debet esse aliquod punctum quod non habeat aliud post se, quia non omnia puncta habent aliud post se. Confirmatur in sententiâ constituente infinita indiuisibilia & puncta in continuo, v.g. in ligno, quod tamen habet duo puncta terminatiua, inter quæ clauditur tota illa infinitudo; & si ab vno ad aliud percurras successiuè, non poteris omnia pertransire, etiam per æternitatem.

6 Sed dices: Si infinitum habet vltimum, iam non est infinitum, cùm claudatur terminis, & habeat finem. Respondeo, infinitum non excludere propriè vltimum, modo à me explicato: nam præcisè in eo, quòd ex vno termino ad alium successiuè peruenirì nequeat, consistit essentia infiniti, vt in exemplo posito de infinitis speciebus entis, inter hominem & lapidem inclusis, manifestè cernitur. Aduerte tamen, illud punctum vltimum non dicendum propriè terminum: quia terminus applicatur solùm, ex communi acceptione, ad rem finitam; vnde solùm est dicendum, dari duo puncta vel duo indiuidua, inter quæ tota magnitudo aut multitudo infinita claudatur.

Quartò aduerte, infinitum aliud esse *categorematicum*, quod propriè in se actu includit infinitas partes; aliud esse infinitum *syncategorematicum*, quod licet in se finitum sit, quia tamen ei possunt addi plures & plures partes in infinitum, dicitur syncategorematicum non à se, sed à partibus quæ possunt addi in infinitum.

SECTIO II.

Deus cognoscit infinitas creaturas possibiles.

7 NON defuêre qui dixerint, à Deo non potuisse produci creaturas alias, neque in specie, neque in indiuiduo, ab his quæ de facto productæ sunt. Ita Abaylardus, Wicleffus, Ioannes Hussius, & alij hæretici, quorum sententia damnata est in Concilio Constantiensi Sessione 15. Alij Catholici, licet sentiant à Deo potuisse plures alias creaturas produci numero & specie physicè diuersas ab his quæ de facto existunt, censent tamen, omnes illas esse finitas numero. Ita Scotus, Durandus, & alij apud Mendozam Disputatione 13. Physicorum § 7. Refert etiam pro eâ Caietanum; sed immeritò, quia licet 3. Parte, quæst. 7. à num. 12. neget, gratiam posse in infinitum augeri, non propterea negat indiuidua & species infinitas possibiles.

8 Contra vtrosque ex Concilio Constantiensi agunt recentiores, verùm immeritò, tum quia hæretici Deum finxêre operantem ex necessitate naturæ, tum quia consequenter docuêre, solùm posse ab eo produci quæ de facto existunt; Catholici autem Auctores relati, in nullo horum cum hæreticis conueniunt, imò ab illis longè dissident; neque quia in propositione integrâ hæreticorum à Concilio damnatâ includatur aliqua particula, in quâ videntur conuenire hi Catholici, scilicet, *sed animas vsque ad certum numerum creare*, &c. ideò Catholici à Concilio damnantur, quia hoc solùm damnauit propositionem integram hæreticorum, non autem quamlibet illius propositionis partem truncatam, & per se sumptam: persæpè enim propositio aliqua complexa est falsa, cùm tamen aliqua ex simplicibus vera sit; neque quia tota dicatur falsa, ideò quælibet seorsim falsa censenda est, vt in hac propositione, *Deus non solum potest peccare, sed bene operari*, tota propositio falsa est; illa autem aduersatiua, *sed bene operari*, verissima; non ergo potest ex Concilio agi contra hos Catholicos. Adde, illam propositionem, licet primò fuerit posita inter doctrinam Ioannis Wicleffi, non tamen pertinere ad eas quæ à Concilio & Martino V. damnatæ sunt, sed omissam, sicut & aliquas alias Philosophicas, quæ in primâ relatione continebantur. 9

Ratione deinde iidem insurgunt contra Scotum: quia, si creaturæ possibiles sunt finitæ, demus ergo eas esse centum v.g. quæ duo contradictoria sequentur si sunt centum & duæ, & sic in infinitum, adduntque ridiculum esse, & homine Philosopho indignum, id inficiari. Verùm retorqueo argumentum contra ipsos euidenter, & do illis, creaturas possibiles esse infinitas; peto, cur non sint possibiles aliæ vltra illas, vel quæ contradictoria sequantur in eo, quòd illis addantur aliæ duæ, siquidem vnum infinitum potest esse maius alio, nec ex conceptu infiniti repugnat illis fieri additionem. Respondebis, quia in illo infinito 10
iam sunt omnes possibiles. Sed contrà, quia de hoc quæro rationem, cur scilicet in illo infinito includantur omnes possibiles, nec possit illis infinitis vlla alia addi. Nec sumo illud aggregatum, supponendo esse in illo omnes possibiles, in hoc enim sensu esset stulta interrogatio; sicut etiam quando & hi argumentantur contra Scotum & alios, non sumunt illam collectionem finitam, supponendo ibi iam esse omnes: tunc enim facilè Scotus redderet repugnantiam, quia scilicet supra omnes non possunt esse aliæ. Sumo ergo illud aggregatum infinitum, & de illo rogo, cur supra illud non possint esse aliæ plures, & consequenter, cur ibi sint omnes possibiles. Hæc instantia argumenti est fortissima: nam cùm infinitum non eo ipso quòd infinitum sit, continet omnia possibilia, parum conducit vt in illo aceruo dicantur esse omnia possibilia, dicere illum esse infinitum: nec video, quid ei responderi possit. Sicut ergo dicis, ibi esse omnes possibiles in tuo aceruo, idem dicet Scotus de suo.

Secundò arguunt: Quia vltra diem iudicij 11
potest Deus mouere cælum in infinitum, ergo sunt possibiles infiniti motus. Respondebunt aduersarij, non esse possibiles diuersos motus cælorum in infinitum, sed necessariò Deum, si vellet cælum mouere in infinitum, reproducturum eos motus. Idem etiam dicent de cogitationibus Beatorum & damnatorũ per æternitatem futuris.

Sed

Sed replicant hi recentiores, malè à me hanc solutionem tradi, quandoquidem ego sentio, durationem distingui, esseque successiuam, & distinctam hodiernam ab hesternâ: vnde si Deus reproduceret per æternitatem eos motus, saltem durationes distinctæ deberent esse nouæ, & consequenter illæ possibiles erunt infinitæ. Fateor libentissimè, in meâ sententiâ id ita contingere: verùm propterea non dixi, me ita posse argumento respondere; sed ab aduersariis, contra quos hîc agimus, quique durationem distinctam negant, posse eam solutionem dari, quam etiam negat ar-
12 guens. Quod verò ad me attinet, non est cur hi sint solliciti de me ex duratione distinctâ conuincendo ad infinitatem creaturarum possibilium; independenter enim ab hac distinctione durationis, libentissimè admitto infinitas creaturas possibiles, & ego ex hac distinctione durationis, etiam eamdem infinitatem consequenter ad mea principia ostendi. Scotum autem & alios ægrè hi redarguent de inconsequentiâ ex solis meis principiis. Alia argumenta, quæ cum primo ferè coincidunt, & ab his afferuntur, omitto; quia facilè possunt eodem modo, sicut primum, eneruari.

13 Arbitror ergo Primò, hæreticos aientes non esse possibilia alia individua ab his quæ de facto sunt, fuerunt, aut erunt; hos, inquam, facillimè posse conuinci falsitatis. Quis enim dubitet, si plures homines qui de facto ob suam libertatem à nuptiis abstinuerunt, contraxissent matrimonium, saltem aliquos illorum habituros aliquos alios filios; ergo possibiles sunt alij homines in mundo ab his qui de facto existunt. Idem sit argumentum de aliis animantibus, quæ impedita sunt ab hominibus ne procrearent. Præterea, quis dubitet, possibiles esse alias formas ignis ab his quæ de facto dantur, & quòd, si voluissem ego, ignem stupæ applicando, nouum producere, po-
14 tuissem hoc facere? Aliàs frustrà homines extinguerent incendia; frustrà animalia nociua, ne noua producerent, interimerent; impertinenter imminentia pericula deuitarent, quandoquidem non sunt possibilia alia entia, aut ignis, aut animantia, nisi quæ de facto sunt, quæ omnia statim ridicula apparent. Denique in ipsis actionibus voluntatis est certior conclusio: quia voluntas cùm sit libera, non semper operatur quantum potest; falsum ergo est, non esse possibiles alias creaturas ab his quæ de facto existunt.

Secundò censeo, etiamsi Scoti sententia tam apertè nequeat impugnari, nihilominùs omnino dicendum esse, creaturas possibiles esse infinitas, tum quia nisi id concedatur, vix potest explicari quâ ratione potentia Dei sit infinita; tum quia, vt suppono ex dicendis infrà, durationes distinguuntur à re durante, nec possunt reproduci; ergo homines & Angeli in æternum duraturi, infinitas habebunt durationes distinctas. Si autem semel infinitum aliquod concedatur, non est cur etiam in aliis rebus illud non admittamus. Denique & præcipuè, quia in tali infinito nulla est contradictio (vt infrà ostendam) ergo debet concedi possibile. Scientia ergo Dei cognoscit actu creaturas possibiles infinitas simpliciter.

SECTIO III.

Deus potest producere creaturam omnium infimam, item & perfectissimam.

DE perfectissimâ negant nonnulli, quia quæ- 15
cumque producatur, adhuc distat infinitè à Deo; ergo possibilis est alia media inter ipsam & Deum. Debile argumentum: sume enim totam collectionem creaturarum possibilium, & argue sic: Adhuc illa collectio est finita in perfectione essentiali, & distat infinitè à Deo; ergo poterit produci alia perfectior intensiuè totâ illâ collectione. Ecce formam tui argumenti omnino eamdem; nec puto ei concedes consequentiam. Hanc meam solutionem reiecêre posteà hi, eò quòd argumentum ipsorum desumatur ab infinitâ participatione Dei, & positâ vnâ creaturâ perfectâ, esse possint infinitæ perfectiores; nec hinc inferri contradictionem, nec esse cur in vnâ sistamus, sed progrediendum sine fine. Hæc illi.

Verùm ego non video, quomodo hinc solu- 16
tionem impugnauerint: ego enim in solutione non ago iam de puncto præcipuo quæstionis, scilicet vtrùm sit possibilis vna creatura omnium suprema, an non; sed tantùm ostendo, argumentum horum Auctorum, ad probandum illam, repugnare, eò quòd qualibet assignatâ, adhuc Deus ab eâ infinitè distat, ergo participabilis est ab aliâ superiori: hoc, inquam, argumentum nullum esse ostendo, quia sumptâ totâ collectione, adhuc est verum dicere, Tota hæc collectio distat infinitè à Deo, & tamen inde non licet inferre, Ergo est possibilis aliqua creatura, quæ perfectiùs, quàm tota ista collectio, Deum participet; ergo nec valebit eadem forma argumenti in vnâ solâ creaturâ; ergo quidquid sit de conclusionis veritate, certè ea non probatur benè hoc argumento. Ei ergo, omissâ instantiâ, re- 17
spondeo, omnem creaturam ex conceptu suo necessariò debere infinitè à Deo distare, nec illam distantiam posse, vt sic dicam, repleri per creaturas magis ac magis perfectas, quousque inter illas & Deum nulla sit vacuitas, alioquin esset aliqua quæ finitè à Deo solùm distaret, quod omnino repugnat; non ergo ex distantiâ infinitâ potest inferri, possibilem esse aliam perfectiorem.

Secundò arguunt: Quia, si daretur creatura perfectissima omnium, sequeretur eas, quæ continentur infra illam, non esse infinitas, quia haberent vltimam. Argumentum imbellius priori. Anne, quia species hominis sit perfectissima omnium animalium, sequitur, species animalium infra illum contentas, non esse infinitas? Nullatenus: & mirandum est, quòd cùm ferè omnes dicant, infra hominem esse infinita animalia imperfectiora, tamen communiter ex hac infinitate conentur inferre, non esse possibilem creaturarum omnium perfectissimam.

Fortè dicent: Tunc esset etiam infima & vlti- 18
ma, & consequenter infinitum ex vtraque parte haberet terminum, quod repugnat infinito. Sed contra hos euidenter retorqueo argumentum. Sumo formicam & hominem: intra hos duos terminos, quorum vnus est infimus, alter supremus, sunt possibilia per te infinita animalia inæ-

qualia; ergo iam tota illa collectio ex illis, & formicâ ac homine, habebit duos terminos, formicam infimum, & hominem supremum; ergo ex infinitate non repugnat creatura omnium infima, item & omnium suprema. Ratio est, quia (vt dixi suprà) rectè potest infinitum includi inter duo puncta, si illa inter se infinitè distent: distabunt autem, quando tot sunt inter illa vnitates, vt successu temporis à primâ ad vltimam peruenire nequeam; ergo ex hoc capite nec repugnat creatura omnium perfectissima, nec item imperfectissima.

19 Contraria ergo sententia, scilicet, possibilem esse creaturam aliquam omnium perfectissimam quoad speciem, item & aliam è contrario omnium infimam, multò probabilior est; & quidem mihi certum, propter statim dicenda. Dico, *omnium perfectissimam quoad speciem*, vt abstraham nunc, an illa haberet alia individua eiusdem speciei sibi omnino æqualia. imò vt clariùs etiam procedamus, & abstrahamus ab alterâ quæstione, an scilicet duæ species diuersæ possint esse æquales in perfectione, vnde aliquis contenderet illam non esse perfectissimam, quia posset habere aliam speciem sibi æqualem. Vt ergo ab hoc abstrahamus, meliùs dicetur, posse dari vnam creaturam, quæ à nullâ aliâ excedatur in perfectione, siue habeat alias æquales sibi, ideoque non sit omnium perfectissima; siue non habeat, & tunc nec ab vllâ excedatur, & ipsa omnes excedat. Hæc sententia est omnium eorum,
20 qui dicunt, de facto supremum Seraphinum esse perfectissimam creaturarum possibilium. Item & aliorum multorum, qui, abstrahendo ab eo quod de facto existit, possibilem tamen esse talem creaturam, expressè asserunt.

Hanc Primò probo solutionem argumentorum: ostenditur enim, nullam esse in tali creaturâ repugnantiam, ergo. Secundò efficaciter, quia sumo totam collectionem creaturarum, & sic in eâ argumentor: Non omnes creaturæ, quæ sunt in hac collectione, excedunntur à creaturis; ergo aliqua est quæ non exceditur, illa ergo erit suprema, de quâ disputo. Consequentia vtraque est euidens. Antecedens verò probo manifestè: quia repugnat, omnes creaturas excedi à creaturis; daretur enim mutuus excessus in perfectione in eâ collectione, qui omnino repugnat; ergo non omnes excedentur. Confirmo & explico
21 Primò: repugnat, omnes creaturas produci à creaturis, nisi detur mutua productio. Vnde omnes Philosophi & Theologi ex eo, quòd creatura sit producta, probant, necessariò deueniendum ad vnum eus improductum, & à se, à quo illæ primò producantur: supponunt enim vt certum, totam collectionem creaturarum non posse à creaturis produci (aliàs argumentum nullum esset) nisi detur mutua causalitas. Vnde, qui hîc à nobis dissident, posteà inferiùs probantes, generationes hominum non potuisse esse ab æterno, vtuntur hoc argumento, quia scilicet in illâ collectione etiam infinitâ, deueniendum est ad vnum, qui non sit productus ab alio homine, sed à Deo (omitto reliquam argumenti partem, quia non est ad meum intentum, nunc præcedenti sum contentus) ergo sicut in illâ multitudine hominum, ne detur mutua causalitas, deueniendum est ad vnum non productum ab homine; ita in collectione creaturarũ, quantumuis infinitâ, deueniendum est ad vnam, quæ non excedatur à creaturâ; est enim idem meum argumentum cum tuo, mutatis terminis *causalitatis* in *excessum*. ergo non minùs repugnabit, omnes creaturas diuisiuè excedi à creaturis, nisi detur mutuus excessus, quàm repugnat, omnes eos etiam homines infinitos produci ab hominibus, nisi detur mutua causalitas. Atqui, mutuus excessus clariùs multò repugnat, quàm mutua causalitas; quia esse absolutè perfectiorem alio, & imperfectiorem absolutè illo, in terminis ostendit repugnantiam: dicit enim habere tantam perfectionem, quandoquidem est æquale, imò perfectius; & dicit non habere tantam, quia est minùs perfectum: habere autem tantam, & non habere tantam, apertè sunt contradictoria; in mutuâ autem causalitate non tam facilè ostenditur ea contradictio (vt & suprà vidimus) ergo sicut repugnat, in totâ collectione creaturarum nullam esse quæ non producatur à creaturâ, ita repugnabit, in eadem collectione nullam esse quæ non excedatur à creaturâ. Neque video vllam possibilem disparitatem, quoad hoc, inter causalitatem & excessum. 22 23

Confirmo Secundò, & accipio totam collectionem specierũm possibilium ab homine inclusiuè, & argumentor sic: In hac collectione non omnes species exceduntur; ergo aliqua est quæ non exceditur; illa ergo erit, quam ego supremam voco. Probo Antecedens: quia si omnes excederentur, sequeretur, plures esse quæ exceduntur, quàm excedentes, & non esse plures, quæ sunt contradictoria. Probo sequelam, 24 quia in primis omnes species supra hominem exceduntur, & excedunt per te; homo autem, qui est primus in eâ collectione, exceditur, & non excedit vllum illius collectionis; ergo sunt vnâ ampliùs quæ exceduntur, quàm excedentes, in eâ collectione, humana scilicet species, quæ excediturr, & non excedit. Præterea non essent plures: quia quælibet quæ exceditur, debet habere vnam à quâ excedatur immediatè; ergo vt omnes excedantur, tot debent esse quæ excedunt, quot excessæ, & non plures; sunt ergo tot, & non sunt tot. Neque refert eas esse infinitas, quia si Deus poneret hîc infinitos homines, quemlibet in suo proprio equo, & posteà destrueret vnum equum, necessariò deberet vnus homo manere 25 sine equo, nec aliter potest etiam in infinito concipi; ergo, si singulæ species illius collectionis exceduntur ab vnâ sibi immediatè superiore, tot debent esse excedentes, quot excessæ, vel necessariò debet manere vna quæ non excedatur (vt contendo) si plures sint excessæ quàm excedentes. ostendi autem euidenter, esse plures in tuâ sententiâ, quia homo ipse exceditur, & non excedit; ceteræ autem, per te, & sunt excedentes, & excessæ. Ecce ergo quomodo negari nequeat vllo modo, nisi dentur duo contradictoria, in eâ collectione creaturarum non omnes & singulas excedi, sed necessariò vnam debere esse quæ non excedatur, vt contendo, illamque esse vltimam seu perfectissimam.

Posset fortè dici, esse quidem vnam, sed inde- 26 terminatam. Sed hoc facilè reiicitur, Primò quia à parte rei nihil est indeterminatum; indeterminatio enim tenet se ex parte cognitionis nostræ.

ſtræ. Secundò, quia illam Deus neceſſariò debet cognoſcere; nouit enim Deus de aliis quæ exceduntur, iſta & iſta exceditur, &c. ergo noſcet illam quæ non exceditur, & poterit illam producere. Tertiò, quia ſi Deus omnes produxiſſet, illa etiam fuiſſet producta; ergo poſſet illa ſe agnoſcere, & dicere, ego non excedor; tunc autem benè eſſet determinata.

Sic argumentor Secundò: In eâ collectione creaturarum omnium, eſt ſumma propinquitas in perfectione cum Deo, quæ in creaturis eſſe poteſt. Hæc eſt euidens, quia ſupra eam totam collectionem, non eſt poſſibilis creatura Deo
27 vicinior. Vlteriùs: ea vicinitas ſumma non reperitur in omnibus; imò neque in duabus ſpeciebus (pono, maioris claritatis gratiâ, omnes ſpecies eſſe inæquales, vt tu ipſe doces) ergo in vnâ; ergo datur vna ſummè Deo vicina. Probo primam conſequentiam euidenter (ſecunda enim eſt certa) quia ibi datur ſumma propinquitas, non in omnibus, neque in duabus aut tribus; quia non ſunt duæ æquales, vel ſi ſunt, illæ erunt omnium perfectiſſimæ; ergo in vnâ, aliàs non erit ibi ſumma vicinitas quæ cum Deo eſſe poteſt. Neque ſcio quid ſit euidens, ſi hæc conſequentia euidenter non deducitur.

28 Tertiò idem oſtendo, quia Deus, incipiendo ab homine, cognoſcit quis illum excedat, & rurſus quis illum ſecundum, & ſic de tertio & de quarto: vel ergo Deus ſiſtit in aliquâ ſpecie, ſupra quam non cognoſcat quæ ſit perfectior quàm illa, cùm tamen verè aliqua ſit (quod dici non poteſt, quia repugnat perfectioni ſcientiæ diuinæ) vel de omnibus in particulari cognoſcit quas excedant, & à quibus excedantur: cumque ea cognitio diuina, & diſcurſus, aſcendendo per eas creaturas fiat, non ſucceſſiuè, ſed in inſtanti, de omnibus, quantumcumque infinitis, poterit dicere & quæ & à quibus excedantur; ergo pergendo ſurſum vno ictu, tandem venit ad vnam vltra quam non progreditur, quia non eſt vlla ſupra illam. vel debet per illas vſque ad ſe ipſum aſcendere, & ſic etiam noſcet illam, quæ ipſi Deo immediatior fuerit, illa autem eſt omnium ſuprema. Nullo ergo modo eam eſſe poſſibilem, negari poteſt.

Quartò tandem, quia Deus poteſt producere ſummè perfectam quàm poteſt, quæ eſt propoſitio idemtica, ideoque nimis vera. Producat ergo illam, rogo an eſſet omnium perfectiſſima, an non. Si eſſet, teneo intentum: ſi non eſſet, ergo poterat Deus aliam perfectiorem producere, ergo non eſt ſummè perfecta quàm poteſt, vt iam ſupponimus.

29 Eadem argumenta eadem vi fieri poſſunt, ad probandum eſſe poſſibilem creaturarum omnium infimam.

Rogabis, an creatura illa omnium perfectiſſima eſſet infinita in perfectione. Negant nonnulli, eò quòd illa non haberet perfectionem independentiæ à Deo.

Sed diceret forte aliquis: Sicut non eſt de ratione infiniti in multitudine v. g. habere omnes vnitates poſſibiles, vt & faciantur omnes; ita neque eſſe de ratione infiniti in perfectione, habere omnem perfectionem poſſibilem; ergo poterit illa creatura eſſe infinita in perfectione, licet non habeat omnem perfectionem poſſibilem, ideoque ſit infinita non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid. Reſpondeo, infinitum in eſſentiâ ex ac- 30
ceptione communi ſignificare illud quod habet omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem; vel aliter, quod non habet imperfectionem, vt dixi num. 1. Creatura autem illa, etſi excederet infinitas, ſemper tamen haberet admixtam imperfectionem defectibilitatis, dependentiæ, &c. Ideoque non eſſet infinita. Neque argumentum hoc ſpeciale eſt in illâ creaturâ, quia etiam Angelus excedit infinitas creaturas poſſibiles inæquales in perfectione, & tamen non ideò eſt infinitè perfectus. Ad inſtantiam de infinito in multitudine reſpondeo, ibi non requiri ad rationem infiniti omnes vnitates poſſibiles, quia ibi ratio infiniti deſumitur ex eo, quòd à primo ad vltimum ſucceſſiuè peruenire nequeat, quod ne- 31
ceſſariò debet eſſe verum, etſi duo vel tres, imò media pars deſit ad omnia poſſibilia (vt oſtendi euidenter num. 2. probans, vnum infinitum poſſe eſſe maius altero) at infinitum in eſſentiâ, niſi per continentiam omnis perfectionis poſſibilis, non eſt vnde ſumatur: nam continentia infinitorum effectuum, vel exceſſus infinitorum entium in homine, in equo, & aliis entibus quæ nullatenus infinita dicuntur, reperitur; homo enim & equus excedit infinita entia, & continet infinitas ſenſationes, appetitiones, &c.

SECTIO IV.

Poteſt Deus producere infinitum in multitudine, magnitudine, & intenſione.

IN hanc ſententiam inclinat P. Vaſquez To- 32
mo 1. in 1. Part. diſp. 26. cap. 1. & eſt communis inter modernos, probaturque facilè ex ſolutione argumentorum quæ in contrarium poſſunt adduci, quod eſt ferè vnicum argumentum in his quæſtionibus. Secundò, quia ſi Angeli v. g. poſſibiles ſunt infiniti (vt ſupponimus ex præcedenti Sectione) cùm nullus dicat repugnantiam cum altero, omnes quotquot poſſibiles cognoſcuntur, poterunt ſimul exiſtere. Imò ex hac ratione, infrà num. vltimo concludam, etiam naturaliter infinitos Angelos, mundos, &c. eſſe poſſibiles, quia nihil eſt, nec naturaliter, quod petat ne producantur. Quod à fortiori certè de poſſibilitate diuinitus loquendo vrget. Videamus iam, quæ contra nos obiiciant.

Primò arguunt ex Ariſtotele id negante. Re- 33
ſpondeo, Ariſtotelem docentem, cõtinuum quodlibet, quantumuis minimum, v. g. atomum, componi de facto ex infinitis partibus & punctis, admittere etiam de facto infinitum: quoad poſſibile verò diuinitus non mirum ſi negetur ab ipſo, qui Deum docet operari ex neceſſitate naturæ, in quo errat in Fide.

Secundò arguunt: Quia ſi Deus produceret infinitum, exhauriretur omnipotentia Dei; ergo non poteſt producere. Non vrget, Primò, quia poſſet producere Deus vnum infinitum, & relinquere alia plura quæ poſteà produceret. Secundò, quia etſi producat omnia, non ideò exhauritur omnipotentia, imò potiùs tunc eſt in perfectiſſimo actu, ſicut quia actu cognoſcit omnia,

omnia, non exhauritur eius scientia. Denique quia adhuc posset Deus ea annihilare, & rursus producere.

34 Tertiò: Quia omne quod fit, debet cadere sub intentionem determinatam: sed infinitum non potest cadere sub illam, ergo nec produci. Nego Minorem, quia potest Deus, ad ostentandam suam potentiam, velle illud producere. Nec video, cur magis Angeli finiti possunt habere finem certum ob quem creentur, quàm infiniti.

Quartò: Quia omne corpus debet habere figuram, ergo & terminum, quia figura est terminus quantitatis; ergo non esset infinitum. Negant nonnulli, illud corpus habiturum figuram, sed immeritò: posset enim depingi v. g. homo infinitæ magnitudinis, habens omnia membra, verùm infinitè inter se distantia, præsertim cùm ostenderimus suprà, posse infinitum includi inter duo puncta determinata. Vel si repugnat tale infinitum, pone infinitum numerum Angelorum, vbi hæc figura non est necessaria.

35 Ante argumenta omnia sequentia aduerte, Auctores qui eis vtuntur, ex vnâ parte concedere, à Deo cognosci per scientiam simplicis intelligentiæ infinitos homines v. g. possibiles, aliunde verò facere argumenta contra infinitum actu existens, quæ eodem prorsus modo contra illos infinitos homines visos per scientiam simplicis intelligentiæ, sine discrimine vllo vrgent, vt in quolibet speciatim videbis ideò sibi non esse constantes.

Quintò: Quia si posset esse infinita intensio, ergo posset dari Visio Dei infinitè intensa, ergo & comprehensio Dei. Inprimis, rogo, an per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscat Deus eam visionem infinitè intensam, & vtrùm cognoscat, eam esse comprehensionem Dei, an non. Si cognoscat, eam non esse comprehensionem; ergo, etsi existat, non erit comprehensio: si verò non cognoscit eam vt possibilem, quia esset comprehensio Dei, ergo iam relaberis in sententiam negantium, esse possibiles infinitas creatu-
36 ras, vel gratiam esse infinitè intensibilem. Igitur absolutè respondeo, illam non futuram comprehensionem; quia ad hanc requiritur, visionem esse infinitam in perfectione, de quo fusiùs Disputatione VI. de Animâ, à num. 123. & in materiâ de visione Dei.

Sextò: Quia si producerentur infiniti homines, & ab illis separaretur vnus, qui remanerent essent infiniti, quia ex ablatione finiti, non potest infinitum reddi finitum. Deinde, non essent infiniti, quia infinitum est, cui nihil potest addi. Sed inprimis hoc argumentum etiam est contra infinitum possibile. peto enim, vtrùm homines possibiles, excepto Adamo, sint infiniti, nécne. Si illi soli sunt infiniti, ergo si illi existerent, etiam sine Adamo adhuc essent infiniti: si verò non sunt infiniti, ergo nec addito Adamo erunt infiniti; & consequenter omnes homines possibiles non erunt infiniti, vt docuit Sco-
37 tus. Deinde respondeo ex dictis suprà, posse vnum infinitum esse maius altero, & infinito posse fieri additionem, ideoque illos homines, etiam ablato vno, futuros infinitos, non tamen tot quot anteà. Et hinc inferes, licet in infinito sint infiniti binarij hominum v. g. & infiniti quaternarij, esse tamen binarios duplo plures, quàm quaternarios.

Septimò: Quia si infiniti Angeli existentes mouerent lapidem, motus ille esset infinitè velox, & consequenter in instanti, quod repugnat. Respondeo, ex dicendis infrà, neque à Deo posse fieri motum localem per spatium diuisibile in instanti, non ergo illud possent facere Angeli infiniti, qui non habent maiorem virtutem quàm Deus. Vnde miror, ob repugnantiam talis motus magis inferri, repugnare infinitos Angelos, quàm inferatur repugnare ipse Deus, qui habet maiorem virtutem, quàm omnes simul illi Angeli.

Octauò: Quia si produceret Deus virgam in- 38
finitè longam, & ab illâ auferrentur duo vel tres palmi intermedij, & reunirentur à Deo duæ medietates, vel tunc occuparet eumdem locum quem anteà, & id repugnat, quia esset minùs longa; vel ex Oriente vel Occidente amisisset aliquem locum, & tunc iam non esset infinita, quia vltra illam daretur aliquis locus, ille scilicet quem amisit. Hoc argumentum potest eodem modo retorqueri contra illos, in eâ virgâ cognitâ per scientiam simplicis intelligentiæ, de quâ idem potest interrogari quod de existente, non ergo est speciale contra nos. Huic argumento respondent nonnulli, illud spatium intermedium posse à Deo impleri, vel producendo alias partes virgæ, vel eas rarefaciendo, vel aliquas duobus in locis constituendo; non autem posse moueri localiter ab vtraque parte, quia motus est desertio termini à quo, & acquisitio termini ad quem: illæ autem virgæ versus illas duas partes nullum haberent terminum, ergo non possent moueri localiter. In hac solutione non loquuntur hi con- 39
sequenter, neque sibi, neque rationi: admittunt enim hi, in triangulo infinito lineas inclusas infinitè longas habituras duo puncta, in costis triàguli, inter quæ puncta illæ lineæ clauderentur; ergo esset primum & vltimũ punctum. Vel si nolumus facere quæstionem de nomine, an dicenda essent primum & vltimum, vel terminus, certè extra illam costam pyramidis trianguli esset spatium, vbi alia posset incipere. Cur ergo hæc pyramis, vel triangulus ad illum locum ibi occupandum, non posset moueri deserendo alium? Confirmo rursus, per te, & meritò: infinitum vnum potest esse maius alio. Pone ergo hîc duas virgas infinitas, quæ hinc simul incipiant cælum versus, vna autem sit longior aliâ; cur ea, quæ non est tanta, non poterit moueri sursum ad locum, quem alia maior pertingit? certè non potest vlla excogitari ratio. Quod enim tu dicis, motum localem esse à termino à quo, ad terminum ad quem; hoc, inquam, habet aliquid de nomine, vel est falsum, prout à te intelligitur. De no- 40
mine, quia per terminum ego id intelligo *vbi res desinit*, & vltrà non progreditur: infinitum autem hoc modo potest habere terminum, vt patet, per te, in duabus costis trianguli, intra se lineam infinitè longam continentis; & in hoc sensu etiam cælum versus illa linea infinitè longa haberet in re terminum, quia, per te, non occuparet omnia spatia possibilia in longitudine; ergo in hoc sensu posset ea virga moueri ad acquirendum nouum locum, alium deserendo. Tu verò, licet in infinito admittas punctum, vltra quod non protendatur, illud non vocas terminum, sed in re nobiscum conuenis. Quòd si ad motum localem requiras nouum terminum, in hac tuâ ac-

ceptione,

ceptione, falsum dicis, quia dummodò sit nouus locus, quem ea virga occupare possit, habet capacitatem vt se ad illum moueat, siue dicatur ter-
41 minus, siue non. Fateor, si quodlibet infinitum occuparet omnem longitudinem possibilem, tunc non posset eâ parte moueri; sed hoc à te merito negatur, ergo.

Melius ergo respondetur argumento è numero 38. eam virgam deserturam aliquem locum versus vtramque partem, neque ideò futuram finitam, quia (vt dixi suprà) non est de ratione infiniti, habere omne possibile, aut repugnare illi additionem, sed præcisè vt ab vno puncto in aliud minimè possit successiuè peruenire.

Nonò arguunt alij: Producatur virga infinita versus Orientem & Occidentem, & alia infinitè maior; ergo iam prima habet terminos, ergo non est infinita. Retorquetur contra hos argumentum in eis virgis per scientiam simplicis intelligentiæ cognitis, vt facilè quisque videbit. Deinde, iam est solutum suprà, vbi ostendi, posse infinitum includi inter duo puncta, infinitè tamen inter se distantia.

42 Decimò: Quia si Deus produceret pyramidem infinitè longam, & inter illius costas traiicerentur lineæ à costâ in costam, essent finitæ & infinitæ; infinitæ, quia costæ distarent inter se infinitè, ergo & lineæ ductæ ab vnâ in aliam; & non essent infinitæ, quia clauderentur duobus punctis. Respondeo ex dictis iam sæpè, non esse contra rationem infiniti, includi duobus punctis, dummodò illa inter se infinitè distent.

Hæc sunt communia argumenta, quæ contra infinitum actu existens fieri solent. Omitto alia omnino similia, solis ferè terminis aut materiâ mutatâ, quæ (vt dixi) possunt eodem modo contra infinitum possibile retorqueri, ideoque nihil speciale contra actuale probant.

43 Contra vtrumque tamen potest vnum vel alterum argumentum difficile valdè fieri. Primum sit: In eâ pyramide infinitâ, in qua Deus cognoscit omnes lineas quæ à costâ in costam ducuntur, & primam post punctum, in quo concurrunt ambæ costæ, cognoscit solùm constare duobus punctis, secundam tribus, &c. & cognoscit Deus omnes quæ ibi sunt. Vlteriùs, cognoscit quæ sint finitæ, quæ verò infinitæ, quia neque omnes sunt finitæ in longitudine, neque omnes infinitæ: ex finitis autem cognoscit sanè omnium maximam, quia inter omnes finitas necessum est vnam esse maximâ. Rogo ergo, quæ succedit post hanc, ést-ne infinita, an finita? Finita non potest esse, quia est maior quàm maxima omnium finitarum; neque item potest esse infinita, quia non habet nisi duo puncta plus quàm altera finita, finitum autem additum finito, non facit infinitum; ergo il-
44 la est & non est infinita, quod implicat. Quòd si propter hoc argumentum diceres, Deum non cognoscere, nec per scientiam simplicis intelligentiæ, possibilem pyramidem, aut triangulum, aut talem figuram infinitè longam; Contrà Primò, quia in ipso spatio imaginario, quod est infinitum, idem argumentum fieri potest, & infiniti homines possent in tali figurâ disponi, & in quacumque infinitâ magnitudine posset formari infinita pyramis, vel ex duabus virgis infinitè longis formari posset; imò in Angelis infinitis possibilibus: nam Deus vno ictu omnes enumerans, *vnum, duo, tres*, &c. vel venit ad numerum vltimum ex finitis, & tunc tota difficultas suprà posita redit; vel non venit, & hoc ipsum videtur valdè durum, scilicet Deum non posse vnico actu illis numeris dare nomina, & scire qui illorum sint finiti qui infiniti. Contrà Se- 45
cundò & vniuersaliùs ex ratione à priori: quia omnis longitudo finita aut multitudo potest successiuè percurri aut numerari, alioquin esset infinita; ergo, si incipiamus enumerare homines, tandem finiemus omnem multitudinem finitam illorum, ita vt supra illam non possit nec alius homo, componens cum præcedentibus numerum finitum, restare enumerandus; ergo addito iam præcisè vno supra præcedentes, resultabit multitudo infinita, quia præcedens erat maxima omnium finitarum, & hæc est maior illâ, ergo erit infinita. Deinde non erit infinita, quia finitum additum finito non facit infinitum.

Respondent aliqui, concedendo, dari posse numerum finitum, maximum inter finitos possibiles; & eodem modo lineam inter finitas maximam; negant tamen, Deum posse ei numero vnum solum addere, sed necessariò addendos infinitos, aliàs sequerentur duo contradictoria. Hæc solutio reiicitur clarissimè, Primò, quia si ibi est maximus numerus hominum, qui inter finitos esse potest, debuissent hi aduertisse, esse ibi duplo plures oculos. Iam ergo, rogo an oculi essent finiti, an infiniti. Finiti non possunt esse, quia sunt plures quàm homines, hi autem soli faciunt numerum inter finitos maximum: nec infiniti, quia duo finita non faciunt infinitum. Secundò, quia si posito eo finito numero, adhuc sunt possibiles infiniti, non est qui Deo liget manus, ne possit producere quem velit ex restantibus; quia ille non repugnat cum præcedentibus. Si enim cum eo infiniti alij producerentur, non repugnaret; ergo nec solus repugnat. Confirmo: annihilet Deus illum numerum maximum, & producat Petrum, iam hoc producto, cur non poterit reproducere antiquum numerum? Tertiò impugno eam solutionem, quia quoad cogitationem est eadem difficultas: addo enim mente vnum ex possibilibus ei numero, & rogo, an ille numerus ex existentibus, & ex possibili resultans sit finitus, an infinitus. & sic redit totum argumentum suprà factum. Imò fieri hoc ipsum potest, addendo illi numero hominum vnum aliud quodcumque ens. Quòd verò dicitur, sequi hinc contradictoria, fateor; sed hoc intendit argumentum euincere, si semel concedatur maximus numerus finitus inter omnes finitos.

Hoc argumento videtur probari, in ipsâ 46
compositione infiniti inuolui contradictionem, siue illud infinitum existat, siue solùm sit possibile; nec posse intelligi, quâ ratione finitum additum finito non faciat infinitum: & nisi retorqueretur manifestè contra æternitatem Dei à parte antè & à parte pòst, inclinarem sanè in sententiam Scoti negantis omne infinitum. Quid autem sit ei respondendum, nec mihi occurrit, nec vidi in aliis, quia hoc argumentum non vidi propositum. Malo autem fateri, me non videre solutionem, quàm dare aliquam, quam nec ego nec vllus alius intelligat. Hoc solùm aduerto, quod & suprà dixi, non tam esse contra infinitum in actu, quàm contra possibile.

Rogabis,

Rogabis, vtrùm naturaliter possit dari aliquod infinitum. Respondeo, in Angelis non esse vllam rationem, cur non possint naturaliter infiniti produci, quia productio vnius non exigit ne alius producatur. Item neque exigunt spatium extensum in quo sint, quia omnes possunt esse in eodem loco; deinde, etsi exigerent, spatia sunt
47 finita. Præterea etiam videntur naturaliter produci posse infiniti mundi, quia nihil est in naturâ quod illis contradicat. De infinito in magnitudine dicendum, viuentia physica naturaliter loquendo non posse esse infinitæ magnitudinis, quia augentur per intus-sumptionem, quâ alimentum ab vnâ parte trahitur in aliam; id autem non posset fieri, si partes essent infinitæ. Quod enim respondent aliqui, illud viuens habiturum infinitum stomachum, & tam benè posse ex infinitâ culinâ infinitæ domui cibos suppeditari, quàm ex finitâ finitæ; hoc, inquam, ridiculum est. Fateor enim illis, quoad quantitatem ciborum id verum esse, sed rogo, si interposita cubicula illius domus sunt infinitè longa, quando peruenient ministri cum cibis? ô quàm iam erunt frigidi! aut quanto tempore ex foro emptos cibos ad culinam vt parentur asportabunt famuli?
48 ô quàm iam fœtebunt! Si homo haberet collum & brachia infinitè longa, per totam æternitatem non descenderet cibus ex ore ad stomachum, nec ab hoc ad caput aut ad manus alimentum peruenire posset: & hinc infrà probabo, viuentia habere terminos magnitudinis, naturaliter loquendo. Verùm in non-viuentibus, v. g. in igne, aëre, &c. non est cur ea magnitudo infinita naturaliter repugnet, non loquor in hoc Vniuerso, quia ex defectu loci per accidens repugnat infinitus ignis.

Infinitum in intensione naturaliter repugnat ex incapacitate subiecti, quia cùm hoc habeat limitatam virtutem, non potest simul sustentare infinitos gradus qualitatis.

Aduerte pro totâ hac materiâ, non valere con- 49
sequentiam hanc, *homo excedit infinitas species animalium inæquales inter se, ergo homo est infinitus.* Rationem fortè quis redderet, eò quòd hic excessus non ita fit, vt in homine detur vnus gradus perfectionis quo excedat vnum animal, & alius quo excedat aliud: si enim ita contingeret, dicet quis, essent in homine pro-uldubiò infiniti gradus perfectionis, & consequenter homo esset infinitus. Fit ergo ille excessus per eamdem indiuisibilem perfectionem etiam ratione nostrâ, quæ est superior ad omnes illas species animalium. Sed contrà, quia si homo esset infinitus, casu quo omnes eas perfectiones cum earum distinctione contineret, à fortiori erit infinitus, si eas sine distinctione contineat. Probo consequentiam clarè, quia maior perfectio est continere eas sine distinctione, quàm cum illâ; ergo si cum distinctione arguerent infinitatem, à fortiori illam arguerent sine distinctione.

Adhuc tamen respondeo, si essent distinctæ, arguerent in homine infinitam perfectionem, saltem in multitudine; quando verò sunt sine distinctione, nec in multitudine, vt constat, neque in essentiâ est infinitum, quia habet multas imperfectiones admixtas, quæ repugnant infinitâ in essentiâ, vt dixi suprà num. 1. Hæc de infinito satis, quia quò plus mouetur, minùs percipitur, & homo magis confunditur.

LIBER QVARTVS PHYSICORVM.

In hoc libro cum Aristotele agemus de Loco, Vacuo, item & de Tempore, quorum omnium difficultates inter se valdè connexas esse, ex dicendis constabit.

DISPVTATIO DECIMAQVARTA.

De Loco & Vacuo.

SECTIO I.

Quid sit Locus.

1 ARISTOTELES in præsenti definiuit locum, esse superficiem corporis continentis immobilem. Inter Philosophos dubium est, cui loco hæc definitio conueniat, an reali & vero, an imaginario, an ipsis corporibus, an eorum vbicationibus. Sed quæstio est de voce, de re enim non potest esse dubitatio. Ego primùm dicendum censeo, locum esse aliquid reale, quia ens rationis non est corpus absolutè, neque habet superficiem propriam. Secundò, illum esse distinctum à re quæ est in loco, nihil enim continet se ipsum, aut est in se vt in loco. Vnde infero, locum esse superficiem illam corporis realis continentis aliud corpus, v. g. superficiem vasis in quâ continetur aqua, superficiem terræ & aëris in quâ existit homo.

Sed obiicies: Superficies vasis non est locus, quia sequeretur, quando vter plenus vino mouetur, vinum non mutare locum, quia manet intra eumdem vtrem, & tamen certum est, illud mutasse & vbicationem & locum, ergo superficies non est locus. Propter hoc argumentum nonnulli hanc sententiam impugnant; sed, vt dixi, res est de voce. In quâ possumus respondere, tunc vinum illud non mutasse locum realem, licet mutauerit vbicationes, quæ, vt dicemus infrà,

frà, non locum realem, sed spatium imaginarium respiciunt.

2 Difficultas est, quare iste locus dicatur immobilis; nam vas potest moueri localiter, potest item & aër ac terra in quâ ego sum vt in loco, item aqua in quâ continentur pisces vt in loco. Fusè in præsenti nonnulli recentiores aliorum explicationes referunt, & refutant, & tandem ipsi concludunt, ab Aristotele locum continentem dici immobilem, non quia absolutè immobilis sit, sed quia potest manere immotus, etiamsi corpus in illo contentum mutetur, vt potest dolium manere immotum, etiamsi ab illo extrahatur vinum, quod erat in ipso vt in loco. Res est parui momenti, & in quâ diuinatur potiùs circà mentem Aristotelis, quàm aliquid certum dicatur; præcipuè cùm videatur improprius modus loquendi, vocare aliquid immobile, eò quòd licet possit moueri, non tamen necessariò mouetur ad motum alterius: imò, etiam ipsa res vbicata potest manere immota, licet superficies moueatur, v. g. homo, licet aër ambiens moueatur; ergo in hoc sensu non magis ipsa superficies,
3 quàm corpus contentum est immobile. Quæstio est, vt dixi, de solo nomine, & fortè illa particula est superflua, vel solùm definiuit Aristoteles terram, quæ tota absolutè est immobilis, & in quâ omnes aliæ res locantur. Nam, quod alij dicunt, *τὸ immobilem* significare ipsum locum realem coniunctum cum suis vbicationibus, quia vt sic est immobilis, omnino displicet; quia licet verum sit, me v. g. quatenus sum sub sessione, non posse moueri, non tamen absolutè propterea dici possum immobilis. Et ratio est, quia eiusmodi prædicatum non cadit propriè supra vbicationes, sed supra subiectum illarum quod solùm importatur in recto, iuxta dicta à nobis in Summulis de Concreto accidentali; rectum autem huius concreti absolutè est mobile, etiamsi obliquum, scilicet vbicationes immobiles sint. Adde, etiam in hoc sensu corpus ipsum contentum esse immobile, quod est contra intentum Aristotelis.

Aduerte, quando dicitur, terminum productum per motum localem esse locum, non intelligendum de loco ipso reali, scilicet de aëre aut de terrâ, quia hæc non producitur per motum localem, ergo intelligitur solùm ipsa præsentia ad locum, quæ etiam aliquando dici solet locus, ipse autem locus extrinsecus & realis solùm est id cui per præsentiam localem reddimur præsentes.

4 Aduerte deinde ex dictis, Cælum empyreum non esse propriè in loco reali, quia extra ipsum non est aliquod corpus reale in cuius superficie ipsum contineatur, quia supra cælum empyreum nihil est aliud nisi Beati, qui non sunt locus cæli, sed potiùs ipsi sunt in cælo vt in loco reali. Potest autem eà parte quâ ad terram respicit, dici esse in loco, iuxta alios cælos.

SECTIO II.

Quid sit Vbicatio.

NOMINE Vbicationis intelligimus formam illam, à quâ Petrus v. g. habet esse hîc potiùs quàm Romæ aut Parisiis: & de hac inquirimus, vtrùm distinguatur ab ipso Petro, & à loco cui est præsens, & quid ea sit.

SVBSECTIO PRIMA.

Distinguitur.

CONCLVSIO sit, Vbicatio distinguitur realiter à Petro, à loco reali & imaginario, cui est præsens. Hæc est sententia omnium, quotquot ex Societate impresserunt, vno fortè aut altero excepto; in manuscriptis verò ferè ab omnibus defenditur. Pro eâ etiam stant Thomistæ & alij. Suadetur autem argumento sæpiùs repetito, quia hæc omnia possunt existere in rerum naturâ simul, quin Petrus sit hîc; ergo illum esse hîc, aliquid est distinctum ab ipso & à loco reali & imaginario. Consequentia est certa. Antecedens pro- 5
batur, quia quando Petrus est Romæ, existit Petrus in rerum naturâ, existit item hîc locus realis, id est, hic aër, hæc terra, &c. & hoc spatium imaginarium, & tamen Petrus non est hîc, ergo illum esse hîc, aliquid est separabile ab illis tribus rebus, debet ergo esse aliquid distinctum; quia nihil potest esse realiter separabile à se ipso.

Disputatione IV. à num. 5. agens de Vnione, insinuaui varias solutiones, quibus aduersarij simile argumentum deludere solent, dedique ibi consilium, quomodo contra illos agendum sit. Iam autem, quid in his dicant, breuiter insinuabo. Primò respondent, vbicationem meam hîc nihil esse aliud, quàm indistantiam mei ab hoc loco. Sed contrà, quia hæc indistantia est aliquid separabile à me & à loco, ergo est entitas aliqua realis.

Dicunt rursus, hanc indistantiam nihil aliud esse, quàm non posse inter me & locum aliquid aliud interponi. Sed contrà in primis, quia duæ superficies corporum se tangentes non admittunt inter se corpus interiectum, & tamen vna non est vbi est alia, id est in loco alîus, ergo esse in loco, non est propriè, nihil posse inter corpus & locum interponi. Secundò, quia de hoc ipso 6
est difficultas: nam inter me & locum non posse interponi alia corpora, est aliquid separabile à me & à loco, quia ambo possumus manere in rerum naturâ, non causantes formaliter hanc incapacitatem; ergo fundamentum illius est aliquid separabile ab vtroque, hoc autem est ipsa vbicatio.

Dicunt vlteriùs, me esse hîc, nihil esse aliud, quàm me & hoc spatium esse simul. Sed contrà, quia possumus ambo existere eodem instanti in rerum naturâ, & tamen non esse simul, ergo esse simul aliquid est ab vtriusque substantiâ collectiuè sumptâ distinctum.

Adhuc dices, illud esse approximationem ipsius Petri huic loco. Sed contrà, quia possunt illa tria existere sine approximatione Petri, ergo ea approximatio est distincta ab omnibus illis; hanc autem voco ego vbicationem.

Tandem respondebis, vbicationem Petri in hoc loco, esse Petrum prout hîc. Sed contrà quia *τὸ prout hîc*, potest separari à Petro, ergo est aliquid ab illo distinctum; illud autem erit vbicatio. Ergo vt omnes istas solutiones vnâ vice funditus euellas, & ne toties clamando defatiges caput, simul sic arguas: Me esse hîc, seu esse ap- 7

proximatum, seu non distare, seu esse simul localiter, seu non esse intercapedinem inter me & locum, seu quæcumque alia vocabula inueneris quæ repetas, est aliquid separabile realiter ab existentiâ vtriusque, spatij scilicet & mei; ergo est aliquid distinctum: hoc autem dico esse vbi seu vbicationem.

Fortè intrabis aliam viam, & dices, me esse hîc, esse quidem aliud, sed negatiuum, nempe carentiam distantiæ. Sed contrà, quia tunc infero euidenter, ergo distantia est aliquid positiuum; distantia autem est vbicatio. Contrà deinde, quia quid magis habet distantia, vt sit positiuum, quàm approximatio? Constet ergo, me esse hîc, esse aliquid positiuum superadditum.

SVBSECTIO SECVNDA.

Ampliùs eadem veritas declaratur.

QVIA doctrinam hanc claram & euidentem conantur aliqui omnibus modis deludere, oportet parum hîc gradum sistere, & rem diligentiùs examinare.

8 Nonnulli viri docti & eruditi, benè agnoscentes, non posse dari denominationem aliquam nouam realem, sine mutatione nouâ reali, vt explicarent quid sit me esse in hoc loco, quod iam ego de nouo acquiro, dixêre, esse negationem corporis interiecti inter me & istum locum.

Hanc solutionem, quam olim etiam proposueram & impugnaueram, & paulò antè reieci nomine *indistantiæ*, fusiùs nunc reiiciam, ne putet quis, se per eam euadere posse. Primò ergo argumentor: Quia hi Auctores non possunt per eam explicare, in quo differat vnum corpus esse alteri contiguum, ab hoc quod est esse cum illo penetratum, quæ tamen duo valdè sunt diuersa, & separabilia inter se. Sequelam autem probo euidenter, quia inter corpora contigua tam non potest interiici aliud corpus, quàm inter corpora penetrata; ergo in negatione interiicibilitatis ambo conueniunt: iam ergo, quid erit speciale in penetratione? non enim potest ibi vlla noua negatio inueniri.

Dices, Penetratio consistit in hoc, quòd vnum sit intra aliud. Sed contrà, quia hoc ipsum quærimus, quid sit de nouo, seu vnde proueniat ista denominatio noua. Non potest autem ab aliquo positiuo, quia illud negas; non à negatiuo, quia non est aliud nisi corpus interiicibile, hoc autem iam negabatur per contiguitatem: ergo vel penetratio aliquid positiuum addit, quod ego dico Vbicationem, vel planè non distinguitur à contiguitate, quod est euidenter falsum.

9 Secundò impugnatur euidenter in rebus spiritualibus: nam rogo, cur Angeli sunt præsentes corporibus, vel cælo (idem est de animâ respectu mei corporis.) Non per negationem corporis interiicibilis, nam pone Angelum supra murum, non verò penetratum, tunc potest in eodem loco in quo est Angelus, aliud corpus existere, ergo Angelus non potest in loco existere per negationem corporis intermedij. Confirmo & explico argumentum: manentibus omnibus corporibus eodem modo inter se approximatis, & nullâ factâ in eis mutatione, Angelus potest intrare & exire ab hoc cubiculo; rogo ergo, quando intrat, quod corpus negatur quod anteà non negaretur, aut quæ interiectio corporum, quæ anteà non esset? planè nulla: ergo Angelus non fuit ibi positus per negationes corporum, aut interiectionis illorum.

Respondebis, Angelum existere in loco per operationem. Ita Thomistæ respondent. Sed hanc solutionem in materiâ de Angelis reieci manifestè, Primò, quia Angeli in cælo nihil physicum operantur in ipsum cælum, vt sint illi præsentes, solùm enim Deum vident, quod & hîc posset eodem modo fieri; recurrere autem ad nescio quos impulsus aut qualitates impressas cælis, aut ignes ibi excitatos, planè est ridiculum; & dum hi vellent negare modos, recurrerent ad multò plures qualitates alias positiuas, qui esset error peior priore. Secundò impugnatur ea solutio, quia 10 Angelus non ideò est in corpore, quia operatur in illo, sed ideò potest operari in illo, quia est indistans ab illo; approximatio enim non fit ab operatione, sed operatio pendet ab approximatione vt à conditione, iuxta omnium sententiam; vnde Angelus non potest in hoc instanti esse hîc, in sequenti verò instanti in cælo, quod posset, si solùm fieret præsens per operationem: non enim tenetur operari in medio. Ideò etiamsi Angelus possit simul occupare vnam leucam spatij v. g. non potest tamen, in omnium ferè sententiâ, solùm manere in duobus illius angulis, & non in medio; si autem esset præsens per operationem, quid quæso obligaret Angelum existentem in toto hoc cubiculo, vt in toto medio operaretur? aut cur non posset, si vellet, solùm in duobus angulis mouere duos lapides? Hæc & alia multa eo loco de Angelis attuli, ostendens, non posse Angelos esse in loco per operationem, ergo sunt per Vbi positiuum, quia negatio nullâ apparet, per quam existere possint hîc; neque aliquid aliud est excogitabile, vt benè hi qui ad hanc interiicibilitatem confugerunt, notarunt. Et aduerte, hos etiam ne- 11 gare operationem distinctam seu actionem, vnde mirabiliter vbicationem per operationem, quæ nihil est distinctum, explicant, & semper vnum per aliud declarant, cùm vtrumque nihil sit.

Secundò respondebis, Angelum esse in loco quia vult, est enim liber ad ponendum se hîc vel ibi. Sed contrà euidenter, quia ego non quæro iam, quæ sit causa efficiens vbicationis, sed quid ipsa vbicatio sit; ideò quæro, quod sit obiectum illius voluntatis quâ dicit, *volo esse hîc.* illud autem non est ipsamet volitio, aut libertas voluntatis, ergo per hanc solutionem nihil planè explicatur.

Hinc etiam alios reiicies, qui diffidentes omnibus his negationibus & terminis distantiæ, indistantiæ, &c. recurrerunt ad diuersos Dei actus, ex quibus dixerunt prouenire, me esse hîc potiùs quàm illic. Reiicies, inquam, quia illa voluntas Dei habet pro obiecto me esse hîc, ergo me esse hîc, non est ipsa voluntas Dei, sed quid ab ipsâ voluntate & volitum & etiam causatum. Fusiorem similis solutionis impugnationem inuenies infrà, dum de Duratione agetur, Disput. xv. à num. 15.

Tertiò principaliter primam solutionem im- 12 pugno: nam pro priori naturæ, antequam ego sim hîc & Petrus iuxta me, concipiuntur & sunt in rerum naturâ Petrus, ego, & spatium. Quæro iam, pro posteriori naturæ, quid positiuum de-

struatur

fruatur in me & in Petro, ratione cuius in vtroque possit vera negatio resultare. Planè nihil est excogitabile, quia omnia & sola positiua, quæ sunt pro posteriori, fuêre in priori, & à nullo positiuo præsupponebatur in priori naturæ quod iam negetur; ergo repugnat, in me & in Petro tunc resultare vllam veram negationem.

Dices: Resultat negatio, me esse hîc. Sed contra, quia de hoc quæro, & probo argumento facto, nihil esse: nam per hoc quod sim hîc, in tuâ sententiâ nihil positiuum ampliùs habeo quàm si non essem; neque, si essem alibi, & non hîc, carerem aliquo positiuo. Et idem est in Petro respectu suæ vbicationis. Ergo non potest in posteriori esse aliqua negatio, quæ non fuerit in priori naturæ: non enim hîc se res habet sicut in omissione purâ liberâ, vbi in posteriori naturæ habeo carentiam, quam in priori non habui, quia actum positiuum quem potui habere, neglexi. At si nihil positiuum neglexissem, non potuissem in secundo priori naturæ habere negationem, quam non habuissem in priori.

13 Quartò sic argumentor ex doctrinâ, quam in hac materiâ sæpè tradidi, & fieri posse ostendi contra P. Moncæum, scilicet, potuisse alium mundum huic contiguum produci, vnde intuli, Deum tunc potuisse vtrique locum mutare, hunc ponendo in loco alterius, & illum loco huius; quod lumine naturæ videtur manifestum, nec puto ab his negandum. Iam ergo hinc euidenter argumentor contra prædictam solutionem: Eadem planè negatio interiicibilitatis corporum esset, & omnia corpora hæc inter se eodem planè modo contigua & vicina, si hic mundus transferretur aliò ad locum alterius mundi (de quo paulò antè) & ille huc; & tamen tunc non haberet hanc denominationem realem, quam iam habet, existendi in hoc loco imaginario correspondenti huic mundo: & de toto ipso mundo facio idem argumentum, Illa fuisset mutatio realis duorum mundorum, & non fuisset noua negatio corporis interiicibilis, vt per se patet; ergo debuit fieri per positiuum aliquid in eis productum de nouo.

14 Nec video quid hîc possit responderi, nisi negando illam mutationem, quæ tamen euidentissimè ostenditur possibilis. Confirmatur, quia sicut vnum corpus habet denominationem realem existendi hic, ita totus orbis est in loco, & potuit alibi esse, ergo habet vbicationem distinctam; hæc autem non est negatio interiicibilitatis, ergo debet esse aliquid positiuum.

SVBSECTIO TERTIA.

Aliis argumentis impugnatur ea solutio.

QVINTÒ ratione à priori eam solutionem impugno: quia ea negatio interiicibilitatis si debet esse negatio realis, debet negare terminum realem: atqui nullum planè negare potest, ergo non potest esse talis negatio, nisi dicas, esse negationem realem negationis, quod est ridicu-

15 lum. Minor ergo, in quâ est difficultas, sic clarè ostenditur: quia interiicibilitas alterius corporis, quæ negatur, est existentia alterius corporis hîc; illa autem interiicibilitas dicit tria, duo positiua, scilicet substantiâ corporis, & loci realis; & negatione alterius interiecti: atqui ea duo positiua non negantur de nouo in rerum naturâ, manent enim secundùm totum positiuum eodem modo in rerum naturâ, quo anteà; ergo solùm potest negari illud tertium, quod acquirit de nouo corpus: atqui illud est sola negatio, ergo sola negatio negatur. Confirmo & explico euidenter: quando ego 16
ponor in loco Petri, nihil reale positiuum existit de nouo in rerum naturâ, sed sola negatio Petri hîc; ergo in me sola negatio fuit acquisita. Expellat iam me Petrus è loco, & ponat se in illo, solùm aufert à me illam negationem quam paulò antè ego habebam, ergo Petrus solùm acquisiuit negationem meæ negationis, ergo solùm fuit positus in loco de nouo per negationem negationis. Confirmatur: Petrus me expellens è loco, acquisiuit quod ego antè acquisiueram, seu quod in me nouum erat; atqui sola erat de nouo negatio, ergo hæc sola per positionem Petri fuit destructa, ergo positio Petri in hoc loco solùm fuit negatio mei in illo, ergo negatio negationis.

Respondebis, hoc argumentum probare euidenter intentum, si positio mei in hoc loco sit sola negatio, at cùm illa positio dicat tria, illa omnia negantur per hoc quòd Petrus sit in hoc loco. In hac solutione duo confunduntur, quæ oportet valdè distinguere, non solùm in hac, sed in omnibus ferè materiis: aliud enim est, perire totum in ratione totius, & negari totum in ratione totius; aliud verò, negari omnes partes quæ illud componebant, homo v. g. est materia & anima cum dispositionibus (loquor in sententiâ horum contra quos ago, in meâ enim est materia & anima vniæ inter se) ita vt homo non sola sit anima, nec sola materia, nec solæ dispositiones, sed aggregatum quoddam ex illis tribus; sicut per te, præsentia mea in hoc loco, est mea substantia, substantia loci, & ea negatio. Iam ergo sic argumentor: Quando ego dico, Petrus iam non est, 17
vel non existit, vel periit, vel datur negatio illius, non nego dari materiam primam illius, nec nego dari animam, sed nego dispositiones, quæ solæ in re perierunt, & ex quarum præcisè defectu periit denominatio hominis, eò quòd denominatio tria dicebat; vno autem solo absente, denominatio perit. Idem est in omnibus denominationibus absolutis & connotatiuis, quæ ex duabus rebus componuntur: vnâ enim tantùm ex illis pereunte, aliis verò manentibus, & consequenter non negatis, periit denominatio. In quo malè hi putant, diuersum quid esse de hac denominatione, quàm de denominatione albi, sapientis, calidi, &c. hæ enim denominationes etiam dicunt subiectum vt partem, sola enim albedo non est album, ergo sicut negare me esse album, non est negare me, sed solam habitionem, vt sic dicam, albedinis, ita in præsenti. Sic etiam denominatio patris perit solo pereunte filio, nec licet detur negatio denominationis patris, quæ omnia dicebat, propterea eo ipso datur negatio aliarum partium, sed vnius tantùm quæ periit. Vnde in 18
productionibus & destructionibus semper solet distingui ab omnibus bonis Philosophis, terminus formalis productus vel destructus, & terminus denominatiuus seu totalis: vt in Eucharistiâ aggregatum ex Christo & speciebus consecratis, est terminus totalis seu denominatiuus, formalis verò solus Christus, qui in re producitur, species verò non sunt formalis terminus, quia in re non producuntur. Ego autem in præsenti non sum

sollicitus de termino totali, seu denominatiuo negato, sed de formali, quem contendo esse puram negationem. Quo posito, sic euidenter argumentor. Et quidem fateor, admittoque libenter, denominationem *me esse hîc*, dicere tria; item, quando ego desino hîc, perire hanc denominationem *mei hîc*: sed cùm tunc duo positiua non pereant, sed solùm illud tertium, scilicet ea negatio, & denominatiuè ab eâ dicatur perire denominatio *mei hîc*, euidenter fit, terminum formalem negatum, quando Petrus habet negationem mei vt existentis in loco ipsius, solùm esse negationem illius vltimi & tertij, quod spatio Petri & mihi deerat vt
19 essem ibi. At solùm deerat mihi negatio vt essem ibi, ergo solùm Petrus est ibi, quia negat id quod mihi deest vt sim, ergo quia negat meam negationem, ergo existit per negationem negationis. Ex hac tam clarâ doctrinâ argumentum breue in formâ, sed his terminis conficio: In Petro existente hîc de nouo, solùm est de nouo negatio eius, quod me expulso in me verè periit: atqui in me solùm periit negatio, quia illa sola destructa est, cetera manserunt; ergo Petrus solùm acquisiuit negationem meæ negationis, ergo solùm est in loco per negationem negationis, quod contendo.

20 Confirmo hoc argumentum principio quodam euidenti. Repugnat, dari de nouo in rerum naturâ nouam negationem, nisi de nouo sit destructus terminus aliquis positiuus: atqui per vbicationem mei hîc, nullus terminus positiuus est destructus in rerum naturâ, ergo non fuit de nouo in rerum naturâ noua negatio. Consequentia est euidens. Minor ab aduersariis docetur: sicut enim, quia ego ponar hîc, nihil positiuum producitur, ita & quia desinam esse hîc, nihil positiuum in me periit, nec in Petro de nouo datur. Maiorem autem clariùs adhuc probo, quia vel illud positiuum, quod iam de nouo negatur, erat anteà in rerum naturâ, vel non; nec datur me-
21 dium. Si erat, & iam est negatio illius, ergo iam de nouo aliquid positiuum cessat; si verò anteà non fuit, ergo anteà etiam fuit negatio illius, ergo non est iam de nouo ea negatio, ergo repugnat in terminis, esse de nouo negationem aliquam in rerum naturâ, nisi de nouo sit destructum aliquid positiuum: nihil autem positiuum destruitur per hoc quòd ego sim hîc, aut expellar hinc, ergo neque quia de nouo sim hîc, vel expellar hinc, habeo de nouo negationem aliquam rei positiuæ. Hæc est euidentissima probatio huius intenti.

Confirmatur Secundò, quando aliquod totum dicit duas partes positiuas, & tertium aliquid negatiuum, si manentibus in rerum naturâ duabus positiuis, sola negatio pereat, tunc non potest de nouo intelligi, nisi negatio sola illius negationis, quæ sola in eo toto periit. Et hæc propositio est ex terminis nota. Atqui tu ipse doces, in hoc toto, seu in hac denominatione *mei existentis hic*, duo positiua dici, scilicet meam & spatij entitatem, & vnum negatiuum; & quando ego cesso esse hîc, solùm cessare in rerum naturâ illud nega-
22 tiuum; ergo solùm est de nouo in rerum naturâ cessatio seu negatio illius negatiui vel negationis; ergo per hoc quòd Petrus iam de nouo dicat negationem mei existentis ibi, quam anteà non dicebat, solùm dicit negationem illius negationis quæ in me periit, ergo solùm includit negationem negationis, prout intendo.

Sextò impugno eam doctrinam, quia in eâ explicatur vbicatio per circulum valdè vitiosum, & ex quo nihil planè intellectus percipit. Dicitur enim, *me esse hîc*, est nullum alium esse hîc; & rursus, *alium esse hîc*, est, me non esse hîc. perinde ac si quis diceret, Quid est hominem esse calidum? & responderetur, Non esse frigidum. & rursus, Quid est, esse frigidum? & responderetur, Non esse calidum. vbi intellectus, quia nullibi figit pedem, tam nihil planè post vtramque declarationem noscit, quàm anteà.

Dices: Non est mirum, id ita explicari, quia 23
non est possibile aliter declarare. Sed hoc est benè lepidum! ego id clarissimè explico per vbi positiuum, ergo iam est possibile. Fateor, in tuâ sententiâ non potest aliter declarari, ac propterea meum argumentum habet vim contra illam, quia te reducit ad explicationem, quæ in omnium sententiâ & in omnibus materiis est vitiosa.

Ne autem aliquibus exemplis non benè adductis vim tam clari argumenti retundi permittas, Aduerte, aliquando à nobis multa explicari per negationem. Sic irrationalitas bruti explicatur per negationem: sic impenetrabilitas per negationem; sic mors, sic tenebræ, sic infinita alia: in his tamen semper ponimus vnum aliud extremum positiuum, per cuius negationem aliud declaratur, quodque non declaratur rursus per negationem prioris totius. Rationale v.g. declara- 24
tur per principium discursus: ecce ibi figitur pes, non fit mentio vlla bruti. cognitâ autem rationalitate, benè dicimus, quia positiuam rationem communem solis brutis, non agnoscimus, *brutum est animal ratione carens*. Idem est in aliis exemplis adductis. At, si quis diceret, *brutum est animal quod non est rationale*, & *rationale est animal quod non est brutum*, in re vera diceret, & daret etiam vnam explicationem continentem positiuum, scilicet *animal*, & negatiuum, scilicet *non est rationale*, sicut hi dant in præsenti materiâ de Vbi, (est enim hoc clarissimum & simillimum exemplum:) at quis non videt, quàm malè tunc ea definitio traderetur, &, excepto conceptu animalis, qui in vtroque est positiuus, quàm parum de differentiâ & de negatione illâ percipitur. Certè vel solo hoc exemplo res tota euidenter declaratur.

Septimò argumentor: Quia *me esse hîc*, est 25
causa expellens formaliter hinc alia corpora, sicut frigus expellit calorem, ergo prius naturâ est me esse hîc, quàm alia corpora expelli hinc; ergo ego non sum hîc neque inadæquatè per expulsionem aliorum corporum, sed per aliquid positiuum, & antecedens expulsionem; sicut calor, quia est causa expellens frigus, ideò non consistit in carentiâ frigoris, sed in aliquo positiuo, petente ne ibi sit frigus. Idem est in odio & amore, & in omnibus formis contrariis.

Fortè respondebis: me esse hîc, non esse causam ne alius sit hîc, sed esse formalissimè ipsum non esse alterius hîc, sicut lux est ipsum non esse tenebrarum, & tenebræ ipsum non esse lucis. Sed 26
hæc solutio manifestè reiicitur, quia duo Vbi duorum corporum in eodem loco, non opponuntur contradictoriè vt lux & tenebræ, sed contrariè; quod vel inde euidenter constat, quia lux & tenebræ

tenebræ nec diuinitus simul esse possunt; duo autem vbi duorum corporum in eodem loco possunt esse simul diuinitus: & omnibus corporibus, quæ sunt in hoc cubiculo, planè immutatis, potuit Deus hîc intus nouum aliquid ponere, ex cuius positione nulla negatio noua formaliter nec consecutiuè orta esset, sed cetera omnia sicut anteà mansissent: ergo vna vbicatio solùm contrariè alteri opponitur, non contradictoriè
27 formaliter. Atqui inter contraria, ingressus vnius est quid distinctum ab expulsione alterius, petens tamen naturaliter eam expulsionem; ergo me esse hîc, est aliquid prius naturâ, quàm aliud expelli, vt in exemplo frigoris & caloris; ergo non constituor hîc neque inadæquatè per eam expulsionem, sed per aliquid illam antecedens.

28 Octauò impugnatur ea doctrina, quia in eâ non potest intelligi, quomodo aliqua causa efficiens possit me hîc ponere: non enim tunc producit me, nec locum; negatio autem tertia quæ superadditur, non producitur in se, quia est nihil, nec resultat necessariò ex duobus illis positiuis. Secundus autem modus, quo negatio produci potest, locum hîc non habet, scilicet, cessando à conseruatione alicuius positiui: nam, qui me posuit hîc, in me, vt patet, nihil positiuum destruxit, neque etiam in Petro hinc ejecto, quia ab illo solùm abstulit negationem, positiua omnia in rerum naturâ reliquit. quomodo ergo causa efficiens potuit in me producere negationem, nihil positiuum in rerum naturâ destruendo? Certè quilibet rem hanc euidenter agnoscet esse imperceptibilem, quia non est alius modus producendi suo modo negationem, ab his enumeratis.

29 Hæc omnia argumenta, etiam seorsim accepta, manifestè ostendunt intentum; simul autem sumpta, negari nullo modo potest quin ostendant, difficillimum valdè & planè imperceptibile esse, sine positiuâ entitate per eam negationem interiicibilitatis vbicationem explicare. Sed demus, esset vtrumque possibile id declarare, quis negabit, in nostrâ sententiâ multò clariùs & sine difficultate aut molestiâ totam rem intelligi? Insuper, vnicum tantùm esse contra nos leuissimum argumentum, non multiplicandi entitates sine necessitate. Cur ergo propter hoc vnicum (congruentiam potiùs dixerim, quàm argumentū) debet homo se coniicere in eas angustias negationis negationum, & in omnes alias difficultates, in quibus, etiamsi fortè respondeat quis, non tamen plausibiliter aut intelligibiliter. Ego
30 certè hoc semper habui ingenium, vt res Philosophicas & Theologicas quâ maiori possim claritate & facilitate defenderem, quando ratio aliqua euidens non me cogit intrare obscuram aliquam viam: & malo in aliquâ re philosophicâ discurrendo clarè & consequenter, inuincibiliter errare, quàm casu tangere veritatem, ita ta-
31 men vt nec intelligar, nec satis faciam aliis. Vnde fortè licet hę & similes difficultates sine modis in re ipsâ saluentur aliquâ viâ nobis incognitâ, quãdo tamen eam viam non clarè video, nec percipio, malo in re errare eos ponendo, quàm semper per præcipitia in omnibus argumentis discurrendo rem casu, vt paulò antè dixi, tangere, non tam motus veritate ipsâ, quàm congruentiâ illâ, *non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate*; quasi angustiæ, ad quas hi rediguntur, non sint satis magna necessitas. Quæ clariùs etiam constant ex præcedentibus & sequentibus materiis, de Actione, Duratione, Subsistentiâ, Vnione, &c.

SVBSECTIO QVARTA.

Absurda quædam responsio reiicitur.

DIFFIDENTES meritò prædictis responsionibus nonnulli alij, quibus altè insedit omnes negare modos, vt responderent argumento à nobis num. 4. facto, dixerunt spatium imaginarium nihil aliud esse quàm infinitas Dei virtualitates, quibus correspondet infinitis corporibus possibilibus. Vnde concludunt, me esse hîc, nihil esse aliud, quàm me produci ab eâ virtualitate Dei, quæ correspondet hîc; & Petrum esse Romæ, nihil esse aliud, quàm eum produci ab eâ virtualitate Dei, quæ correspondet Romæ. Sæpè dixi, valdè esse miranda eorum ingenia, qui nihil clarè volunt intelligere, sed rem in se facilem per difficillimas tantùm intelligunt. Nihil ita hu- 33
mano intellectui difficile, quàm concipere in vnâ eademque indiuisibili entitate reali duas virtualitates, ratione quarum ei entitati conueniant prædicata contradictoria. Ex quo capite mysterium SS. Trinitatis omnem humanum captum excedit, quomodo scilicet eidem indiuisibili entitati, Filij v.g. conueniat produci secundùm personalitatem, non verò produci secundùm essentiam; hæc enim prædicata contradictoria videntur esse propria rerum realiter distinctarum, vt sæpè dixi. Iam autem hi Auctores totam hanc 34
difficultatem transferunt sine necessitate ad immensitatem Dei, & in vnâ eademque indiuisibili entitate dant vnam virtualitatem quæ sit Romæ & non Pragæ, aliam quæ sit Pragæ & non Romæ, & hoc à parte rei: verè enim & realiter illa virtualitas non est hîc vbi est alia, id est non respondet nobis iam ea virtualitas quæ respondet Romanis, quo nihil absurdius dici potest. Imò non solùm in Deo, sed etiam in Angelo, in animâ rationali, & omnibus illis rebus quæ cùm in se sint indiuisibiles, possunt tamen occupare locum diuisibilem: debet enim in animâ esse vna virtualitas quâ sit in pede, alia quâ in capite, & quidem vna separabilis ab alterâ; nam, abscisso pede, perit ea virtualitas & altera manet. Vnde, vt 35
sæpè dixi, hi Auctores dant nobis euidentissimum argumentum, vt dicamus, omnes res creatas esse inter se vnam rem indiuisibilem, & solùm diuersas virtualitates, iposque Auctores, & lapides, aut arbores, vel truncos, esse idem realiter, diuersas tamen formalitates, quarum vna sit Pragæ, altera in Poloniâ, altera Romæ; vna discurrat, altera non, &c. quæ quis non videat esse Philosopho indigna?

Secundò argumentor adhuc fortiùs, Easdem 36
virtualitates, quas in immensitate ponunt ni Auctores, ponunt etiam in æternitate Dei, & diuersam eam quæ fuit heri ab eâ quæ est hodie. Vnde argumentor euidenter: Vel illa virtualitas (quæ, vt sic, est quid reale, licet non realiter distinctum à Deo) manet realiter hodie, vel non. Si non manet, ergo realiter Deus amisit hodie aliquid reale quod heri habebat, quod est hæreticum; sequitur enim, Deum intrinsecè mutari, acqui-

rere & amittere aliquid intrinsecum idemtificatum cum ipso. Nec euades, si dicas, etiamsi illa virtualitas nõ maneat, nihil reale propterea amitti, quia illa virtualitas non est realiter distincta; hoc, inquam, non satisfacit, quia aliud est, eam esse quid reale, aliud, esse quid realiter distinctum. Primum est verum, etiamsi secundum falsum sit: sicut aliud est, quærere an intellectio diuina seu Paternitas sit aliquid reale, aliud verò quærere an sit quid realiter à Deo distinctum. Sicut ergo, si amitteret Deus hodie intellectionẽ aut Paternitatem, amitteret aliquid reale; ita si amitteret eam virtualitatem, amitteret aliquid reale, & singulis momentis & instantibus haberet eam mutationem. Nec secundò euades, si ad actus liberos Dei confugias, dicasque, eos esse virtualitatem quamdam quæ à Deo potuit abesse, & eodem modo te discurrere de virtualitatibus durationis seu æternitatis Dei: hoc, inquam, non te iuuabit, Primò, quia etiam in actibus liberis hoc non potest sustineri, vt fusè ostendi
37 Disputatione de Voluntate Dei. Vnde nonnulli qui id ibi docuerunt, postea coacti sunt retractare sententiam: nam separabilitas realis est signum euidens distinctionis realis. Secundò iam in hoc ipso iterùm recurris ad aliud mysterium nobis planè inintelligibile. Tertiò, quia si Deus eos actus liberos in eis virtualitatibus consistentes singulis momentis mutaret, dicerent tibi omnes, & tu ipse fatereris, Deum intrinsecè mutatum iri; ergo idem erit de tuis virtualitatibus.

Quòd si propterea dicas, eam virtualitatem, quæ in Deo heri fuit, hodie etiam manere, & hîc etiam esse eamdem virtualitatem Dei quæ est Romæ, iam destruis totum tuum fundamentum ad negandum vbi: non enim tunc magis coëxistam ego hodie virtualitati diuinæ hodiernæ quàm hesternæ, & consequenter non magis iam duro hodie, quàm non duro iam heri, & idem iuo modo de vbicatione hîc & Romæ dicendum est.

Aduerte ergo, licet Deus per suammet essentiam æquiualeat infinitis durationibus & vbicationibus, non propterea ex parte ipsius Dei æquialentias illas esse aliquid virtualiter distinctum, & habens capacitatem prædicatorum contradictoriorum. Sicut homo est animal & rationale, æquiualens diuersis operationibus, nihil tamen potest ex parte ipsius hominis nec virtualiter assignari æquialens vni operationi, quod non æquiualeat alteri, sed idem in se indiuisibile & incapax omnino prædicatorum contradictoriorum, respiciens indiuisibiliter plura. Ita dico, licet
38 spatium Romanum non sit hîc, hîc tamen est in Deo non solùm realitas, sed virtualitas omnis intrinseca, quæ respicit spatium Romanum, Hispanum, &c. quod ipsum in animâ rationali, in Angelo, & in rebus virtualiter extensis dicendum est independenter à prędicatis contradictoriis respectu eiusdem rei. Et hoc solum voluit P. Lessius, citatus malè pro se ab his Auctoribus, lib. 2. de Perfectionibus diuinis cap. 2. vbi Deum docet esse in spatiis imaginariis, de quo etiam nobis infrà redibit sermo.

Ratio à priori huius est, quia aliud est æquialere terminis distinctis, aliud verò esse capacem prædicatorum contradictoriorum. Primum solùm admitto in immensitate Dei; secundum verò nego contra hos Auctores. Vnde, vt paulò antè dixi, nihil ex parte Dei neque virtuale existit hodie, quod non extiterit heri, aut hîc quod non existat Romæ. Hæc sufficerent pro relegandâ solutione horum Auctorum, adhuc tamen, quia in multis materiis eâ abutuntur, oportet ampliùs eam examinare.

Secundò hos Auctores inde clarè reiicio, po- 39
nunt enim eas virtualitates planè imperceptibiles, & non assignant terminum vllum in ordine ad quem eas explicent, nec vllo prorsus modo eas possunt explicare. Cùm enim ex parte nostrâ seu creaturarum nihil ponant in quo consistat esse potiùs hîc quàm ibi, nec aliquid alligatum Romæ potiùs quàm Pragæ, quid quæso habet illa virtualitas Dei quæ est Romæ, quod non habeat quæ est Pragæ? Æquialentiam in ordine ad diuersam substantiam non potest; nam substantia quæ est Romæ, potest esse hîc, & è contrario; æquialentiam alicui modo qui sit affixus spatio, non potest, quia talem modum tu negas; æquialentiam spatio imaginario multò minùs, quia tu spatium hoc nihil aliud dicis, quàm ipsas virtualitates. Iam autem ego quæro, qui sint termini harum virtualitatum vel æquialentiarum. Nec tandem potest aliquid intrinsecum ex parte Dei poni cui æquialeat, quia nihil est: & tam impossibile est ibi concipere eas distinctas æquialentias, quàm si solùm Pragæ Deus esse posset: & in ordine ad hoc ego vellem fingere eas infinitas virtualitates. In meis principiis constituentibus vbicationes distinctas essentialiter affixas, rectè id explicari potest per æquialentiam his distinctis vbicationibus. At si nihil distinctum ponitur, quomodo dantur distinctæ æquialentiæ? Certè ex ipsis terminis id videtur imperceptibile.

Dices: Sunt distinctæ per se ipsas. Contrà 40
Primò, Vnde tu eam distinctionem percipis, quandoquidem eas in se non vides, nisi dicas, te ponere quod non intelligis, quod facilè credere. Secundò, ergo eodem modo in ordine ad idem spatium indiuisibile dicam ego, esse infinitas æquialentias per se ipsas virtualiter distinctas. quomodo hîc assignabis disparitatem?

Tertiò sic argumentor: Quia in ipsis virtualitatibus habet locum argumentum meum è nu. 4. nam de facto existit in rerum naturâ ea virtualitas Dei, & ego, & tamen ego non sum Romæ; ergo me esse Romæ, aliquid est distinctum ab his duobus.

Respondebis, hoc addere, me pendere ab eâ virtualitate. Sed contrà, quia de hoc ipso est quæstio. Quid est me pendere ab eâ virtualitate & non ab aliâ? Cumque tu etiam actionem distinctam neges, non potes vllo modo id explicare. Vide quæ dixi agens de Actione. Secundò rogo, Vel addit mihi aliquid illa virtualitas Dei, vel non. Si addit, illud erit modus distinctus, de quo nos iam disputamus. Si non addit, sed præcisè, me intacto, causæ mei conseruatiuæ in se mutantur, quomodo, quæso, ego per hoc iam curro, iam sedeo, iam sto, iam iaceo? Ponamus v. g. eumdem ignem iam à Deo solo, iam à solo altero igne, vel iam ab igne A, iam ab igne B produci, numquid propterea, si causæ illæ nihil igni appingant, curret aut saltabit ignis, aut iacebit? Certè si causarum varietas non dat effectui aliquid

aliquid diuersum, planè est imperceptibile, effectum mutare locum per hoc quòd causæ varientur.

41 Quartò: Quia cùm isti Auctores benè agnoscant, visu percipi distantiam, & percipi rem esse à sinistris & non à dextris, quod fusiùs probabo Disputatione IV. de Animâ, à num. 63 rogo ergo, Quomodo ego visu percipio eam virtualitatem Dei quâ hîc constituor, si illa nihil in me ponit, ratione cuius ego constituor hîc magis quàm ibi? Aut numquid canis leporem insequens, & iam eum hîc iam ibi videns, percipit à nouâ Dei virtualitate leporem prodire, & tot Dei virtualitates immediatè intuetur, quot præsentias locales lepus mutauit? Certè hinc huius responsionis absurditas clarissimè apparet. Non ergo potest negari, aliquid esse ex parte ipsius albedinis distinctum à virtualitate diuinâ, per quòd albedo hîc constituitur, & quod percipio, quando video illam à dextris, & quòd nosco mutari, quando illa ponitur à sinistris, vel ante me. Idem est de lepore se mouente, & ceteris aliis obiectis.

Quintò & vltimò: Quia eodem modo posset quis dicere, me esse album, nihil esse aliud, quàm me produci ab vnâ virtualitate distinctâ Dei, & sic de aliis accidentibus: tam enim realiter homo est hîc, quàm est albus; & tam vnum noscitur visu quàm alterum; & tam vnum est separabile à subiecto, quàm aliud. Quam ergo disparitatem hîc assignabis? Et non solùm hîc, sed & in totâ Philosophiâ, quam planè quis per has virtualitates sursum deorsum inuerteret, & haud minùs improbabiliter, quàm hi in præsenti discurrunt, quos iam ampliùs impugnare non lubet, res enim ipsa per se videtur impugnata.

SVBSECTIO QVINTA.

Aliqua dubiola declarantur.

42 PRIMVM est, An etiam Auctores, qui connotata admittunt, teneantur vbicationes distinguere. Nonnemo hîc iterùm in Connotantes inuehitur, quasi minùs consequenter locutos, dum vbicationem distinctam ponunt, quandoquidem per connotatum extrinsecum posset habere subiectum intrinsecam denominationem locati hîc sine vbicatione intrinsecâ distinctâ. Sed in simili defendi hos Auctores ab inconsequentiâ Disputatione IV. de Vnione, à num. 28. quia illi tunc admittunt denominationem intrinsecam nouam sine nouâ entitate, quando saltem extrinseca datur aliqua entitas realis noua à quâ possit ea denominatio prouenire; at in præsenti nulla est à quâ possit prouenire ea denominatio, ergo non loquuntur minùs consequenter. Vnde respondeo, eos omnino etiam teneri in hac re nobiscum sentire.

Dices: Id dicunt in creatione sine nouâ entitate. Sed adhuc pro eis respondeo, eos ibi ideò id dicere, quia res creata, & carentia generationis, non possunt etiam diuinitus sine creatione esse: at in præsenti nulla est entitas à qua non possit separari denominatio locati hîc, nisi ponatur vbicatio distincta. Respondeo Secundò, hinc summùm fieri, eos in puncto de creatione loqui minùs consequenter ad sua principia vniuersalia, non verò in puncto præsenti.

Dices rursus contra illos: Potest ea denominatio prouenire ex voluntate Dei. Sed contrà, quia voluntas Dei habet pro obiecto hanc præsentiam, non ergo est denominatio ab eâ voluntate desumpta. Contrà Secundò, quia difficultas actuum liberorum Dei non debet adduci ad omnes difficultates physicas: & quidem in hoc non videntur hi consequenter argumentari, quia in Deo etiam admittunt ipsi nouas intrinsecas denominationes, sine nouâ entitate intrinsecâ, & tamen non inde inferunt vbicationem esse denominationem, neque intrinsecam neque extrinsecam ab actu nouo aut diuerso Dei, non ergo ex hoc capite Connotantes impugnandi. 43

Secundum dubium est, an vbicationis distinctio rectè probetur ex eo quòd motus localis sit vera actio realis. Ergo debet habere aliquem terminum realem, quando v. g. curritur quis, vel succeditur; sed ille terminus non potest esse nisi præsentia localis Petri, quia nec Petrus, nec spatium imaginarium & reale producitur per motum Petri, ergo præsentia Petri ad locum est aliquid reale productum distinctum à Petro & loco. Respondeo, hoc argumentum esse quidem bonum, posse tamen illi adhiberi easdem solutiones quæ primo sunt adhibitæ. Vel posse dici, ibi non esse actionem veram realem, quod debet impugnari rationibus, quibus suprà distinctionem actionis ostendi. Vnde hoc argumentum non puto esse nouum aliquid pro nostrâ sententiâ. 44

Tertiò dubitari potest in quo recipiatur vbicatio. Respondeo, eam esse aliquid intrinsecum in ipsâ re locatâ, id est in Petro v. g. existente in loco. Probatur clarè, quia ea præsentia non est in ipso spatio imaginario; quòd cùm nihil sit (vt dicemus infrà), non potest in se recipere eam præsentiam. Neque item est in loco reali, quia ad motum localem Petri non mouetur locus realis, sed Petrus; ergo ea præsentia non est in loco, sed in Petro. Deinde, omnino immutato loco reali, potest Petrus moueri, & è contrario moueri locus immutato Petro, ergo præsentia, quâ Petrus est in loco, non est in ipso loco, sed in Petro.

Tandem, an præsentia sit de intrinsecâ quiditate subiecti. Respondeo, non esse de intrinseco conceptu substantiali rei. Probatur facilè, quia idem omnino Petrus manet, siue sit hîc siue Romæ, ergo præsentia localis non est de illius conceptu substantiali, alioquin eâ mutatâ etiam Petrus substantialiter mutaretur. 45

SVBSECTIO SEXTA.

Obiectiones aliquæ solutæ.

IAM quid contra nostram sententiam obijciant aduersarij, videamus. Primò ergo dicunt, sequi ex nostrâ sententiâ, dari infinitos modos vbicationis in partibus materiæ. Sed in primis, qui negat tales infinitas partes vel puncta, facilè expedietur ab hac difficultate. Secundò rogo hos Auctores, cur stomachentur magis infinitas vbicationes quàm infinitas partes materiæ vel quantitatis. ideò videant ipsi, quo pacto sententiam Aristotelis defendant, & eo modo non timeant etiam infinitas vbicationis partes concedere.

Secundò obiiciunt: Casu quo corpus ad punctum reduceretur, non posset moueri, si deberet fieri per vbicationem distinctam. Probant sequelam, quia vbicatio materialis non potest esse
46 inextensa. Mirabile est aliquorum ingenium: ponunt ibi rem materialem inextensam, & posteà ex materialitate probant, non posse vbicationem inextensam produci. Quid enim, quæso, haberet magis vbicatio materialis inextensa, quàm corpus ipsum inextensum? Quòd si propterea dicas, te solùm inferre pro absurdo, non posse tunc illud corpus naturaliter moueri, quia vbicatio materialis naturaliter debet esse extensa; si in hoc, inquam, sensu loquaris, transeat sequela; quid inde? censeo, absolutè consequens esse verum, quia res materialis penetrata naturaliter non potest mutare penetrationem. Si tandem loquatur de vbicatione indiuisibili, quam dicat non posse ibi produci, eò quòd res materialis debeat esse composita, negabo facilè id repugnare, ideò poterit ab indiuisibili incipere se extendere. mihi enim non poterit facilè quis persuadere, quòd si punctum stupæ in fornace accensâ diuinitus poneretur, non posset dari tunc actio noua indiuisibilis ibi producens formam ignis aut caloris, sed quòd illud punctum posset resistere tanto igni, & de illo triumphare.

47 Sed obiiciunt Tertiò: Vbicatio non potest subiectari in re vbicatâ, quia pro illo priori ante vbicationem debet intelligi subiectum existens, imò & approximatum, approximatio enim prærequiritur ad causandum; ergo pro illo priori iam supponitur subiectum vbicatum: hoc autem est impossibile, si sit causa illius, quia effectus non est in priori causæ, ergo nec vbicatio est in re vbicatâ, imò nec distinguitur, cùm ante vbicationem distinctam iam sit subiectum vbicatum. Respondeo, approximationem requiri non inter causam & effectum formaliter, quia, cùm pro priori naturæ adhuc non sit effectus, non potest tunc esse approximatio cum illo, hæc enim est inter res existentes; solùm ergo potest requiri approximatio inter causam & passum, in quo producitur effectus. Hanc autem approximationem iam habet subiectum respectu sui ante omnem vbicationem; quia cùm ipsum subiectum sit passum illius vbicationis, iam est approximatum passo, vel, vt melius dicam, est indistans à passo, quia nihil potest à se ipso distare; ergo ad producendum in se vbi, non prærequirit aliud Vbi quo
48 approximetur. Quomodo autem requiratur vt operetur in passum, vide quæ dixi suprà Disputat. VII. à num. 73. vbi fusè de hac re disputaui. Iam addo, hoc argumentum eamdem vim habere contra aduersarios, quia siue ponant modum distinctum, siue non certum est dari approximationem, distantiam, &c. hancque acquiri à nobis dum mouemur, vel ab aliis in nobis produci. Rogo ergo pro priori naturæ, antequam approximemur, sumusne approximati? Certè id non dicent. Iam ergo videant, quomodo approximatio sit conditio ad operandum, vel quomodo sit necessaria approximatio noua. Respondendum ergo est, pro priori ante vbicationē solùm intelligi causas vbicationis, inter quas non est ipsa vbicatio, quod verum est in priori naturæ ad omnem effectum; sicut ante albedinem non intelligitur subiectū albū, nec cognoscens ante cognitionem.

SVBSECTIO SEPTIMA.

An ea præsentia sit res, an modus.

HANC quæstionem nullus mouit, sed omnes 49
videntur supponere, eam esse modum: &, liceat mihi id suspicari, id prouenit ex eo, quòd explicetur per vocem verbalem *vbicatio*, quæ actualem modificationem videtur significare. Aduerto, hîc eamdem, quoad hoc, esse difficultatem de duratione, suppositâ eius distinctione, quam infrà ostendam; est tamen hæc res non tam clara quàm alij putent, vt ex dicendis constabit.

Dico ergo, probabilius esse, præsentiam localem non esse modum, sed accidens perfectum. Hæc est contra communem. Verùm facilè suadetur, quia non est maior ratio cur albedo, nigredo, actus videndi & amandi, sint accidentia realia, & non modi, quàm cur non etiam vbicatio sit accidens reale; ergo idem erit de vtrisque dicendum. Consequentia est euidens. Antecedens probatur solutione argumentorum, quæ communiter afferri solent in contrarium.

Primum sit: Quia sicut implicat, intelligi 50
actionem, quin actu per illam producatur effectus, ita etiam implicat intelligere sessionem, quin actu reddat hominem sedentem; ergo sicut actio est modus, ita & sessio. Confirmatur, quia si vbicatio, siue duratio (de quâ quoad punctum præsens, vt dixi, est eadem difficultas) esset res, ergo indigeret aliâ vbicatione & duratione, quâ responderet diuersis spatiis vel temporibus, & sic in infinitum. Patet sequela, quia si duratio & vbicatio esset res, de se esset indifferens ad plura tempora vel loca. Hoc est argumentum Hurtadi in primâ editione Disputatione de Duratione 17. & recentiorum communiter, quo tamen posteà non sunt vsi; viderunt enim, rationem modi vel rei non desumi ex ordine ad alia extrinseca quæ sunt terminus illius, sed in ordine ad subiectum; nec quia vbicatio indigeat vnione vt sit in Petro, ideò indigere aliâ vbicatione vt respiciat spatium, vt in cognitione & amore manifestè constat: vt enim respiciant obiectum, non indigent aliquo superaddito, egent tamen vnione vt afficiant subiectum.

Ad argumentum ergo, nego Antecedens, actio enim ideò est modus, quia si non esset, daretur processus in infinitum, iuxta dicta suprà, cùm de illâ ageremus. At etiamsi sessio non sit modus, non sequitur processus in infinitum, solùm enim infertur, debere vniri cum subiecto per vnionem à se distinctam, sicut albedo vnitur vnione distinctâ à Petro. Pro cuius perfectiori notitiâ aduerte, vbicationem vel posse comparari respectu spatij imaginarij, cui reddit præsens suum subiectum; & vt sic ipsa essentialiter est affixa tali spatio, id est non potest, nec de potentiâ absolutâ, existere in rerum naturâ, & non existere in hoc spatio imaginario. Quòd si ad hoc 51
requireretur alia vbicatio, vel aliud Vbi, daretur processus in infinitum. Verùm, si comparetur cum subiecto quod reddit præsens, non est essentialiter illi affixa, ideoque rectè potest esse in rerum naturâ sine hoc subiecto in particulari, aut sine vllo, saltem de potentiâ absolutâ; ideoque

vt

vt sit in hoc subiecto requirit vnionem à se distinctam, quo sistit processus infinitus, vt in cognitione paulò antè ostendi. Nec video, cur, sicut potest intelligi visio Petri, quâ videt parietem, sine ipso Petro existente, saltem de potentiâ absolutâ, etiam non posset intelligi vbicatio, quâ Petrus redditur præsens huic spatio sine ipso Pe-52 tro, saltem de potentiâ absolutâ. Vbi aduerte, in eo casu non reddendum Petrum hîc vbicatum, quia vbicatio non est illi vnita; sicut, si ponatur cognitio sine Petro, non reddit illum cognoscentem, quia ad hoc requiritur vnio Petri cum cognitione. tam ergo vbicatio, quàm cognitio aut albedo, &c. erit accidens perfectum reale. Idem confirmabitur infrà, dum ostenderimus, vbicationem in suo conceptu esse tam absolutam, ac albedinem & nigredinem. Hæc sententia valdè displicuit recentioribus: cumque hoc exemplum, à cognitione & amore desumptum, clarum pro me videretur, responderunt, se potiùs velle dicere, cognitionem esse modum, quàm admittere vbicationem esse rem. Sed gaudeo, eos vidisse exemplum esse efficax. Addunt verò, discrimen esse, quod actus vitales sunt operatiui more absolutorum, quod non habet vbicatio. Sed quæso, in sententiâ horum, quid operatur quantitas distincta? & tamen est accidens reale, ergo. Secundò addunt, actus vitales esse accidentia inter omnia præstantissima. Sed contrà, quia ex hoc non desumitur ratio accidentis, nam ex hoc capite ego dicerem imperfectiorem esse qualitatem fœtidam, quàm Angeli vbicationem; nec ratio modi vel accidentis realis debet desumi per eam perfectionem, sed aliunde ex separabilitate. Tertiò dicunt, cognitionem conuenire cum perfectione entium non viuentium in ratione entis absoluti: sed in hoc petitur principium, quia de hoc ego dubito, cur illa magis conueniat cum talibus entibus, quàm ipsa vbicatio. Deinde ratione vitalitatis id non habet, quia actio ipsamet vitalis non conuenit cum entibus non viuentibus in ratione absoluti, ergo hæc differentia non est ad rem.

Secundum argumentum contra nos sit: Quia aliqui modi habent proprias vbicationes (vt dicam infrà Sectione 5.) sed accidens non potest subiectari in modo, ergo vbicatio non est acci-54 dens, sed modus. Probò Minorem. quia sicut repugnat, accidens esse subiectum substantiæ, ita repugnat, modum esse subiectum accidentis. Respondeo facilè, negando Minorem. Sicut enim materia potest recipere formam equi, quæ multò est perfectior quàm ipsa materia, cur etiam non poterit modus in se recipere accidens reale, etiamsi hoc sit perfectius illo? Pro quo aduerte, ne terrearis voce *accidentis* & *modi*, modum esse qui non potest separari à subiecto, accidens verò quod potest. Hæc est tota eorum differentia. Quæ ergo repugnantia est in eo, quòd vna res, quæ non potest v. g. à materiâ separari, recipiat in se aliquam quæ ab ipsâ possit separari? Ego nec leuem video in hoc contradictionem. Deinde, modus non semper est imperfectior accidenti, quia potest excessus in maiori dependentiâ à subiecto aliunde compensari, vt patet in subsistentiâ, quæ etiamsi sit modus in communi sententiâ, est perfectior albedine. Ad exemplũ de substantiâ respondeo, non ideò substantiam non posse recipi in accidente, quia sit perfectior illo, vt patet in materiâ recipiente formam substantialem, quæ perfectior est quàm materia (quod miror non fuisse ab his consideratum) sed quia subiectum antecedens substantiam necessariò de-55 bet esse de primo conceptu rei, & consequenter debet esse substantia: ideoque Disputatione 11. Sectione 2. probaui, non posse materiam recipere formam substantialem mediâ potentiâ accidentali, quia ex vnâ parte fieret compositum per accidens. supponis enim, eam potentiam esse accidentalem, aliunde autem, si forma, quæ recipitur, est de primo conceptu rei, ideoque substantia, necessum est ipsam potentiam per se præcedentem substantiam illam, esse etiam substantialem. At ex eo, quòd vna res essentialiter affixa subiecto (quæ eo ipso est modus) in se recipiat aliam non ita affixam, quod vel leue sequitur inconueniens, aut quæ contradictio? Potest ergo modus in se recipere accidens reale.

Aduerte, actionem, quâ producitur ipsum Vbi, item vnionem illius cum subiecto, non egere vbicatione à se distinctâ, quia cùm essentialiter sint affixæ huic vbicationi quam vniunt & producunt, non egent aliâ vbicatione quâ loco coëxistant; sicut actio in communi (idem est de vnione) vt respiciat hunc terminum, non requirit aliquid à se ipsâ distinctum.

Videamus iam, quid specialius recentiores alij 56 contra hanc opinionem obiiciant. Primò dicunt, meo argumento nimium probari: quia posset eadem ratione dici, actionem non esse modum, sed per suammet essentiam respicere hunc numero effectum, etiamsi respiciat causam per actionem aliam à se distinctam, quo sistit totus processus in infinitum. Sed vrgeo illos: ipsi ita discurrunt in cognitione & amore, cur ergo non in actione & passione. Deinde respondeo, negando consequentiam, quia actionis non datur actio, nec vnionis vnio, nec albedo albedinis: at vnio albedinis, vnio cognitionis, vnio vbicationis, cur non dabitur? Quòd si ex vnione distinctâ vbicationis id inferunt contra me, cur non inferunt idem ex vnione albedinis, odoris, quantitatis? &c. Disparitas in his esse potest, quia illa secunda actio, quam in eo casu ponunt, per suammet essentiam respicere deberet non solùm hoc numero agens (vt ipsi dicunt) sed essentialiter etiam hunc numero effectum, aliàs posset esse actio in rerum naturâ sine effectu, quia nullum terminum per te essentialiter respicit, sed solam causam, hoc autem est absurdum ex terminis. Si verò illa prima actio non est (vt tu vis) modus causæ, ergo vt procedat ab hac causâ, debebit habere aliam secundam actionem. Hæc autem secunda actio essentialiter deberet respicere & causam hanc, & hunc effectum, aliàs daretur processus in infinitum. Si autem hæc secunda actio per se est ab hoc agente ad hunc effectum, quid erat necessum alteram priorem actionem ponere? iam enim datur vna respiciens vtrumque. Ideò ergo re-57 pugnant ibi actio actionis. At ex eo, quòd detur vnio distincta ad vbicationem, nec datur vnio vnionis, nec vbicatio vbicationis, nec aliquid superfluum, magis quàm in vnione albedinis, caloris, gratiæ, &c. idem clarè confirmo ex doctrinâ horum, aientium, formam in eo genere in quo est forma, non accipere denominationem ab

aliâ;

aliâ; ergo cùm actio sit forma in genere actionis, non potest in hoc genere id ab aliâ accipere. At vbicatio non est forma in genere vnionis, sed in genere respiciendi hoc spatium; ergo licet in hoc genere id non possit habere per aliam vbicationem distinctam, poterit tamen in genere vnionis vnionem habere distinctam, vt in exemplo amoris & cognitionis manifestè constat.

Secundò obiiciunt: Non debemus admittere in rebus nisi minimam distinctionem quam possumus, & eam solam quæ necessaria est ad explicandam difficultatem, aliàs multiplicaremus entitates sine necessitate, quod est contra commune axioma: at pro præsenti difficultate solùm requiritur distinctio modalis, ergo sola illa ponenda
58 est. Sed neque hoc argumentum vrget, tum, quia habet instantiam in aliis accidentibus v. g. albedine, nigredine, &c. quæ enim necessitas est distinguendi talia plus quàm modaliter? & tamen eâ distinguis.

Dices: Video hæc accidentia diuinitus separari in Venerabili Sacramento. Sed contrà Primò, quia hanc solutionem non possunt dare, qui ea accidentia collocant in quantitate; tunc enim illa accidentia manent in subiecto proprio, non secùs ac manet in quantitate eius vbicatio, quam tu dicis modum; ergo ex eo mysterio de solà quantitate potest probari quòd non sit modus, non verò de albedine, sapore, &c. Contrà Secundò, nam licet id verum sit in his accidentibus, quia à Fide id inferimus; cur id dices de potentiis, de habitibus, de gratiâ, & istis de quibus nullam habes rationem vel experientiam, quòd possint diuinitus conseruari sine subiecto?

Respondebis: Id infero à paritate rationis ex aliis, quæ in Eucharistiâ separantur. Benè, sit ita; sed cur non permittes & mihi, vt ego etiam à paritate rationis hoc idem dicam de vbicatione?
59 Dices fortè, Quia habitus potentiæ, gratiæ, &c. sunt accidentia, vbicatio verò non. O quàm benè respondes per conclusionem! Hæc est tota quæstio, cur gratia possit diuinitus separari à subiecto, seu cur sit accidens reale (quod idem est) non verò id habeat vbicatio. Tu respondes, quia gratia est accidens, vbicatio non.

Absolutè autem argumento respondeo, etiam esse aliud principium quod videtur illi quasi contrarium; nempe, quando duo realiter distinguuntur, posse à Deo vnum ab altero separari, si non inde sequantur duo contradictoria, quæ in præsenti nullatenus videntur sequi: ergo possunt separari mutuò, ergo est accidens, non verò modus. Neque hoc est multiplicare entitates sine necessitate: nam supposito quòd vbicatio sit accidens, vnio posteà non ponitur sine necessitate; vt verò vbicatio sit res, satis est commune argumentū, quia omnes formæ distinctæ (nisi aliunde probetur eas esse modos) per se habent quòd sint res, & id ex aliis accidentibus etiam vbicatione imperfectioribus facilè à simili probatur.

Dices Tertiò: Non repugnat vna vbicatio quæ sit modus, ergo talis est quæ de facto datur. Sed contrà, non repugnat vna cognitio quæ sit modus, vna potentia quæ sit modus, ergo talis est quæ de facto datur. Videas qualis sit consequen-
60 tia. Respondeo ergo, quia modus non potest nec diuinitus separari à subiecto, accidens verò reale potest, ideò eo ipso quòd duo distinguimus inter se, ne negemus omnipotentiæ diuinæ potentiam ad ea separanda, debemus dicere, ea non vt modum sed vt rem distingui, nisi vrgeat aliqua alia ratio; quidquid sit, an in ordine ad potentiam absolutam possit dari aliqua alia res eiusdem rationis quæ sit modus. Et hic est modus discurrendi, & ratio vniuersalis pro aliis accidentibus, quæ eodem modo habet locum in vbicatione; quandoquidem, vt euidenter ostendi, nulla est ratio magis probans eam esse modum, quàm in aliis accidentibus.

Difficiliùs posset obiici, Videri sequi ex nostrâ sententiâ processum in infinitum; nam vbicatio est res, ergo habet durationem distinctam, quia in meâ sententiâ duratio est distincta à re durante: rursus ea duratio habet vbicationem, & hæc vbicatio aliam durationem, & sic in infinitum.

Quòd si dicas, eamdem esse difficultatem etiamsi vbicatio sit modus, quia etiam tunc vbicatio debet habere durationem, & hæc aliam vbicationem, & sic in infinitum; facilè tibi huic instantiæ respondebunt, negando consequentiam, quia duratio vbicationis, eo ipso quòd sit modus, non petit vt existat in loco per aliam vbicationem, sed per eam cui essentialiter est affixa, constituitur in loco; sicut è contrario vbicatio durationis per ipsammet durationem cui affixa est, durat in hoc tempore. At si vbicatio sit res perfecta, tunc licet recipiatur in duratione, non durat per eam, quia non est illi affixa. Sed respondeo, etiam in nostrâ sententiâ, licet vbicatio non sit affixa durationi, & ex hac parte à duratione solâ non accipiat effectum formalem durantis, per vnionem tamen intermediam quæ non potest separari ab vtroque, vtramque sibi cōmunicare suum effectum, & durationem vbicationi, & vbicationem durationi. idem enim faciunt in meâ sententiâ per vnionem mediam (in quâ cessat totus processus in infinitum) quod in contrariâ sententiâ fieret sine eâ vnione, sed immediatè per ipsas entitates.

Quòd si vrgeas, Cur ergo magis duratio erit 61
subiectum vbicationis, quàm è contrario, quandoquidem æquè sibi communicant effectum suum formalem mutuò? Respondeo, præstò esse rationem, in homine v. g. esse durationem, quâ durat hodie; ista habet vbicationem distinctam: item est in homine vbicatio in hoc loco, ista vbicatio habet suam durationem distinctam, sicut in tuâ sententiâ mea vbicatio habet supra se durationem quæ est modus, & duratio habet vbicationem quæ etiam est modus. Idem dico ego, sed eas non facio modos, sed rem: ergo & duratio Petri habet suam vbicationem, & vbicatio eiusdem Petri habet suam durationem, quo cessat totus processus, & contentantur partes. Fateor, duratio vbicationis est diuersa à duratione hominis, quia hæc est accidens respiciens per se substantiam vt subiectum, illa verò per se respiciens accidens vt subiectū, quod habet ex naturâ suâ; sicut etiam in tuâ sententiâ duratio hominis est modus per se respiciens hominem tamquam subiectum, duratio verò humanæ vbicationis est modus respiciens alium modum.

Aliter posset toti argumento responderi, accidentia subiecti non habere aliam durationem ab eâ quæ est propria subiecti. idem est de vbicatione respectu durationis, vnde nec duratio habet aliam

aliam vbicationem, nec vbicatio humana aliam durationem. Sed hæc solutio nititur doctrinæ incertæ, de quâ infrà.

Hæc dicta sufficiunt, ad ostendendum, nostram Conclusionem multò esse probabiliorem, etiamsi non sit ita communis. Nam in istis rebus purè Philosophicis oportet magis considerare rationes & consequentiam discursus, quàm aliorum Philosophorum placita.

SECTIO III.

Quid sit spatium imaginarium, in ordine ad quod explicamus vbicationes.

62 VARIÆ fuêre in hac re sententiæ, quæ longè à veritate aberrarunt. Eas omnes breuiter ex dicendis reiicies, & quid sit hoc spatium intelliges. Aduerto autem, totam hanc doctrinam, quam in hac Sectione tradam, esse communem inter recentiores nostræ Societatis, accuratiùs rem hanc examinantes.

Primò ergo dicendum est, spatium imaginarium non esse aliquid reale. Probatur, quia hoc spatium fuit ab æterno, & modò intelligitur esse extra cælum empyreum: ab æterno autem nihil reale fuit productum, nec modò est extra cælum empyreum. Præterea, etiam hîc datur spatium imaginarium; hoc autem non est corpus aliquod reale, quia omnia illa corpora sunt præsentia ipsi spatio imaginario, vltra illa autem corpora nihil est hîc reale, ergo spatium imaginarium non est aliquid reale.

Secundò dicendum est, neque esse negationem ipsorum corporum, quia negatio non cohæret cum formâ quam negat, spatium autem imaginarium non destruitur per existentiam corporum in illo.

Tertiò, neque item esse ipsas vbicationes possibiles, quia vbicationes explicamus in ordine ad illud spatium, ergo illud non est vbicationes, quia nihil explicatur in ordine ad se.

63 Quartò, neque hoc spatium esse capacitatem aliquam recipiendi vbicationem, quia vel hæc capacitas est aliquid reale, quod ex dictis reiectum est; vel est aliquid negatiuum, & hoc etiam esse non potest, vt ostendimus; ergo non est capacitas aliqua, quæ verè à parte rei datur ante omnem operationem intellectus. Concludendum ergo, hoc spatium imaginarium esse purum ens rationis fictum ab intellectu, ex similitudine cum spatio reali; per species enim aëris fingit intellectus noster alium, quasi aërem fixum omnino & immobilem, etiam in ordine ad potentiam absolutam, & capacem vt in ipso existant omnes res: & sicut in ordine ad locum realem metimur distantiam vnius corporis ab alio, ita in ordine ad illud spatium metimur distantiam vbicationum & corporum realium; hoc autem spatium concipimus etiam extitisse ab æterno, & existere extra cælum empyreum, quia extra hoc possunt etiam
64 existere corpora realia. Ideò autem spatium hoc fingitur à nostro intellectu, quia cùm non cognoscamus determinatè differentiam & dissimilitudinem vbicationum inter se, non possumus habere aliquam certam regulam quâ eas distinguamus, nisi concipiendo illud spatium quasi aliquid reale & fixum, vt ibi & palmos, & vlnas, & stadia, & milliaria concipiamus, in re autem verè nihil est.

Et hinc infero, quod suprà insinuaui, vbicationes in re esse tam absolutas, ac albedinem vel nigredinem; nos autem, quia non possumus nominibus propriis illas distinguere, distinguimus in ordine ad locũ illum imaginarium, dicimusque, de essentiâ huius vbicationis esse, existere hîc, & de essentiâ illius, illic: quod in re nihil est aliud, quàm dicere, de essentiâ huius vbicationis esse fundare tantam vel tantam distantiam, sicut albedo à seipsâ habet constituere album, & non nigrum, neque dulce, sine vllo respectu ad connotata diuersa; ita hæc vbicatio ipsâ habet constituere hominem taliter præsentem, & non alio modo, quod vocamus *esse hic*. Rursus, sicut albedo non est indifferens vt sit nigredo, aut è contrario; ita vbicatio, quæ facit præsentem hominem hîc, non est indifferens vt illum faciat ibi præsentem, quod habet ex suâ essentiâ. A nobis autem explicatur, vt dixi, per relationem ad spatium imaginarium. Hanc doctrinam obserua pro his quæ Disputatione XV. de tempore imaginario dicemus. 65

Sed contrà occurrit hæc obiectio, quæ non facilè soluitur: Si vbicatio non respicit spatium, sed est quædam res absoluta, sicut albedo, cur ergo duo corpora non possunt simul esse in eodem loco? hoc enim nihil aliud est, quàm quod illa simul haberent duas vbicationes absolutas. Quid autem obest quòd Petrus habeat albedinem ad hoc vt Ioannes non possit aliam similem habere? cur ergo, quia Petrus habeat hanc vbicationem, non poterit Ioannes aliam similem habere, si nullum est tertium à quo mutuò se expellant? ibi enim nec subiecta sunt eadem, nec spatium, quia hoc nihil est, vt dixi. Cur ergo habebunt contrarietatem? Respondeo, eas duas vbicationes materiales esse tales, vt vna petat naturaliter ne alia existat, etiamsi non habeant commune subiectum, à quo se expellant, aut locum realem cui sint præsentes: id autem prouenire ex naturis illarum, sicut ex naturâ caloris prouenit vt expellat ex eo subiecto frigus, non autem lucem. Vnde inferes, posse esse duarum rerum contrarietatem seu repugnantiam sine communi subiecto.

SECTIO IV.

Vtrùm res creata possit existere sine omni vbicatione, & an Deus sit in spatiis imaginarius.

SVAREZ lib. 4. de Angelis cap. 3. fusè probat, 66
nullam rem creatam, neque ipsum Deum, posse absolui ab omni vbi. Rationem à priori reddit, quia realis præsentia intrinsecè comitatur realem entitatem; iuxta cuiuslibet propriam capacitatem: Deus enim, quia per suammet substantiam immensus est, per eamdem vbique existit, aliæ verò res per præsentias distinctas. Hæc ratio non vrget aduersarios, qui dicunt, Deum ante mundi creationem nullibi fuisse, nec iam esse extra cælum empyreum; vnde negant, præsentiam localem consequi ad essentiam Dei; & idem dicunt in aliis rebus, saltem diuinitus. Addit Suarez: Demus Angelum creari ante mundum, & hunc

hunc posteà, rogo, an ille Angelus maneat distans à mundo, an indistans. Si distans, ergo iam habet vbicationem alibi, quia non potest distare nisi alibi existat: si verò non distat, ergo est intra mundum, seu proximus mundo, & consequenter habet vbicationem, sine quâ nequit esse approximatio. Potest confirmari argumentum, quia hi sunt termini contradictorij, *distat*, *non distat*, ergo vnus ex illis necessariò etiam diuinitus debet conuenire Angelo. Consequentia est euidens. Antecedens autem videtur certum, quia non minùs sunt contradictorij, *distat*, *non distat*, quàm *legit*, *non legit*, &c. distantia autem siue indistantia semper dicit vbicationem: distantia dicit vbicationem procul, non-distantia dicit vbicationem hîc.

67 Adhuc tamen hoc argumentum non vrget; & inprimis ostendo euidenter, *distare* & *non distare*, prout in præsenti accipiuntur, non esse contradictoria, quia neutrum ex illis conuenit Chimæræ; si autem essent contradictoria, non posset Chimæra vnum subterfugere: sicut, quia *legit* & *non legit* sunt contradictoria, conuenit vnum ex illis Chimæræ, scilicet *non legit*. & idem est de omnibus aliis prædicatis contradictoriis, semper enim ex illis vnum omni rei etiam fictæ debet conuenire. Porrò Chimæram posse absolui à distantiâ & non-distantiâ, est euidens: neque enim distat à me. peto enim, Quàm procul est? neque item non distat (id est, mihi est proxima) non ergo illi termini sic accepti sunt contradictorij. Vnde fit rursus, vt neutrum ex illis in eo casu argumenti deberet necessariò conuenire Angelo respectu mundi de nouo creati, prout contendebat Pater Suarez.

Aduerte ergo, τὸ *non distat* dupliciter posse explicari, Primò, vt purè significet, *non habet vbicationem procul*; & in hoc sensu est contradictorium alterius termini *distat*, & conuenit Chimæræ, de quâ verum est quòd non habeat vbicationem procul. in hoc ergo sensu concedendum est P. Suarezio, Angelum non distare à mundo, id est non habere vbicationem dissitam, inde tamen non infertur, ergo habet illam propè, quia est medium, scilicet nullam habet, vt patet in Chimærâ. 68 Secundus sensus τὸ *non distat* est, *habet vbicationem propè*; & in hoc communiter accipitur. In quo dicendum, non esse contradictorium verbi *distat*, quia vterque terminus dicit aliquid positiuum: *distat* dicit habere vbicationem procul, *non distat* habere propè, qui non sunt termini contradictorij; de quorum ratione est, vt alterum non sit affirmatiuum, sed negatiuum purè.

P. Vasquez, quem secutus est P. Moncæus Disputatione 1. cap. 2. & 8. docet, Deum non esse in spatiis imaginariis, & creaturam aliquam posse creari & nullibi existere. Quoad primam partem de Deo, mouetur P. Moncæus, quia spatia imaginaria nihil prorsus sunt (hoc ipsum suppono ex Sectione 4. vbi id fusè probaui) ergo Deus non potest esse in illis, quia Deus non est in nihilo. Quoad secundam partem de Angelis 69 mouetur Primò hoc eodem argumento de Deo, quia si Angelus crearetur nullo corpore existente, cùm tunc sola essent spatia imaginaria (quæ, vt supponimus, nihil sunt) non posset Angelus esse in illis, ergo nō haberet vllum Vbi. Secundò mouetur: omne id quod est posterius altero, est separabile à primo, quando hoc non habet essentialem connexionem cum posteriori; sed vbicatio est posterior ad rem vbicatam, & cum eâ non habet res essentialem connexionem, potest ergo res manere sine omni vbicatione. Hoc argumentum tam putat euidens P. Moncæus, vt non aliter censeat posse defendi, Christum Dominum in Eucharistiâ habere suam quantitatem sine extensione locali.

Tota hæc sententia valdè mihi displicet; ideò sit PRIMA CONCLVSIO. Deus est in spatiis imaginariis. Hæc est Suarezij suprà, & communis ferè omnium antiquorum & recentiorum, qui videri possunt apud Hurtadum Disputatione 14. Physicâ, sectione 3. vbi eam benè probat. Est etiam expressa D. Augustini lib. 11. de Ciuitate Dei, cap. 5. vbi & Deum infinitis sæculis ante mundum duraſſe, & esse extra mundum in infinitis locis, vbi alios mundos creare poterat, docet clarissimè: & Philosophos id sentientes docet rectè de Deo & prout debent sentire. Posteà autem disputat, cur potiùs in hoc quàm in illo loco mundum produxerit. Idem docet lib. 7. Confess. cap. 5. vbi Deum tamquam mare, mundum verò tamquam spongiam in medio concipit, & consequenter Deum infinitè extra mundum extensum. Primò ergo Conclusionem explico: Non putandum est, nos ponere aliquas tenebras 70 vel obscuritates, quæ sint spatium imaginarium, in quo Deum quasi latitantem constituamus: dixi enim Sectione 4. spatium hoc nihil prorsus esse. Quando ergo Deum in his spatiis constituo, solùm dico, illum ex essentiâ suâ habere talem immensitatem, ratione cuius ita existit, vt nequeat produci, aut concipi producta aliqua res, cui Deus eo ipso non sit intimè præsens, sine vllâ prorsus in ipso mutatione, etiamsi neque Deus eam creaturam produceret, neque cognosceret; qui sunt duo alij modi præsentiæ, quos hi Auctores præcisè videntur tribuere Deo. Hoc autem à nobis explicatur, concipiendo ea spatia imaginaria, perinde ac si esset aliquid extensum actu, vbi Deus esset: quo etiam modo P. Lessius benè explicat hanc sententiam lib. 2. de Perfectionibus diuinis cap. 2. Imò ipse P. Moncæus tene- 71 tur idem prorsus fateri: nam concedit vbicationem distinctam in corpore extenso, & hanc dicit posse esse diuersam, vt esset in hoc mundo, si Deus illum non vbi iam est, sed post cælum empyreum creasset. Tunc sic argumentor: Hæ vbicationes corporum faciunt verè illud corpus existens & alicubi, & tamen per te non respiciunt aliud corpus distinctum ab eo quod afficiunt, sed explicantur à te per ordinem ad spatiū imaginarium, licet hoc in re nihil sit; ergo similiter Deus habens per suammet substantiam idem quod illa corpora per vbicationes distinctas, erit verè & propriè existens vbi posteà existit corpus, & consequenter erit in spatiis imaginariis. Idem confirmatur, quia, vt ego concipiam, illum hîc existere, & vt verè Deus sit intra muros istius scholæ, non pendet ab eo quòd hîc sit aër aut lux, sed existit in hac vacuitate, etsi nullus sit aër, perinde ac ipse aër ibi existit, etsi nullum aliud esset corpus: differentia autem est, quòd Deus id habet sine vbicatione distinctâ, aër verò per distinctam.

SECVNDA CONCLVSIO. Repugnat, rem ali- 72 quam

quam creatam ab omni vbicatione absolui. In hac reiicio secundam partem doctrinæ Vasquez & Monteri. Est autem & hæc Conclusio communis, quam dum probo, probo etiam & priorem. Sic igitur argumentor: Repugnat etiam diuinitus, rem aliquam produci extra causas, quæ absoluatur ab omni duratione, ergo & quæ ab omni vbicatione. Consequentia est euidens: quia sicut duratio se habet ad diuersa tempora, siue vera siue imaginaria; ita vbicatio ad diuersa loca, siue vera siue imaginaria: & sicut res potest durare, & non in hoc tempore, sed in alio; ita potest existere, & non in hoc loco, sed in alio, & è cõtrario; quod verum est, etiamsi duratio non distinguatur à re durante, quia etiam tunc denominatio hodie durantis ab illâ distinguitur, vndecum-
73 que id proueniat. Probo ergo iam Antecedens de duratione, quia implicat concipere, aliquid esse extra causas, de quo non sit verum dicere vnum è tribus, vel *fuit*, vel *est*, vel *erit:* quod tam mihi est euidens, quàm duo & tria esse quinque, & puto à nemine posse negari; ergo non potest res absolui ab omni duratione, quandoquidem vel præteritam, vel præsentem, vel futuram debet habere, ergo nec ab omni vbicatione.

Vrgeo idem in Deo: licet tempus imaginarium non sit magis aliquid quàm spatium imaginarium, Deus tam verè & realiter durat in tempore imaginario, ergo & realiter existit in spatio imaginario. Consequentia est euidens ex paulò antè dictis. Secunda verò pars Antecedentis, seu Minor, suadetur: quia si Deus verè & realiter durauit ab æterno, etiam antequam mundus es-
74 set, ergo durat in tempore imaginario. Hoc vltimum argumentum de Deo proponunt sibi hi Auctores, eique valdè obscurè respondent; nec mirum, quia non patitur claram solutionem, nisi relabaris in aliquem errorem. Aiunt ergo, quando dicitur Deus ab æterno fuisse, non id ita crassè accipiendum, vt ante mundum conditum putetur aliquod tempus fluxisse, cui æternitas Dei coëxiterit, sed præcisè Deum ita excedere creationem mundi, vt ante ipsum mundum conditum possit aliquod tempus mente concipi, quod si extitisset, Deus in eo extitisset; re autem verâ & propriè Deum per suam æternitatem non existere extra tempus reale, seu ante mundũ, non quidem ex defectu Dei, sed ex defectu temporis realis.

Hæc solutio est improbabilis: & licet fortè in re nullum absurdum contineat, vtitur tamen terminis errorem sonantibus, vt hoc modo difficultatem tegeret potiùs quàm explicaret. ex eâ enim manifestè constat, Deum verè & realiter, absolutè & simpliciter, non priùs extitisse quàm mundum, siue id proueniat ex defectu creaturæ, siue
75 quomodocumque. Hæc autem propositio, *Deus non extitit verè & proprie ante mundum*, fortasse, & meritò, reputabitur erronea aut hæretica: quid enim Scriptura, quid Patres, quid ratio naturalis clamat, nisi Deum ab æterno, antequam quidquam faceret, verè & realiter propriè fuisse, nos amasse, prædestinasse, &c. nec incepisse cum tempore? quod deberet negari ab aduersariis. Declaro argumentum: in sententiâ horum, quos impugno, non aliter Deus dicitur verè & realiter durans ex denominatione temporis realis, seu creaturæ realiter durantis, quàm ex eadem creaturâ existente dicatur Deus actu producens, siue creans; vtrumque enim partim est denominatio intrinseca, partim extrinseca, in sententiâ horum. Tunc sic: Ergo in eodem rigore, quo verè & realiter dicitur Deus non fuisse actu producens, seu creans, antequam mundus existeret, etiam dicendus est non durasse ante mundum, seu non fuisse, & consequenter, sicut verè & realiter incepit esse actu producens quando creauit, ita etiam & tunc incepit absolutè existere, quod manifestè erroneum est. Nec possunt euadere, si di- 76
cant Deum ideò à Scripturâ dici ante mundum: quia si fuisset aliquid ante mundum verè & realiter, Deus fuisset: non, inquam, euadent, nam etiam in hoc sensu debet Deus dici creans & producens actu ante mundum, quod est falsissimum. Sequela patet, quia eodem modo, quo, si fuisset aliquid ante mundum, dictus fuisset Deus etiam tunc existens, de facto verò per te non fuit realiter ante mundum; ita etiam, si aliquid fuisset ante hunc mundum, etiam Deus dictus fuisset creans: ergo non aliter potest dici fuisse ante mundum, quàm dicatur ante mundum creans.

Aduerte, à me non dici, Deum ante mundum verè & realiter coëxtitisse, nam coëxistentia dicit duorum existentiam; præter Deum autem nihil fuit ante mundum, non ergo coëxistit propriè. Extitit tamen, quia ad hoc non requiritur reale tempus, aut realis creatura. Et in hoc isti non 77
benè discurrunt, dum vtrumque confundunt, licet ad hoc cogãtur, eò quòd malè negent, Deum actu esse immensum, & extra cælum empyreum, quod nos explicamus clariùs iuxta nostrum modum concipiendi, dum dicimus, illum esse in spatiis imaginariis. Similiter etiam in æternitate, cùm verè Deus fuerit sine principio & ante omnem creaturam, vt id clariùs percipiamus, quasi concipimus tempus fluidũ aliquod ab æterno, in quo sensu dicimus Deum coëxtitisse ei tempori.

Aliud argumentum ab absurdo possumus contra hos Auctores facere: Quia ex eorum sententiâ sequitur, Deum tam propriè moueri localiter huc & illuc, quàm moueatur Angelus, in sententiâ horum. Consequens est temerarium. Sequela probatur: Deus iam non est in spatiis imaginariis, sed solùm in hoc mundo, per te; moueat Deus mundum istum motu recto versus ea spatia imaginaria, tunc Deus iam ibi incipiet esse de nouo, sicut Angelus mouens huc illuc lapidem, ergo mouetur Deus non minùs quàm Angelus.

Nec potest recurri ad vbicationem distinctam 78
receptam in Angelo, quæ in Deo non producitur de nouo: non potest, inquam, ad hoc recurri. Primò, quia hi eam expressè negant in Angelo. Secundò, quia etiam in sententiâ negante vbicationes distinctas in creaturis, negatur Deo motus localis, qui conceditur Angelo; & constat id manifestè ex communi consensu: nam vbicationem esse distinctam, pauci aliqui Philosophi discurrendo ex aliis principiis ostenderunt, omnes tamen seu Philosophi seu idiotæ concipiunt, Deum non posse moueri localiter sicut mouetur lapis vel Angelus, ergo repugnantia motus localis in Deo non prouenit ex vbicationis distinctæ repugnantiâ, sed ex eo quòd ipse supponatur vbique.

Aliter respondent recentiores, mundum non posse à Deo motu recto moueri, id est, sursum

aut deorsum, ad dextram aut sinistram, sed so-
79 lùm circulariter intra eos cardines. Hæc solutio reiicitur euidenter, Primò, quia ipsi admittunt, posse à Deo creari alium mundum contiguum huic, quod verum omnino est. Iam ergo rogo, Cur Deus non poterit istum transferre ad alium locum illius, & illum ad locum istius, si nollet eos penetrari inter se? Certè non est maior in hoc difficultas, quàm mouere vnum lapidem ad locum alterius, & è contrario; ergo potest hic mundus moueri motu recto. Idem est, etiamsi alter mundus non existat, quia potest Deus dare primo isti mundo vbicationem quam iam habet, & posteà illam quam haberet mundus huic contiguus, quod lumine naturæ videtur manifestum; nec tunc propriè esset motus in vacuo, quia corpus quod mouetur, impleret illud spatium. Et licet esset in vacuo, quid inde? numquid si diuinitus aër hic inclusus intra cubiculi muros destrueretur, non posset etiam diuinitus vnus lapis ab vno muro ad alterum vehi ab Angelo? Secundò, quia in motu circulari esset eadem difficultas, quia ille verè est motus; ergo Deus non aliter existens localiter, quàm in corpore reali, sicut hoc mouetur verè, siue id sit rectà, siue circulariter, ita & Deus.

80 Argumenta autem contraria non vrgent, nam malè ab his supponitur, non habere corpus vel res creatas essentialem connexionem cum aliquâ vbicatione indeterminatè, iam enim est à nobis ostensa ea connexio, quæ non benè impugnatur ex eo, quòd vbicatio sit aliquid posterius ad rem, vel quia possit sine quacumque determinatè existere, perinde ac si argumentaretur, Hominem habere albedinem, aut negationem illius, est aliquid posterius ad ipsum hominem, & neutra pars determinatè est connexa cum illo, ergo poterit Deus facere vt homo nec re habeat albedinem, neque carentiam illius, quæ consequentia nulla prorsus est, ita etiam in præsenti casu. Similiter, Deum velle, aut nolle creare mundum est aliquid posterius ad essentiam Dei, & cum neutro ex illis actibus Deus habet connexionem determinatè, ergo poterit Deus sine vtroque actu realiter manere, quod est falsissimum. Et hoc exemplum habet vim etiam in nobis in sententiâ negante puram omissionem liberam, quæ tamen non reiicitur ex hoc capite. Quòd autem Secundò docent, sine hac doctrinâ non posse præsentiam Christi Domini in Eucharistiâ defendi, valdè mirandum est, quasi ibi Christi Domini quantitas non haberet propriam vbicationem; non ergo necessum est, vt ibi sit Corpus Christi, illud posse carere omni vbicatione.

81 Dices: Priuatur quantitas Christi propriâ extensione, ergo potest priuari omni vbicatione. Mala consequentia, quia, vt dixi, habet quantitas & quælibet alia res creata essentialem connexionem cum aliquâ vbicatione, non tamen cum hac determinatâ; quando autem sunt penetratæ partes, iam habent vbicationem. Fateor, quantitas naturaliter repugnat tali penetrationi, non tamen omnia quæ naturaliter repugnant, repugnant etiam diuinitus; nec est bona consequentia, Hæc proprietas seu passio naturalis potest diuinitus auferri ab essentiâ, ergo omnia possunt ab essentiâ auferri, quo modo argumentatur aduersarius in præsenti.

Et vt clariùs hæc percipias, & consequentiæ defectum in aduersariis notes, aduerte, ab ipsis doceri, extensionem localem partium nec diuinitus posse separari ab vbicatione. Ex quo sic ar- 82
gumentor: Repugnat diuinitus, quantitatem existentem & habentem partes, non esse aut extensam aut inextensam, hæc enim duo sunt priuatiuè opposita, vt ex ipsis terminis patet; neque enim potest intellectus concipere duas partes inter se vnitas, & neque vnam esse extra aliam, neque intra se; ergo vel faciunt extensionem, vel sunt penetratæ. Vlteriùs, si faciunt extensionem, necessariò habent per te, vbicationem distinctam; si sunt penetratæ, etiam illam habent, ergo necessariò illam debent habere in omni casu. Consequentia est bona. Secundam partem Antecedentis, in quâ est difficultas, probo à simili ex tuâ doctrinâ: quia vt vna pars correspondeat nostro modo concipiendi diuerso spatio imaginario ab alterâ parte, eget essentialiter vbicatione distinctâ, ita tu fateris, ergo & vt plures correspondeant eidem spatio, etiam indigebunt vbicatione. Patet euidenter consequentia, quia esse in vno vel in diuersis locis, non tollit esse in loco, & vtrumque indeterminatè est separabile, & vtrumque est aliquid reale, ergo vtrumque ab vbicatione superaddità prouenit.

Dices: Penetratio est negatio extensionis Con- 83
trà Primò ego dicam, *extensio est negatio penetrationis*, cur ergo extensio erit aliquid positiuum, magis quàm penetratio? Contrà Secundò, quia carentia extensionis, quam tu vocas penetrationem, est indifferens vt sit hîc vel Romæ vel alibi: nam de facto quantitas Christi Domini hîc & Romæ habet penetrationem, & non habet illam apud Turcas v. g. ergo eas partes esse penetratas hîc, aliquid est distinctum superadditum carentiæ extensionis, quia hæc carentia vbique est eadem, & tamen non propterea partes penetratæ existunt vbique, debet ergo esse aliquid positiuum, perinde ac est ipsa extensio.

Dices vlteriùs: Dum supponimus, eas esse pe- 84
netratas hîc, iam supponimus vbicationem; quid ergo mirum, si hoc nequeat intelligi sine vbicatione? possunt tamen esse penetratæ, & nullibi. Sed contrà, quia pari ratione idem ego dicam de extensione, scilicet posse partes esse extensas, & tamen nullibi, quia non est maior ratio de extensione, quàm de penetratione, quod præcisè in præsenti contendo, vt ex tuâ doctrinâ veritatem eliciam: non posse autem partes esse sine extensione, aut sine penetratione (vt paulò antè dixi) manifestum videtur, quia vel debent occupare distinctum locum vel eumdem, & clariùs, vel debet esse vna extra aliam vel intra.

Aduerte, hoc argumentum, licet clariùs vrgeat in partibus vnitis, reuerà eamdem etiam difficultatem habere in duobus Angelis v. g. quia quòd careant vnione quam habent duo puncta materiæ, accidentarium omnino est ad vbicationem, & propterea meritò aduersarij fatentur, eamdem esse difficultatem de corpore, ac de Angelo, & æqualiter diuinitus vtrumque posse aut non posse ab vbicatione omni liberari. Ego assumo illam partem, *non posse*, propter hucusque dicta.

SECTIO

SECTIO V.

De vbicatione rerum spiritualium.

85 ALIA etiam in hac Sectione restat nobis cum P. Vasquez disputatio: ait enim Tomo 2. in 1. Partem Disputatione 188. Angelum esse præsentem corporibus, quibus pro suâ voluntate coniungitur per vbicationem realem à se distinctam, sibique intrinsecam, quam tamdiu retinet, quamdiu coniunctus est illi corpori, etiamsi corpus ipsum localiter moueatur; vnde, si Angelus coniungatur naui, quantumuis hæc per totum Oceanum vagetur, semper Angelus manet immotus, & cum eadem vbicatione quam habuit anteà. Addit deinde Disputatione 195. cap. 3. & 4. Angelum à corpore separatum, nec habere præsentiam localem, nec localiter posse moueri.

CONCLVSIO sit. Angelus habet vbi intrinsecùm, independens ab omni corpore reali, affixum tamen spatio imaginario, non secùs ac illud
86 habent omnia corpora. Hæc est communis, & probatur facilè Primò, quia Angeli possunt distare inter se magis & minùs, & localiter moueri independenter à corpore, ergo habent vbicationes à corpore independentes. Consequentia est certa. Antecedens probatur, quia si modò sit vnus Angelus Romæ v. g. alius autem Pragæ, non dubium, quin magis distent inter se quàm si vterque esset Pragæ. Demus ergo, à Deo annihilari omnia corpora intermedia, quin circa Angelos aliquid efficiat; rogo ergo, vtrùm in eo casu maneant Angeli cum eadem distantiâ ac anteà, an non. Si maneant, teneo intentum, scilicet, eos habere distantiam inter se independentem à corpore reali: si non manent æquè distantes, rogo, quis eos proximiores reddidit?

Dices: Per ipsam ablationem corporum. Contrà, quia id videtur ipso primo aspectu incredibile. Deinde rogo, cur potiùs ad se appropin-
87 quant, quàm elongantur magis? Sanè nulla potest huius vel apparens ratio reddi. Deinde, si accedunt ad se, ergo iam habent aliquas vbicationes, licet non easdem quas anteà. Patet, quia ex suâ essentiâ non habent, esse propinquos, cùm id possit ab eis separari, ergo id habent per vbicationes à se distinctas: sed illæ non respiciunt corpora realia, ergo vbicationes Angelorum non respiciunt corpora realia.

Secundò probatur à simili ex vbicatione corporum. Sicut enim hæc possunt habere vbicationes independenter ab illis corporibus, & sine ordine ad illa, cur non poterunt & Angeli habere vbicationes independentes à corpore, vel quid ad hoc interest ratio corporis, aut spiritus? Sicut
88 enim in simili arguitur communiter etiam ab ipso Vasquez contra Thomistas, asserentes, solas res materiales posse infra eamdem speciem infimam multiplicari, arguitur inquam, eò quòd non possit ostendi, quid iuuet ad multiplicationem individualem ratio corporis aut quantitatis potiùs, quàm ratio spiritus; ita etiam in præsenti potest argui contra ipsum, quia non apparet quid conferat ad præsentiam localem, esse corpus aut spiritum. Confirmatur Primò, quia dum Angeli à cælo ad terram, aut è contrario mouentur, item dum anima post mortem vel ad cælum vel ad infernum defertur, non est censendũ ferri alligatam ad corpus aliquod, aut semper vniri cum corporibus per quæ transit, idque necessariò vt possit moueri; sanè omnino gratis & sine fundamento id docebitur. Confirmatur Secundò, pone An- 89
gelum à Deo productum ante omne corpus, & postea à Deo produci hæc omnia corpora, rogo, an tunc Angelus maneat præsens alicui tantùm corpori, an omnibus, an verò nulli; neque est aliud ampliùs excogitabile. Si est præsens alicui tantùm, ergo iam antequam illud corpus produceretur, Angelus erat præsens eidem spatio imaginario, in quo illud corpus producitur; alioquin non posset per solam productionem alterius corporis in eo spatio Angelus esse præsens illi corpori potiùs quàm alteri. Si verò dicas, illum manere præsentem omnibus corporibus, in primis facilè refutaberis, quia Angelus non potest simul esse præsens toti orbi. Deinde etiam inde infertur, illum ante productionem orbis esse præsentem huic spatio imaginario, alioquin (vt proximè dixi) per solam productionem huius orbis non posset Angelus illi reddi præsens magis quàm alteri orbi, qui extra hunc creari potest. Si verò dicas, cum tunc ab omnibus distare, ergo quia habebat præsentiam in alio loco imaginario: nam si esset in hoc, non posset non esse præsens alicui corpori, cùm totum hoc spatium sit plenum corporibus, ergo necessariò debes fateri, eum Angelum etiam ante existentiam corporum habuisse præsentiam alicui spatio imaginario respondentem, quia (vt ostendi Sectione præcedenti) ab omni præsentiâ nequit absolui.

SECVNDA CONCLVSIO. Etiamsi Angelus non 90
separetur à corpore, si tamen hoc moueatur, mouebitur etiam Angelus saltem per accidens, sicut homo qui vehitur naui vel equo, mouetur per accidens ad motum nauis vel equi. Probatur, quia præsentia Angeli, vt ex Conclusione præcedenti constat, est independens à corpore, & respicit spatium imaginarium non secùs ac præsentia ipsorum corporum, ergo sicuti hæc mutatur per acquisitionem noui spatij imaginarij, ita etiam mutabitur præsentia Angeli. Confirmatur Primò, quia negari nequit, Angelum, qui alligatus naui ad Indos peruenisset, fore vt distaret magis ab Angelo qui esset Romæ, quàm si vterque esset vel Romæ vel in Indiâ. Confirmatur Se- 91
cundò, quia potest esse in rerum naturâ & alligatio Angeli ad nauim, & motus nauis in Indiam, quin Angelus feratur in Indiam, ergo quando Angelus fertur in Indiam, aliquid habet distinctum ab alligatione sui ad nauim, & à motu nauis; hoc autem distinctum voco, ergo præsentiam localem. Consequentia est euidens ex sæpè dictis, quia nihil potest à se ipso separari. Antecedens autem probo, quia casu quo Deus per potentiam absolutam poneret nauim in duplici loco, non ideò deberet etiam Angelus poni in duplici loco; sicut non quia alligaretur aliquis

92 Angelus Christo Domino existente in his speciebus panis Sacramentalibus Pragæ, ideò ponendus est Angelus præsens omnibus speciebus Sacramentalibus; ergo Angelum esse in Indiâ, non est formaliter ipsum esse alligatum naui, & nauim esse in Indiâ; ergo vt Angelus sit in Indiâ, requirit aliam entitatem superadditam, quâ sit præsens illi spatio imaginario: hanc autem voco vbicationem propriam Angeli; ergo Angelus existit in loco per propriam vbicationem, quæ mutetur quotiescumque Angelus correspondet diuerso spatio imaginario, vel ex mutatione sui per se, vel ex mutatione per accidens in aliis corporibus. Quod idem dicendum est de aliis rebus spiritualibus.

Confirmo & explico. Si lapis detineatur diuinitus in aëre, quantumuis omnia corpora eum ambientia millies mutentur, non tamen propterea lapis mouetur, sed semper manet in eodem
93 loco; ergo vbicatio illius non dependebat à corporibus ambientibus: cur ergo idem non dices de Angelo, qui voluisset in eo loco fixus hærere, siue venti flarent siue non? nec enim est periculum vt ab eis rapiatur & feratur in alium locum, aut è contrario. Vel quomodo poteris dicere, Angelum, qui Prophetiam Habacuc ex Iudæâ Babyloniam duxit, non fuisse motum localiter, eò quòd semper per crines tenuerit eumdem numero Prophetam, & consequenter semper respexerit idem numero corpus reale, scilicet eosdem crines? certè, qui hunc Angelum neget mutasse locum, poterit etiam negare & aquilas volantes, & omnes alias aues illum mutare.

Aduerte, hos Auctores fortè innixos cuidam communi modo loquendi, quo quando res aliqua in alterâ manet quasi clausa, dicitur semper
94 esse in eodem loco: sic pecunia in cistâ manens aut in crumenâ, semper dicitur esse in eodem loco, siue homo huc siue illuc eat. Sed, si hinc argumentati sunt, cur non extenderunt suam doctrinam etiam ad res materiales, quia in illis præcipuè habet locum communis iste modus loquendi. Cui respondeo, illum esse improprium, & solùm significare eamdem quasi moralem loci perseuerantiam in ordine ad intentum humanum, quia moraliter idem iste, meam pecuniam esse hìc, aut in templo, aut in alio loco, si semper eam habeo in sacco, quia eodem modo illam possum vbique inuenire, & eâ vti, per quod non significatur in rigore Philosophico, eam non mutasse locum. Et idem est de homine qui in naui vehitur aut in equo. Sic etiam hodie dicitur Moldaua idem numero fluuius qui heri, cùm tamen Philosophicè fortè nec vnam guttam numero hesternæ aquæ retineat.

95 Sed obiicit quidam, cum Vasquez ex parte conueniens: Si Angelus habet vbi independens à corpore, ergo poterit ire spatiatum per spatia imaginaria vltra cælum; hoc autem videtur absurdum, quia Patres loquentes de Angelis, semper supponunt eos esse intra hoc vniuersum. Hæc obiectio non est magni momenti, & quâ obiiciens eodem modo vrgetur: ait enim, naturaliter posse Angelos carere omni vbicatione, ita vt nullibi sint. Vnde argumentor: Ergo tunc Angelus non esset intra hunc mundum, quomodo ergo obiiciens saluaret tunc locutiones Patrum, aientium, semper Angelos esse intra hunc mundum? Respondeo ergo, posse quidem Angelos naturaliter reddi præsentes spatio imaginario extra cælum, nego tamen, id eos de facto facere, quia esset inutilis & impertinens talis motus; Angeli autem beati nihil operantur nisi ordinatissimè, & propter honestissimos fines. De dæmonibus nullum est periculum, quia non possunt ad cælum empyreum pertingere.

Obiicies Secundò: Si vbi Angelicum est in- 96
dependens à corporibus, ergo possunt Angeli magis vel minùs inter se distare, etiamsi nulla corpora intermedia, aut in quibus ipsi sint, absolutè existant; quod videtur absurdum, quandoquidem distantia est proprietas corporis habentis extensionem, & partem extra partem. Respondeo, falsum omnino esse, distantiam solis corporibus conuenire: nam sicut vnum punctum materiæ est extra aliud localiter, cur non possunt etiam duo Angeli indiuisibiles vnus esse extra alterum, vt suprà dixi? Neque video rationem vllam, cur dicatur corpus posse ab alio corpore distare independenter ab alio tertio, & non possint duo Angeli inter se distare independenter à corpore, sed formaliter per suas vbicationes. Confirmo, etiam in ipsis corporibus non 97
solùm partes illius distant inter se ratione extensionis earum, sed vnum corpus distat ab alio, cum quo non facit extensionem; & in ordine ad hanc distantiam perinde se habet corpus esse extensum, ac esse penetratum: da enim, omnes partes lapidis hìc existentes inter se penetrari, nónne distabit à lapide existente Romæ, ac si partes eius essent extensæ? ergo extensio per accidens se habet ad distantiam, ergo etiam Angeli inextensi poterunt habere indistantiam independenter à corporibus. Adde, etiamsi ea extensio requireretur, adhuc posset conuenire rebus spiritualibus, quæ capaces sunt extensionis, vt dicam Disputatione 1. de Animâ, à num. 61. In Angelo, etiamsi in se sit indiuisibilis, tamen, eò quòd poteſt habere vbi extensum, vt dixi Disputat. IV. de Angelis, à num. 25. saltem ratione illius esset capax distantiæ.

Obiicit Tertiò Vasquez: Si Angelus est in lo- 98
eo imaginario independenter à corpore, ergo replet illud spatium, quod est absurdum. Hoc argumentum tantùm nititur modo loquendi, significationi scilicet illius verbi *replere*. Ei respondeo negando sequelam, quia *replere* est proprium quantitatis, quæ est impenetrabilis cum alio corpore; Angelus autem cum nullo corpore est impenetrabilis, & consequenter non dicitur replere locum. Rogabis, vtrùm, si duo Angeli essent in spatio imaginario, posset vnus esse supra vel infra alterum. Respondeo negatiuè, & ratio est, quia esse supra vel infra, est in ordine ad centrum terræ: nam quæ magis ab illo distant intra eamdem lineam rectam, dicuntur esse supra; quæ verò minùs, dicuntur esse infra: in spatio autem imaginario non est centrum, vnde in illo non potest vnus Angelus esse supra vel infra alterum, sed tantùm esset vnus ex aduerso alterius magis aut minùs distans, iuxta vbicationum diuersitatem.

Obiicit idem Vasquez Quartò: Animâ ratio- 99
nalis, quando est in corpore, non habet vbi distinctum ab vbi corporis, ergo neque Angelus habebit vbi distinctum ab vbi corporis cui est affixus.

affixus. Probatur Antecedens, quia quando mouetur homo ab equo v. g. non est agens, à quo produci possit nouum vbi in animâ: equus enim, cùm sit agens omnino materiale, non potest in animâ spirituali producere vbi, ergo tunc anima non mouetur, sed solùm corpus. Nego Antecedens. Ad eius probationem respondeo, à corpore, ipsius hominis imprimi motum in animâ; eo enim ipso, quòd anima sit coniuncta corpori, hoc habet virtutem, vt dum mouetur, secum trahat animam, & hæc è contrario vt secum trahat corpus; sicut eo ipso quòd vela sint coniuncta naui, habent virtutem, vt dum mo-
100 uentur, secum rapiant nauim, & è contrario nauis trahat vela: sicut etiam ob eamdem rationem, qui mouet species Sacramentales, mouet etiam Christum Dominum. Neque impedit, corpus esse materiale, ad hoc vt producat præsentiam spiritualem: quia (vt sæpè diximus) à re materiali potest produci partialiter res spiritualis, vt pater in phantasmate producente species spirituales saltem partialiter simul cum intellectu, de quo alibi. Vel si hoc non vis, dicas, eam vbicationem produci à solo Deo, ita potente corporis motu, & vnione illius cum animâ.

SECTIO VI.

Quotuplex sit præsentia localis, & quibus rebus conueniat.

101 INTER præsentias locales omnium perfectissima est præsentia Dei indistincta ab ipso Deo, ratione cuius est præsens vbique, iuxta dicta Sectione 5. Est autem in præsenti difficultas, vtrùm ita sit proprium Dei esse vbique, vt repugnet etiam de potentiâ Dei absolutâ aliquam creaturam poni simul in omnibus spatiis imaginariis. Qui dicunt repugnare infinitum in actu, consequenter dicent, id non posse fieri per præsentias diuisibiles iuxta spatij diuisibilitatem, quia illæ necessariò futuræ erunt infinitæ; per vnicam tamen præsentiam, essentialiter respicientem omnia spatia imaginaria, rectè posse id fieri, nec ideò illa præsentia esse infinita, sicut neque est infinita cognitio, quâ omnes creaturæ possibiles in se ipsis cognoscerentur. In nostrâ autem sententiâ rectè posset id fieri etiam per infinitas præsentias distinctas, quia (vt suprà diximus) rectè potest dari infinitum in actu.

102 Sed dices: Ergo illa creatura esset immensa, quia esset vbique. Nego consequentiam, quia immensitas non solùm dicit esse vbique actu, sed necessariò & essentialiter, sicut æternitas, prout attributum Dei, non solùm dicit durare omni tempore, sed necessariò & à se ipso: creatura autem, illa esset contingenter vbique, quia posset id illi deficere etiam naturaliter, vnde etiam esset per vbicationem à se distinctam, in quo differret à Deo. Adde, fortè non repugnare aliquam substantiam, quæ per suammet essentiam esset vbique, quia verò posset à Deo destrui, aut non produci, ideò non esset infinita.

103 Post præsentiam increatam sequitur creata, quæ diuiditur in *circumscriptiuam*, quæ propria est rerum materialium habentium quantitatem, quâ ita existunt, vt vna pars sit extra aliam, & impenetrabiliter cum alio corpore quanto; & in *definitiuam*, ratione cuius res existit in loco, siue habendo partem extra partem, siue non, siue impenetrabiliter siue penetrabiliter, siue alio quouis modo.

Vbi aduerte, omne vbi circumscriptiuum, includere definitiuum, sed non è contrario, in omni definitiuo includi circumscriptiuum; vnde hæc duo se habent vt ratio superior & inferior, non vt membra diuidentia rationem superiorem.

Hîc solent tractari multæ difficultates, quæ 104
magis pertinent ad modum loquendi, quàm ad rem. Prima sit, an quodlibet indiuisibile vbicationis, quo indiuisibile lapidis v. g. existit in loco, sit circumscriptiuum. Respondeo, esse partem componentem vbi circumscriptiui, propriè autem non esse circumscriptiuum, quia hoc dicit aliquid compositum ex pluribus partibus.

Secunda, an solùm vbi quantitatis, an verò etiam vbi materiæ sit circumscriptiuum. Ratio dubitandi est, quia vbi materiæ non est impenetrabile etiam cum alio corpore quanto, id enim solùm habet vbi quantitatis, vnde videtur, illud non futurum circumscriptiuum; aliunde verò illud vbi habet partem extra partem, ergo est circumscriptiuum. Affirmant aliqui, negant alij: elige quem volueris loquendi modum, & consequenter ad illum potes explicare vbi circumscriptiuum. Probabilius videtur, dicendum etiam circumscriptiuum, quia petit coniungi cum vbi quantitatis, quo reddatur impenetrabile cum alio, etiamsi per se formaliter non habeat eam impenetrabilitatem.

Tertia sit, vtrùm vbicatio Christi in Euchari- 105
stiâ sit circumscriptiua. Respondeo negatiuè, quia non est ibi vna pars extra aliam, sed in quolibet puncto existunt omnes, non ergo est vbi circumscriptiuum, quia de huius essentiâ est, habere partem extra partem.

De re potest esse difficultas, à quo specificentur vbicationes. Eas specificari à spatio imaginario modo suprà explicato, certum est. Deinde addo, probabile etiam, specificari à subiectis in quibus sunt: vnde diuersum vbi in specie est illud quo existit materia, ab eo quo existit forma; & inter has diuersa est vbicatio formæ leonis ab vbicatione formæ equi, sicut diuersus est amor existens in homine, ab amore existente in Angelo. idem est de cognitione. Ratio est, quia accidentia specificantur pro diuersitate subiectorum quibus insunt.

Dices: In homine & in leone dantur eædem 106
primæ qualitates in specie, calor, frigus, &c. ergo poterunt dari eadem vbi in specie. Respondeo, eas primas qualitates non recipi in formâ hominis vel leonis, sed in materiâ; hæc autem est eadem specie in vtroque, quare fateor, vbicationes materiæ hominis & materiæ leonis esse eiusdem speciei, nego tamen, vbicationes ipsarum formarum vel materiæ vel formæ esse eiusdem speciei, propter dicta. Dixi suprà, probabile esse, quia nulla est repugnantia in eo, quòd naturaliter duo accidentia similia possint esse, quantum est ex se, in diuersis specie subiectis; probabilius tamen est, ea esse determinata quodlibet ad suum, ideoque esse diuersa.

Explicatâ essentiâ vbicationis, oportet explicare, quibus rebus conueniat proprium Vbi distinctum ab Vbi aliarum.

107 PRIMA CONCLVSIO. Materia & forma de potentiâ absolutâ possunt poni in loco per distinctas vbicationes. Patet, quia diuinitus potest forma sine materiâ, & è contrario, existere in loco; item vna hîc, altera Romæ, &c. In hac conclusione nulla est difficultas.

SECVNDA CONCLVSIO. Materia & forma non existunt per eamdem vbicationem, sed per duas. Probatur: ante productionem formæ supponitur materia vbicata; sed id non potest esse per vbi proprium formæ, quia hoc non potest esse prius quàm forma ipsa, ergo est per aliud distinctum. Minor, & consequentia sunt certæ. Maior probatur communiter, quia in priori, antequam producatur forma, supponitur materia approximata cum agente à quo in ipsâ producitur forma, ergo supponitur vbicata, quia approximatio est effectus formalis vbicationis.

108 Hoc argumentum apud me non habet vim: ostendi enim suprà Disputat. VII. à num. 73. approximationem non esse conditionem prærequisitam ad operandum pro priori naturæ, sed sufficere si sit in toto instanti reali operationis. Adde, quando subiectum vel non separatur à formâ vt materia à quantitate, vel quando illa forma non producitur ab agente extrinseco, vt actus cognitionis & volitionis, multo minùs probari argumento facto, vbicari subiectum & formam per vbicationes distinctas, quia in eo casu non prærequiritur subiectum approximatum. Ideò ergo probandum est, distingui eas vbicationes materiæ & accidentium, quia materia, quæ est substantia, non est proportionata vt simul cum formâ, quæ est accidens, recipiat eamdem vbicationem. Fateor, hoc argumentum non esse admodum efficax: potest enim vis eius infringi in actibus materialibus cognitionis, qui in sententiâ communi, quam veram reputo, recipiuntur in potentiâ materiali accidentali & in animâ.

109 Meliùs ergo Secundò & vniuersaliter, quia materia existit in loco independenter ab vbicatione accidentium & ipsius formæ: non enim quia ex aëre auferatur lux aut calor, ideò hîc mouetur; nec quia in materiam applicatam passo introducatur forma ignis, ideò materia mouetur localiter; ergo hæc non existit in loco per vbicationem eamdem formę substantialis aut accidentium. Aduerte tamen hanc rationem non habere vim in materiâ quæ habet in se formam animalis, quia hæc, cùm possit mouere materiam, non præsupponit eam iam vbicatam independenter à se. Addo tamen aliam limitationem, Pro qua sit

110 TERTIA CONCLVSIO. Valdè videtur probabile, materiam & quantitatem existere eadem vbicatione. Idem dico de essentiâ quacumque respectu passionum quæ ab ipsâ non separantur. Dixi, *quæ ab ipsâ non separantur*, quia quæ separantur, vt frigus ab aquâ, siccitas à terrâ (idem est à fortiori de aliis accidentibus separabilibus quæ non sunt passiones) probatum est Conclusione præcedenti, non vbicari vbicatione subiecti, quia hoc immoto possunt destrui, vel de nouo produci; ideoque earum vbicatio non est vbicatio subiecti, alioquin quotiescumque deperderentur vel producerentur ea accidentia, subiectum etiam mutaret vbicationem, quod est falsum.

111 QVARTA CONCLVSIO. Etiam modi, licet inseparabiles sint à subiecto, non vbicantur per vbicationem ipsius subiecti (non loquor de modis habentibus essentialem connexionem cum ipsâ vbicatione, quia hi per se ipsos existunt in loco.) Probatur Cōclusio à nonnullis, quia sequeretur, modos existere per denominationem extrinsecam ab vbicatione subiecti; quæ non recipitur in illis. Sed hoc argumentum non vrget; facilè enim posset quis concedere sequelam, & negare, in consequenti esse aliquid absurdi. Imò posset quis probare, non distingui vbicationem modi ab vbicatione ipsius subiecti, eò quòd nequeat esse in rerum naturâ subiectum, & eius vbicatio, & modus, quin modus ille sit vbicatus, quandoquidem non est separabilis à subiecto, ergo non eget vbicatione distinctâ. Patet consequentia, quia tunc 111
solum requirimus formam distinctam, quando effectus illius potest separari à subiecto, saltem de potentiâ absolutâ: ergo cùm possit à subiecto & vbicatione illius in hoc loco, & à modo illius subiecti separari, hoc quod est, *modum esse vbicatum*, non est superaddenda vbicatio distincta.

Quòd si dicas, neque etiam posse materiam & formam esse inter se vnitas, & materiam vbicatam, quin etiam sit vbicata forma in eodem loco, & tamen, hoc non obstante, distingui à nobis vbicationem formæ ab vbicatione materiæ, iuxta suprà dicta; si hoc, inquam, obiiciatur, poterit responderi, formam posse esse hîc vbicatam sine vbicatione subiecti, quia potest saltem de potentiâ absolutâ esse sine subiecto, ideoque hoc, quod est, formam esse hîc, non consistere in vbicatione subiecti, & vnione cum formâ, modum autem non posse hîc existere nisi hîc existat suum subiectum, ideoque non posse argui à formâ reali ad modalem.

Probo ergo efficaciùs distinctionem vbicatio- 113
nis modi ab vbicatione subiecti, & ab ipso modo, quia potest existere subiectum hîc vbicatum & modus vnitus cum subiecto, quin modus sit hîc, ergo modum esse hîc, aliquid est superadditum entitati modi, & vbicationi subiecti. Consequentia est euidens. Antecedens probatur, quia si ponatur subiectum in duobus locis, v.g. hîc & Romæ, modus autem non ponatur nisi Romæ (vt posse fieri de potentiâ absolutâ dubitauit nullus) tunc datur in rerum naturâ subiectum hîc vbicatum, v. g. anima rationalis, & datur vnio illius quæ est modus animæ, & tamen vnio non est hîc, sed solùm Romæ (vt supponimus) ergo vnionem esse hîc, aliquid est separabile ab ipsâ vnione, & à præsentiâ sui subiecti in hoc loco, est ergo alia vbicatio propria ipsius modi.

Aduerte, hoc argumentum à me factum, so- 114
lùm probare, modos non vbicari per vbicationem quæ solùm sit propria subiectorum. Vtrùm autem danda sit vnica tantùm vbicatio, quæ ex æquo recipiatur in materiâ primâ v.g. & in vnione seu actione, quæ sunt modi materiæ, est alia difficultas, quę coincidit cum tertiâ Conclusione, in quâ dixi, probabile esse, materiam & quantitatem non habere nisi vnicam vbicationem, quæ à fortiori probant de materiâ, & actione quâ conseruatur.

Addo tamen, quando subiectum ita existit, vt naturaliter loquendo manere possit in loco eodem, ablato etiam modo; v.g. materiâ primâ aëris, ablatâ luce & vnione; item ablatâ hac duratione, item & vnione ad hanc formam substantialem;

tialem; in hoc casu puto subiectum habiturum diuersam vbicationem à modis, quia subiectum manet immotum ablato modo, ergo non habebat vbicationem communem illi modo, hæc
115 enim perit ablato etiam modo; item subiectum supponitur prius naturâ independenter ab eis modis vbicatum, ergo habet propriam vbicationem ab eis distinctam. Si verò modus sit talis, vt de facto non pereat nisi pereunte subiecto, qualis est actio creatiua materiæ, vnio formæ materialis cum materiâ; probabile est, vnicam vbicationem in vtroque ponendam, quia vna sufficit. Vide quæ dixi supra in secunda & tertiâ Conclusione.

QVINTA CONCLVSIO. Res compositæ extensiuè, habent etiam compositas extensiuè vbicationes, ita vt cuilibet parti illius rei compositæ, v. g. aquæ, ignis, &c. propria correspondeat vbicationis pars. Probatur Primò, quia immotâ vnâ parte, potest altera moueri, & de facto mouetur, ergo non est eadem vtriusque vbicatio. Secundò, quia non potest eadem vbicatio materialis simul esse in duobus locis, ergo non potest simul recipi in duabus partibus extensionis, quæ necessariò occupant duas partes spatij.

116 Vtrùm autem de potentiâ absolutâ dari possit aliqua vbicatio materialis, quæ simul respiciat plures partes spatij, non est huius loci. Qui dixerit, posse rem aliquam materialem produci, quæ naturâ suâ sit tota in qualibet parte spatij, & tota in toto (quod ego probabilius reputo, vt dicam Disput. 1. de Animâ, à num. 49.) consequenter dicet in præsenti, possibilem esse eam vbicationem materialem receptam in pluribus partibus extensiuis subiecti, & respicientem spatium imaginarium diuisibile; cuius vbicationis ea esset essentia, vt quacumque parte subiecti ablatâ, vel deperditâ quacumque parte spatij, ex integro tota mutaretur vbicatio, quia ex suâ essentiâ respicit actualiter omnes eas partes subiecti & spatij. Quòd si in vbicationibus materialibus id est possibile, à fortiori erit in spiritualibus. Sicut enim eadem indiuisibilis anima rationalis potest, & de facto existit in materiâ diuisibili, cur non poterit & per vbi indiuisibile spirituale in totâ illâ existere? Vtrùm autem de facto ita contingat in animâ rationali, & in Angelo, dicam loco citato de Animâ, vbi ostendam, posse dari præsentiam diuisibilem respectu Angeli & animæ rationalis.

SECTIO VII.

Vtrùm de potentiâ absolutâ possint duo corpora esse simul in eodem loco.

117 DVo corpora non posse esse naturaliter simul in eodem loco, probatur experientiâ: cuius ratio est, quia quantitas, quâ ea corpora afficiuntur, siue distincta sit à materiâ, siue non, naturâ suâ petit ne aliud corpus simul in eodem loco vbicetur; ideòque illud inde expellit naturaliter, sicut calor expellit ex subiecto connaturaliter frigus. Secundò certum est, duo corpora posse diuinitus simul penetrari, & existere in eodem loco, vt constat ex Fide, docente, Christum Dominum non rupisse Virginis claustrum, quod non potuit fieri sine penetratione Christi Domini cum illo. Item in cœnaculum ingressus est Christus clausis ianuis, ergo penetratus est cum ianuis vel cum muris. Ratio huius est, quia licet quantitas naturâ suâ sit impenetrabilis cum aliâ quantitate, id non impedit quò minùs de potentiâ absolutâ penetrari queat, operante Deo eam penetrationem supra exigentiam ipsius quantitatis.

Dubitari tamen Primò potest, vtrùm duo cor- 118
pora extensa, affectaque quantitate, possint penetrari, retentis vbicationibus quantitatiuis, & extensione partium. Nonnulli opinantur, in quantitate vltra vbicationes, quibus vna pars est extra aliam, dari quemdam modum positiuum, qui sit actualis impenetratio cum alia quantitate: vnde inferunt, retento eo modo non posse nec diuinitus duas quantitates penetrari, quia actualis impenetratio etiam de potentiâ absolutâ pugnat cum actuali penetratione. Fateor, semel concesso eo modo positiuo actualis impenetrationis, verum esse non cohærere cum illo actualem penetrationem; arbitror tamen illum esse omnino Chimæricum, quia sine vllâ necessitate ponitur: nam præcisè per vbicationes quantitatis intelligimus naturaliter loquendo impenetrationem cum aliâ quantitate, quantitas enim exigit, ne naturaliter cum ipsâ penetretur altera quantitas, quia eo ipso quòd intelligamus subiectum cum summo calore, illud intelligimus naturaliter carens frigore; neque ad hoc est necessum ponere alium modum positiuum, qui sit actualis non-frigefactio. Deinde ratione à priori, 119
quia impenetratio est formaliter aliquid negatiuum, est enim carentia vbicationis alterius quantitatis in eodem loco, ergo hæc carentia vbicationis alterius formaliter non potest esse modus aliquis positiuus, sed vt summùm potest ea quasi radicari, & exigi ab aliquo positiuo; hoc autem est ipsa quantitas, quæ (vt dixi) exigit naturaliter eam impenetrationem.

Igitur dicendum est, retentis in lapide v. g. quantitate, vbicationibus extensis, & positiuo omni quod in eo est, posse de potentiâ absolutâ cum illo penetrari aliud corpus quantum; in hoc enim nulla apparet contradictio, imò hoc modo fuisse Christum Dominum penetratum, quando ad discipulos clausis ianuis ingressus est, & quando ex Beatissimæ Virginis vtero prodiit, videtur certo certius: neque enim tunc se Christus ad punctum contraxit. Aduerte tamen, eo casu non futura ea corpora cum actuali impenetratione, sed solùm cum actuali exigentiâ impenetrationis, sicut accidens conseruatum sine subiecto non habet actualem inhæsionem, sed solùm actualem exigentiam illius.

Sed rogabis: Casu quo ea corpora penetra- 120
rentur, quomodo se haberent in ordine ad agendum & repatiendum? Respondeo, eodem modo ac si non essent penetrata; vnde quodlibet posset agere in passum approximatum, & repati ab agente contrario, licet vnius actiuitas retardaretur nonnihil per actiuitatem alterius, si inter se contraria essent, v. g. aqua & terra; huius enim siccitas temperaretur per humiditatem alterius, & è contrario: ideoque in passum approximatum non produceretur tanta humiditas & siccitas à quolibet eorum, ac si essent separata inter se autem eodem modo, imò & perfectiùs possent operari, quàm si non essent penetrata, essent enim magis approximata.

Sed quid in ordine ad apparentiam exteriorem? Respondeo, si haberent diuersas figuras vel colores, sine dubio possent perfectè cognosci & distingui; mitterent enim ad visum species proprias sui: si autem essent eiusdem omnino figuræ & coloris non distinguerentur, propter summam similitudinem; nos enim duas partes albedinis non aliter distinguimus, nisi quia in distinctis locis eas videmus.

SECTIO VIII.

Vtrùm idem corpus diuinitus possit esse in duobus locis.

121 NATVRALITER idem corpus non posse habere duas vbicationes distinctas, experientiâ manifestè suadetur: huius autem ratio non potest facilè alia inueniri, quàm limitata virtus corporis, quod simul non potest eas duas vbicationes recipere. nam id reducere in contrarietatem ipsarum vbicationum inter se, caret probabilitate: quæ enim contrarietas, esse hîc & ibi? numquid anima non habet vbicationem in capite & in pede? Et licet auferrentur intermediæ vbicationes, numquid propterea illæ extremæ manerent inter se contrariæ? Certè non; ergo id in naturam limitatam subiecti reducendum est. Grauiùs potest dubitari, vtrùm idem corpus cum actuali extensione & impenetratione possit poni diuinitus duobus in locis, id est, vtrùm possit habere simul duo vbi circumscriptiua.

SVBSECTIO PRIMA.

Sententia negans, eiusq; argumenta.

122 DIVVS Thomas, D. Bonauentura, Capreolus, & alij, quibus subscribunt omnes Thomistæ apud Suarez Tom. 3. in 3. Partem disputat. 48. sect. 4. quibus etiam adhæret Vasquez apud Hurtadum Disput. 14. §. 46. negant id posse à Deo fieri, Primò, quia si corpus idem esset circumscriptiuè in duobus locis, simul esset & non esset extra quemlibet illorum, quod repugnat: esset quidem, quia ita supponitur; non esset, quia esse circumscriptiuè in hoc loco, est non esse in alio. Hoc argumentum videtur impugnare veritatem Catholicam Eucharisticam; nam Christus in cælo est circumscriptiuè, ergo non potuit esse in alio loco simul, si vera est probatio aduersariorum; quia esse circumscriptiuè
123 in vno, dicit non esse in alio. Respondeo ergo, *vbi circumscriptiuum* non negare, corpus esse alibi, nisi vt summùm ratione eius vbi, id est, illud corpus non per vnicum sed per duo vbi in eis locis existere. Dixi *vt summum*, quia nec per vnicum vbi videtur repugnare, poni in duobus locis corpus illud, quod à fortiori constat ex dictis suprà, vbi ostendi, non repugnare, fieri simul præsentem vnicam creaturam omnibus spatiis imaginariis per vnicum vbi, & de facto Angeli in multorum sententiâ per vnicum indiuisibile vbi sunt præsentes toti scholæ v.g.

Secundò arguunt: Quia effectus formalis non potest crescere, nisi crescat forma, à quâ oritur v.g. non potest quis esse magis calidus, nisi cum maiori calore; sed extensio est effectus formalis quantitatis, ergo nequit esse maior nisi cum maiori quantitate, ergo nequit esse corpus in duobus locis cum duplici extensione, si vnicam solùm habeat quantitatem. Respondeo, extensio- 124
nem non esse effectum formalem quantitatis, quia rectè potest hæc esse vnita sine extensione, vt patet in quantitate Christi in Eucharistiâ: oritur ergo extensio formaliter ab vbicationibus vnde, si hæ multiplicentur, vel ponatur vna æquialens pluribus, rectè poterit corpus idem poni in pluribus locis cum pluribus extensionibus.

Tertiò: Si posset corpus poni in duobus locis circumscriptiuè, ergo & vbique, quod videtur absurdum. Huic argumento feci satis initio Sectionis 7. nunc illud inuerto contra Thomistas, qui saltem definitiuè fatentur, posse esse idem corpus duobus in locis, ergo & vbique. Quid autem magis repugnat esse vbique definitiuè, quàm circumscriptiuè.

Quartò: Quia si idem corpus poneretur in 125
duplici loco, sequeretur, illud diuidi & separari à seipso, quod est impossibile. Sed respondeo Primò, id non sequi in Christo Domino, qui etiamsi sit in pluribus locis, non ideò diuiditur à seipso, ergo neque illud corpus; & quoad hoc parum facit esse circumscriptiuè vel definitiuè. Deinde respondeo, diuisionem dicere non solùm distantiam vbicationum, sed etiam distinctionem subiecti, quæ non datur; etiam subiectum ponatur in duplici loco. Vtrùm autem propter eas præsentias distantes dici queat à se ipso distans, quæstio est de solâ voce. Rem intellige, & modum loquendi quem volueris amplectere.

Quintò: Quia si potest poni idè corpus in duobus locis per duas præsëtias, etiam poterit poni in eodem loco per duas, & esse bis aut ter in eodem loco, quod repugnat. Sed & hoc argumento pre- 126
muntur aduersarij, quia saltem sequetur, definitiuè esse posse bis aut ter idem simul in eodem loco. Concedo ergo sequelam, nego autem ipsius absurditatem, vt patet in Eucharistiâ: potest enim anima Christi Domini sine vllo absurdo in qualibet parte Hostiæ tot habere præsentias, quot sunt partes corporis in eo loco penetratæ, quibus anima est præsens; vtrùm autem eas habeat, an vnicam solam, dixi in materiâ de Eucharistiâ. Secundò respondeo, negando sequelam: si enim est specialis contradictio in duplici præsentiâ circa eumdem locum, non propterea debet negari circa duos.

Sextò: Si idem corpus ponitur in duplici loco, ergo vterque locus est maior re locatâ, quod est absurdum. Hoc argumentum etiam fieri potest contra Eucharistiam, vt intuenti patebit. Deinde respondeo, concedendo sequelam. Quid autem inde? res enim indiuisibilis, qualis est Angelus, potest simul esse præsens spatio diuisibili, v. g. vni leucæ; idem est de animâ rationali in corpore. poterit ergo corpus vnius palmi esse præsens spatio duorum vel trium palmorum.

Septimò: Quia sequeretur, eumdem homi- 127
nem posse simul viuere & mori, peccare & placere Deo, & alia huiusmodi, quæ sunt implicatoria. Vtrùm hæc sint implicatoria respectu hominis existentis in duplici loco, dicetur Sectione 10 Nunc aduerte Primò, eamdem esse difficultatem in præsentiis definitiuis: si enim humanitas Christi existens in pluribus speciebus Sacramen-

cramentalibus, careret vnione ad Verbum, etiam posset in vno loco rectè operari, in alio peccare, si id posset cum duplici præsentiâ circumscriptiuâ; nam ad hoc per accidens se habet existere circumscriptiuè vel definitiuè. Aduerte secundò, si illa duo prædicata sint contradictoria etiam respectu plurium locorum, non sequi eò quòd res ponatur in duplici loco, illi posse ea prædicata conuenire; vnde argumentum est vndequaque imbecille.

128 P. Vasquez his argumentis diffidens, aliud affert fortè non fortius, quod benè dissoluit Hurtadus à §. 13. est autem hoc: Si lapis poneretur extensus in duobus locis, sequeretur, quòd posset naturaliter moueri duobus motibus contrariis: hoc autem repugnat, ergo. Patet sequela: quia si poneretur supra duas extremitates asseris in alto, & asser auferretur, caderet in vtraque parte, quia in nullâ potest detineri in aëre. Sed hoc argumentum retorqueo euidenter contra eumdem Vasquez, quia saltem definitiuè potest corpus esse in duobus locis, hoc est, si partes illius inter se penetrentur. Pone ergo lapidem ad punctum penetratum in duobus illis asseribus extremis, aufer asserem, eodem modo cadet lapis: nam grauitas redacta ad punctum etiam grauat ad centrum; imò fortè meliùs quàm si esset extensa, quia non possunt alia corpora ita illi resistere.

129 Dicet fortè: Si partes sint penetratæ, non possunt moueri naturaliter, quia acquirerent nouam penetrationem, quod repugnat. Bona solutio, sed eam ego capio pro me, & dicam, si, quantumuis grauitas lapidis pellat illum deorsum, hæret tamen lapis in aëre, quia non potest de nouo acquirere penetrationem quæ est miraculosa. Eodem etiam modo respondeo, lapidem extensum detineri in aëre, quia cùm duæ vbicationes sint miraculosæ, non habet ipse virtutem alias duas acquirendi, sed vt summùm illam, quam habet naturaliter, permutabit, aliam verò retinebit, non quidem ipse eam conseruans sed Deus miraculosè. Ratio à priori est, quia sicut illæ vbicationes conseruantur influxu saltem quoad modum supernaturali, ita non possunt naturaliter destrui; imò etsi possent naturaliter destrui, non tamen possent acquiri duæ aliæ vbicationes supernaturales loco illarum, Et hæc est euidentissima huius argumenti solutio.

130 Secundò: Si adhuc velis, posito primo miraculo, dari vires in lapide ad duos eos motus, transeat. Sed dicas etiam eos naturaliter fieri, nec id esse absurdum, quia per miraculum datæ sunt vires ad eos motus, quos sine miraculo priùs non poterat, sicut idem subiectum non potest producere sensationem magni caloris & frigoris, si tamen diuinitus Deus in eo subiecto summum calorem & frigus summum poneret, posset mea manus illud tangens, species vtriusque simul accipere, & de vtroque simul in eadem parte sensationem elicere. Quòd si non vis, posito eo miraculo in nostro casu dari vires ad secundum, quid ergo miraris, si secundum non sequatur naturaliter ex primo? Nec video, quid hîc possit ampliùs vel probabiliter vrgeri: nec enim potest dici, duo contradictoria sequi, nam contrarium ostendo euidenter. Si enim grauitas sola sufficit ad duos motus, quando est in duobus locis, solùm sequitur posse se mouere, quia dantur omnia requisita; non verò sequitur etiam *non posse*. Si verò vbicationes illæ impediant, eò quòd sunt supernaturales, præcisè sequitur, non posse, non ergo vtraque contradictionis pars sequitur. Hæc solutio secunda est cornuta ad hominem, prima autem est absolutè vera.

SVBSECTIO SECVNDA.

Potest idem corpus etiam circumscriptiuè esse in duobus locis.

SENTENTIA ergo affirmans communis, & vera est. Eam defendit P. Suarez tom. 3. in 3. Partem, disput. 48. sect. 4. vbi pro eâ refert Scotum, Richardum, Alex. Gabriel. & alios; P. Hurtadus suprà, Gregorius de Valentiâ Tom. 4. disput. 6 quæst. 3. puncto 1. §. 23. vbi docet, oppositam reiici à Catholicis vt minùs congruentem veritati Fidei de mysterio Eucharistiæ, quod non videtur vllatenus defendi posse, si negetur à Deo posse idem corpus circumscriptiuè duobus in locis collocari: quia (vt vidimus) eadem difficultas est de vbi definitiuo, ac de circumscriptiuo. Et hoc sit primum pro hac sententiâ fundamentum. Secundum sit, quia id non implicat contradictionem, vt vidimus suprà ex oppositorum argumentorú solutione; ergo poterit à Deo fieri. 131 Tertium, quia videtur magis repugnare, tolli à quantitate vbi circumscriptiuum, quod est passio illius, quàm illi addere duo vbi; primum enim est eam denudare propriâ passione, quod est difficilius, quàm illi addere duas passiones: atqui potest quantitas poni sine vbi circumscriptiuo, vt patet in quantitate Christi existente in speciebus Sacramentalibus solùm definitiuè, ergo poterit poni cum duobus vbi circumscriptiuis. Quartum, quia duo contraria possunt simul esse in eodem subiecto diuinitus, ergo & duo vbi circumscriptiua, quæ solùm possunt repugnare inter se, quia contraria; & neque hoc habent propriè (vt dixi initio Sectionis) solùm enim de facto contingit ex limitatione virtutis in subiecto; hæc autem limitatio potest diuinitus suppleri à Deo. Confirmatur: duæ vbicationes distinctæ nihil aliud sunt, quàm duo accidentia adæquata eiusdem subiecti: at Deus potest dare diuinitus eidem subiecto simul duos calores, vt octo v. g. & duas quantitates, ergo poterit dare & duas vbicationes circumscriptiuas. Nec potest assignari quoad hoc disparitas vlla inter duo vbi, & duos calores vt octo.

Tandem hæc veritas confirmatur multis hi- 132
storiis Ecclesiasticis fide dignissimis, in quibus narratur de multis Sanctis, qui simul & semel in eadem figurâ & extensione verè in duobus locis extitere, vt de S. Antonio Paduano simul in pulpito concionante, & in Monasterio Lectionem cantante in choro, de S. P. N. Franc. Xauerio in duabus aut tribus occasionibus, & de aliis multis.

Aduerte, à nonnullis doceri, non posse idem corpus duobus in locis poni, nisi per reproductionem substantialem; quæ sententia omnino est improbabilis, Primò, nam positâ reproductione, adhuc debet dari alia actio productiua vbicationis; nam reproductio eadem est, siue hîc siue alibi fiat. Secundò, quis dicet, quando anima nouas acquirit partes materiæ, vel quando Angelus se dilatat, tunc eam reproduci? Tandem:

133 dem: quia nulla est talis reproductionis necessitas. Pro quo aduerte, hos etiam docere, tunc ibi in corpore produci nouam virtualitatem, realiter tamen idemtificatam. Sed hanc millies reieci tamquam imperceptibilem, & viam ad omnem distinctionem realem negandam. Ratio à priori, cur talis reproductio non requiratur? ea est, quia poni in duobus locis, nihil aliud est, quàm accipere duas vbicationes: sicut si diuinitus acciperet duos calores vt octo; ad hoc autem quid est necessarium, vt subiectum reproducatur? Fusiùs de hoc egi Disputatione III. de Eucharistiâ, à num. 8.

SECTIO IX.

Quæ accidentia possit habere vtrobique corpus existens in duobus locis.

ALIQVA sunt accidentia corporis alligata essentialiter huic spatio, scilicet hoc vbi, actio & vnio illius; & hæc non possunt poni in duobus locis, quantumuis eorum subiectum in pluribus ponatur. Quæstio igitur est de his formis accidentalibus & substantialibus, quæ absoluuntur à loco, de quibus quærimus, an necessariò, vel saltem connaturaliter debeant poni, vbicumque fuerit eorum subiectum.

PRIMA CONCLVSIO. Idem corpus quantumuis ponatur in duplici loco, non potest naturaliter habere accidentia contraria in gradibus intensis, non secùs ac si esset præcisè in vnico loco. Probatur, quia incapacitas ad ea accidentia prouenit ex contrarietate eorum, aut ex defectu virtutis ex parte subiecti; hæc autem contrarietas non tollitur per duas præsentias, ergo ratione illarum non habet virtutem vt possit recipere acci-
134 dentia contraria. Præterea, duæ vbicationes non augent vires subiecti, quia Petrum v. g. esse in duobus locis, non facit illud esse duplex subiectum, sed idem cum duplici formâ vbicationis, ergo non facit, vt ille habeat maiorem virtutem quàm anteà, aut accidentia minorem contrarietatem inter se; sicut licet ponerentur diuinitus in Petro duæ formæ contrariæ, calor v. g. & frigus in summo, non ideò augerentur eius vires in ordine ad accidentia opposita. Rationem à priori hanc ego reddo, quia vbicatio non est virtus, nec ratio formalis ad recipiendam albedinem vel frigus v. g. ergo eò quòd vbicatio multiplicetur, nõ additur virtus ad plura accidentia caloris, &c. Sicut quia color non est virtus calefaciendi, licet Deus infinitos colores homini adderet, non ideò esset magis calefactiuus. Vnde infero, quantumuis applicaretur ei subiecto in vnâ parte summus calor, in aliâ summum frigus, non ideò in vnâ summè calefaciendum, in aliâ summè infrigidandum; sed illa duo agentia attemperanda, non secùs ac si passum solùm in vno loco existeret, & ibi illa duo applicarentur, vnde produceretur in eo subiecto vtrobique calor & frigus vt quatuor.

135 Hæc Conclusio à fortiori intelligenda est de actibus odij & amoris, assensus & dissensus circa idem obiectum, qui magis repugnant inter se quàm calor & frigus, vt infrà ostendetur. Vlteriùs hæc Conclusio intelligenda est de duplici motu locali, quem simul non potest habere corpus illud existens in duplici loco: licet enim, eò quòd moueretur in duplici loco, nõ haberet plura vbi, quàm si quiesceret, quia tamen ipsum non conseruat illa duo vbi, sed alterum illorum, aliud verò conseruatur à solo Deo supernaturaliter, non potest vtrumque pro suo libitu deperdere, & commutare, sed præcisè illud quod naturaliter ab ipso conseruatur; ideoque etsi duo agentia extrinseca violenter illud corpus vellent in vtroque loco mouere, non magis possent, quàm si simul me hîc vellent duo homines mouere motibus contrariis, vnus ad Orientem, alter ad Occidentem, quod naturaliter est impossibile.

SECVNDA CONCLVSIO. De potentiâ absolutâ 136
potest Petrus in duobus locis habere omnia accidentia opposita, quæ simul potest habere si præcisè esset in vno. Hæc est certissima, quia esse in duplici loco, sicut non auget, iuxta suprà dicta, virtutem subiecti, ita nec minuit; & sicut subiectum potest in duobus locis poni, ita & forma.

TERTIA CONCLVSIO. Non potest de potentiâ absolutâ Petrus hîc odio habere aliquod obiectum, & illud Romæ amare, hîc assentiri, & dissentiri Romæ: & suppono, hos assensus nec de potentiâ absolutâ posse simul coniungi cum Petro in vnico loco. Hæc est contra nonnullos, censentes, diuersitatem locorum æquiualere diuersitati temporis, ac proinde sicut diuersis temporibus potest quis amare & odio habere idem obiectum, assentiri & dissentiri illi, ita etiam posse in diuersis locis in vno peccare, in alio dolere de peccato, &c. quia non sunt contradictoria, hîc amare & Romæ non amare, ergo neque hîc amare & Romæ odio habere.

Vt radicitus hæc opinio reiiciatur, & nostra 137
Conclusio confirmetur, aduertendum est (vt suprà dixi) per duas vbicationes non reddi subiectum duplex vel maioris virtutis, sed tantùm reddi informatum duplici præsentia inter se distanti: sicut, si in hoc eodem loco haberet duas præsentias distinctas, indistantes tamen, non esset duplex subiectum, nec haberet duplicem virtutem magis, quàm si vnicam haberet præsentiam. Ex quo infero manifestè, illum hominem non posse simul amare & odio habere idem obiectum, magis quàm si vnicam haberet præsentiam, aut in vnico loco duas vel tres; quia distantia aut multiplicatio præsentiarum non facit eos actus odij & amoris opponi minùs inter se, nec facit subiectum esse duplex, aut habere maiores vires. Et hinc patet solutio manifesta ad rationem in oppositum. Ad exemplum de diuersis durationibus facilè respondetur, disparitatem in eo consistere, quòd cùm illæ diuersæ durationes non sint simul, sed vna post aliam, æquiualent duo-
bus subiectis: vnde Petrus v. g. heri & hodie po- 138
test ferre pondus, quod simul non nisi duo homines ferre possunt. Et ratio à priori est, quia quando fertur vnum pondus vnâ existente durationè, propriè non fertur aliud, sed feretur, vel latum est, quæ est denominatio purè extrinseca in ordine ad tempus præsens. Illæ tamen duæ diuersæ vbicationes cùm sint simul, & aliunde nihil addant virium subiecto (nam incapacitas huius ad formas contrarias, vel defectus virium ad ferenda v. g. maiora pondera, est in ordine ad tempus idem, seu in ordine ad simul habendum eas formas oppositas) & hæc simultaneitas non tollatur per diuersas vbicationes, inde fit, vt per illas

illas non addantur nouæ vires subiecto, sicut etiam in contrariâ opinione non adduntur, quantumuis in hoc eodem spatio imaginario Petrus habeat plures vbicationes distinctas. Ad vltimã probationem, desumptam ex eo, quòd non sint contradictoria, *Petrum hic amare, & Romæ non*, facilè respondetur, Petrum hîc amare non verò Romæ, nihil esse aliud, quàm hic existere simul cum illo amorem, Romæ autem non existere eius amorem, ad quod non requiritur maior virtus in
139 Petro, sed præcisè vt Deus nolit ponere amorem in duobus locis, sicut ponit Petrum, quod de facto cernitur in animâ rationali existente in pede & in capite, cùm tamen amor & cognitio in solo capite resideat. At odium & amor opponuntur per suas positiuas entitates in ordine ad idem subiectum pro eodem tempore, ideoque non possunt esse simul cum illo etiam in diuersis locis; & maius est, Romæ odio habere quàm non amare: nam in odio haberi includitur non amare & aliquid ampliùs, scilicet odium, quod repugnat amori hîc existenti. Vbi aduerte, contra aliquos, etiamsi anima eadem Romæ non habeat cognitionem quam habet hîc Pragæ, non propterea illam Romæ ignorare quod hîc scit: cùm enim illa sit eadem formalissimè anima quæ est etiam hîc, inde euidenter fit, vt si hæc scit quæ hîc fiunt, etiam anima Romana eadem sciat, licet ibi non habeat cognitionem, sed hîc. Quare si Romæ interrogaretur, quid sciat de illo obiecto, illa respondebit, Hoc obiectum à me cognoscitur Pragæ; & ego illi ibi meritò assentior. Vnde tandem sequitur, eos non posse eidem ibi dissentire, sicut nec ibi amare, & hîc illud idem odio habere. Quæ etiam in ordine ad Deum locum eodem modo habent: non enim potest anima ea Romæ existens esse Deo grata, & ab illo amari, eadem autem simul & semel Pragæ odio haberi; haberet namque simul Deus idem omnino obiectum odio & amori, nam vbicationes animæ non terminant vllo modo odium vel amorem Dei. Sicut ob eamdem rationem non potest Deus de facto amare animam iusti quæ est in capite, vbi habet sibi vnitam gratiam, & eamdem animam, non habentem in pede aut manu eam gratiam, odio habere vel non amare: cùm vna sit formalissimè idem cum alterâ.

SECTIO X.

Quæ comitentur necessariò corpus, vbicumque ponatur.

140 PRIMA CONCLVSIO. De potentiâ absolutâ non est necesse, vt vtrobique habeat omnia, aut aliqua accidentia, quæ habet in vno loco; potest enim carere omnibus Romæ, quæ habet Pragæ. Probatur, quia si ob aliquam causam id repugnaret, maximè, quia sequeretur idem corpus habere & non habere ea accidentia; sed hoc non sequitur, ergo. Probo Minorem, quia vt dicatur *non habere illa*, requiritur vt nullibi ea habeat; sicut, vt dicatur absolutè anima non habere intellectionem, non sufficit illam non habere in pede, sed vlteriùs requiritur vt nullibi illam habeat, ergo non sequuntur illa duo contradictoria. Confirmatur; esse ea accidentia Romæ, & non esse Pragæ, non repugnat, nec contradictoriè, imò nec naturaliter, ergo neque habere illa Romæ & non Pragæ; sicut non repugnat Christũ habere extensionem in cælo & non in Eucharistiâ, item animam habere intellectionem in cerebro & non in pede.

P. Vasquez contrarium opinans dicit, Materiam esse vnitam formæ, est aliquid independens à loco, ergo si alicubi est vnita, necessariò etiam de potentiâ absolutâ debet esse vbique vnita. Nego consequentiam, quia illam vnionem absolui à loco, sufficit vt vtrobique possit poni diuinitus; vt autem necessariò etiam diuinitus debeat poni, nihil efficit: quod patet in cognitione residente cum animâ in solo cerebro, non verò in pede, etiamsi cognitio non sit alligata spatio imaginario. Item Verbum diuinum esse vnitum humanitati 141
est aliquid absolutum à loco, & tamen non vbicumque est Verbum, est humanitas illa vnita; ergo licet accidentia esse vnita animæ, sit aliquid absolutum à loco, non sequitur, vbicumque est anima, ibi futura ea accidentia. Ratio à priori, quia (vt iam diximus) esse illam vnionem Romæ, non opponitur contradictoriè nec naturaliter cum hoc, quod est, non esse Pragæ, vt patet in ipsis vbicationibus; neque alligatio ad locum quidquam conducit ad hoc, quia non magis opponitur negatio vbicationis cum vbicatione, eò quòd sit alligata loco, quàm si non esset, nec opponitur minus quàm negatio vnionis cum vnione; ergo sicut potest poni Romæ vna vbicatio cum Petro, & illa non poni Pragæ; ita etiam poterit quælibet alia forma vel substantialis vel accidentalis aut modalis poni Romæ cum Petro, & Petrus sine illâ Pragæ. Ratio à priori est, quia licet, animam esse vtcumque vnitam accidenti, sit independens à loco, eam tamen esse Romæ vnitam, non est independens, sed omnino dependens à loco; malè ergo ex independentiâ vnionis à loco vt absolutè existat, infert P. Vasquez independentiam à loco, vt ea vnio sit Romæ vel Pragæ, quod non aliud est, quàm si in sententiâ ipsius, aientis Angelum esse posse sine omni loco, diceret quis, *Angelus vt existat non pendet à loco, ergo neque vt existat hic, pendebit ab vbicatione hic*, quam consequentiam ipse meritò negaret: & in omnium sententiâ, *homo, vt sit, non pendet ab hac vbicatione, ergo neque vt sit hic, pendet ab vbicatione hic*, est valdè mala consequentia.

Sed respondet Vasquez exemplo à nobis peti- 142
to paulò antè ex Verbo diuino humanitati vnito, ita suam doctrinam hîc debere intelligi, vt quando subiectum & forma adæquatè sunt inter se vnita in loco, tunc vbicumque est vnum, ibi necessariò debere esse & alterum, non verò, quando solùm inadæquatè sunt in loco; sicut humanitas Christi, quæ solùm est inadæquatè vnita Verbo, quapropter non esse necessariũ, vt sit vbicumque est Verbum. In hac solutione supponit Vasquez id de quo disputamus: quod vt intelligas, aduerte, esse aliquid adæquatè in loco cum altero, idem esse formalissimè, ac esse in omnibus locis in quo est illud alterum, & non in plurib̃us. vnde dicere, *quæ sunt adæquatè in loco, debent esse in iisdem locis vnum atque alterum*, idem est ac dicere, quæ sunt in eisdem locis, debent esse in iisdem locis: quod quidem quia verissimum est, non audemus P. Vasquez negare. Sed de hoc 143
disputamus, an quæ alicubi sunt vnita, necessariò vbique debeant esse vnita, seu (quod idem

est)

est) necessariò debeant esse adæquatè in loco. Ego nego hoc, & affero euidentes instantias ex animâ rationali & Verbo diuino. Quo ergo pacto illis respondes? vel quare dicis, albedinem adæquatè debere correspondere subiecto in omni loco, eò quòd sit illi vnita? quandoquidem humanitas Christi Verbo, & actus spirituales animæ non respondeant ipsi animæ adæquatè in loco, licet illæ sint vnitæ.

Respondebis: Petrum esse album, est independens à loco. Sed contrà, quia humanitatem esse vnitam verbo, & actus etiam esse vnitos animæ, non minùs est independens à loco, quàm Petrum esse album, quod consistit in albedine illi vnitâ.

Vrgebis: Eò, quòd Petrum esse album non pendet ab eo quòd habeat vel non habeat filium, ridiculum est distinguere. Petrus est albus sine filio, non verò cum filio, ergo cùm esse album sit independens à loco, etiam erit ridiculum dicere,
144 Petrus est albus hîc, non verò Romæ. Fateor, Petrum esse album, vt sic, non pendere à loco, sicut nec Petrum existere; verùm quando additur, Petrum esse album hîc, quis potest negare pendere ab isto loco? sicut quando dicitur, Petrus existit hîc pendet à loco, licet, vt existat simpliciter, non pendeat à loco? Imò tu ipse, velis nolis, id fateris: dicis enim, si Petrus sit albus Romæ, & ponatur simul alibi, debere etiam produci in albedine ipsius nouam vbicationem in eo secundo loco in quo ponitur Petrus. Inde arguo: Ergo Petrum esse album in secundo loco, non est independens à secundâ vbicatione albedinis; ergo quantumuis, vt absolutè dicatur albus, non pendeat ab hac vel illâ vbicatione, vt tamen hîc sit albus, pendet ab vbicatione albedinis. Neque video, cur hæc aut vlla replica habeat minorem difficultatem in animâ rationali, & humanitate Christi, iuxta paulò antè dicta, quàm in Petro
145 vnito albedini. Exemplum de Petro albo cum filio aut sine illo, est omnino extra rem, quia Petrus nec per filium constituitur albus, nec in loco, & sunt prorsus omnino disparata. Quòd si velis illam propositionem copulatiuam facere, *Petrus est albus cum filio*, id est, Petrus & filius sunt albi, tunc proculdubiò eius veritas pendebit & ab eo quòd Petrus habeat filium, imò & quòd filius sit albus. Vel si alium sensum illi des, *Petrus albus est cum filio*, hæc pendet ab eo quòd filius sit cum parente. At in nostro casu, licet Petrum esse album non pendeat ab vbicatione, verùm eum esse album Romæ, seu cum esse Romæ cum albedine, quod idem est; quis poterit negare, esse dependens ab eo quòd Romæ sit albedo? Sicut in exemplo de Verbo & animâ rationali ad nauseam vsque, sed coactus repetij. Ratio à priori est, quia *Petrus albus* est concretum ex Petro & albedine: potest autem Petrus esse in duobus locis, & albedo in vno, & tunc Petrus non erit vtrobique albus; neque maius est totum hoc mysterium.

146 SECVNDA CONCLVSIO. Naturaliter loquendo, non potest vllum subiectum vel forma esse in duobus locis, nisi habeat vtrobique naturale suum complementum. Et ratio est, quia quælibet res petit, vt vbicumque sit, sit perfecta & completa. Vnde eo ipso, quòd materia ponatur in duobus locis, debet naturaliter cum ipsâ poni etiam forma substantialis: vel si hæc in duplici loco ponitur, debet poni & materia; item passiones, & alia à quibus subiectum naturaliter pendet, quod videtur denotare Tridentinum sessione 13. cap. 3. vbi dicit, propter naturalem concomitantiam sub qualibet specie poni animam, corpus, sanguinem, & personalitatem. Sentit ergo Concilium, hæc naturaliter esse connexa in ordine ad omnem locum.

TERTIA CONCLVSIO. Cetera accidentia, aut 147
res vnitæ, quæ non sunt de naturali & debitâ perfectione subiecti aut termini cui vniuntur, non necessariò, si terminus in duobus locis ponitur, etiam illa in duobus locis ponuntur, v. g. cognitio, amor, habitus cum animâ. Hoc probatur à posteriori, quia anima licet existat in pede tota, non tamen ibi habet actus cognitionis & amoris, sed solùm in capite: cuius ea potest reddi ratio, quia cùm sine illis possit connaturaliter anima existere, non est cur debeantur, illi vbicumque sit. Quòd si non debentur, nouum miraculum erit, ponere illa in duplici loco, quia non est ratio petens vt ponantur, & est aliquid resistens, scilicet naturalis incapacitas seu repugnantia cuiuscumque rei ad existendum in duobus locis totalibus. In hoc consentio ex parte P. Suarezio Tomo 3. in 3. Partem disputat. 48. dum ait, quando æquè primò idem corpus in duobus locis ponitur, non esse necessarium vt vtrobique eædem qualitates, non pertinentes ad perfectionem naturaliter debitam subiecto, ponantur, sed pendere à volitione Dei quòd ponatur vel non.
Addit tamen, si priùs extitit corpus in vno loco, 148
& ponitur postea in altero, retento etiam priore, debere secum trahere omnes qualitates quas in primo habebat. Sed hoc vltimum non placet, quia extitisse & non extitisse cum illis qualitatibus anteà, omnino videtur per accidens, ad hoc vt debeant poni in duobus locis: neque enim ipsæ qualitates cum subiecto, vel subiectum cum ipsis maiorem habet connexionem. Etiam displicet quod ait, pendere à voluntate Dei, vt vtrobique ponantur hæ qualitates, si loquatur de voluntate naturali: quia si semel dicatur, non esse necessarium poni, debet etiam dici, nec posse poni naturaliter; quia illæ duæ vbicationes repugnant per se naturaliter illis accidentibus, nisi sit aliquid quod aliunde eas petat, quod tu iam supponis non esse.

Sed obiiciet quis contra Conclusionem: An- 149
gelus existens in totâ scholâ naturaliter v. g. non solùm habet in vnâ parte illius suos actus intellectus & voluntatis, sed etiam in totâ scholâ; ergo res existens in duobus locis, debet in illis habere omnes qualitates, etiam eas sine quibus posset etiam aliàs naturaliter existere. Sed concesso Antecedente, nego consequentiam, si intelligatur de re existente miraculosè in duobus locis; concedo autem, si de re naturaliter existente in multis partibus loci constituentibus vnum totum totalem, vt patet in Angelo. Cuius ratio ea reddi potest, nam accidentia subiecti proportionantur cum naturâ ipsius subiecti. vnde si subiectum naturaliter potest locum diuisibilem occupare, ita vt totum sit in qualibet parte illius loci, sicut Angelus in scholâ, ita etiam eius perfectiones & accidentia poterunt esse & debebunt cum ipso Angelo in totâ scholâ: quando autem positio subiecti

iecti in duobus locis non est illi connaturalis, sed potiùs contra illius naturam (in quo casu solùm loquimur in præsenti) tunc non, quia Deus velit facere contra naturam subiecti, dando illi duas vbicationes separatas, ideò etiam debet facere contra naturam accidentis, dando illi & alias duas, præsertim quando sine illo accidenti connaturalissimè existit subiectum.

150 Sed vrgebis: Anima rationalis naturaliter est in pede & in capite, & tamen non habet in pede secum suos actus, ergo doctrina proximè data nulla est. Sed respondeo, ex ipso exemplo animæ rationalis confirmari magis totam meam doctrinam, & eius consequentiam ostendi: licet enim anima rationalis occupet naturaliter spatium diuisibile, sicut Angelus, & ex hac parte posset etiam in pede habere suos actus, & quando est separata, illos habeat in toto spatio diuisibili quod occupat; quia tamen illi actus aliquo modo pendent in fieri à dispositionibus existentibus in capite, ideò solùm in capite ponuntur, & non tenetur Deus naturaliter supplere illam dependentiam, vt eos ponat vbicumque est anima, quia non sunt è debito complemento animæ: ergo similiter, quando ponitur subiectum miraculosè in duobus locis, cùm obstet repugnantia accidentium ad duo loca, non tenebitur Deus naturaliter istam repugnantiã supplere, vt ea ponat in duobus locis, quandoquidem non sunt de complemento debito subiecti. Angelus autem habet in totâ scholâ suos actus, & quia ipse existit naturaliter, & quia illi actus non pendent à loco, nec habent vllum impedimentum, ne in toto loco connaturali Angelo possint esse.

151 Hîc nonnulli, ad explicandam difficultatem hanc, dicunt, quodlibet subiectum in omni loco totali debere habere omnes actus & qualitates, non tamen in omni parte illius loci; sicut vbicumque est domus Regia debet esse cœnaculum, non est autem necesse vt in omnibus partibus domus sit cœnaculum. Et hoc pacto explicant, quare anima non debet habere etiam in pede suos actus; nam totum corpus est per modum vnius arcis animæ: vnde sufficit, si habeat actus in vnâ parte eius corporis seu arcis. Idem dicunt de vnione ipsius animæ existente in pede, & non in capite. Si autem poneretur, inquiunt hi, in aliquo loco distincto quasi in alterâ domo, ibi etiam deberet habere suos actus.

152 Quòd si vrgeas, Ergo Angelus existens in schola, non necessariò in omnibus partibus illius habebit suos actus; negant consequentiam, quia Angelus ita est in qualibet parte spatij, vt possit ibi manere, etiamsi non maneat in alterâ. Hæc doctrina gratis & sine fundamento traditur: deinde impugnatur, quia iuxta hanc explicationem, etiam anima rationalis in capite est vt in spatio adæquato, quia potest ibi manere licet pes abscindatur, sicut Angelus in parte scholæ; ergo debet in capite habere quidquid in pede, quod tamen à te & meritò negatur; non ergo bona est hæc ratiocinatio de spatio adæquato; meliùs ergo iuxta à nobis dicta explicatur præsens difficultas.

153 Sed dices contra nos: Verbum diuinum naturaliter existit vbique, & aliunde vnio ad humanitatem non pendet à loco, ergo iuxta ea quæ suprà dixi, debet habere vbique humanitatem vnitam. Respondeo negando consequentiam, quia humanitas non petit naturâ suâ vniri cum Verbo diuinò, imò hoc illi naturaliter repugnat; suprà autem solùm diximus, ea accidentia aut quasi accidentia sequi subiectum, & conformari cum illo, quæ sunt illi connaturalia, quia hæc proportionantur cum illo; ergo humanitas Christi, quæ non petit connaturaliter Verbum, non necessariò proportionatur cum illo, & consequenter non est necessarium vt sit vbicumque est Verbum.

Adhuc obiicies: Potest effectus poni in duplici loco, quin eius causa existat in vtroque, non enim apparet ratio, cur necessarium sit eam existere vtrobique; ergo poterunt etiam accidentia, quæ dependent à causâ existente in vnico loco, poni in duplici simul cum subiecto. Quòd si semel concedatur posse poni, videtur dicendum, & debere propter dependentiã quam habent à subiecto, & propter vnionem cum illo; quo corruit tota doctrina data. Respondeo, etiamsi possit effectus existere in duplici loco diuinitus, quin in vtroque existat eius causa, non tamen id posse naturaliter fieri. Si enim subiectum habet naturalem connexionem cum formâ quâ completur, à fortiori eam habebit cum causâ & dispositionibus à quibus producitur, & magis pendet; ergo naturaliter non poterit esse nisi approximatum causæ, ergo bona est ratio, cur actus nostri in corpore non sint vbicumque est corpus, eò quòd aliquo modo pendent in fieri à dispositionibus quæ sunt alibi. 154

Rogabis, vtrùm corpus existens in duobus locis possit recipere, licet non motus contrarios, vt suprà diximus, saltem duos impulsus. Negant nonnulli, quia illud corpus non habet vim vt resistat illi duplici impulsui, ergo non poterit illum recipere; quia si recipit, vel debet moueri ab vtroque, & id repugnat; vel resistere, & ad id non habet vires, ergo. Non acquiesco, quia licet reciperet vtrumque impulsum, & maneret immotum, adhuc ipsum non resisteret, sed Deus, qui vt auctor supernaturalis conseruat miraculosè illud vbi: sicut licet papyrus v. g. non habeat vires vt resistat impulsui venti, si tamen ego illam manu teneo, adhuc non mouebitur à vento, me resistente, non ipsâ papyro, impulsui venti; non est ergo cur negetur, vtrobique imprimendum impulsum in illud corpus ab illis duobus agentibus contrariis. 155

Rogabis Secundò, an, si Romæ esset corpus Petri sine vnione ad animam, Pragæ verò vnitum, esset dicendum mortuum Romæ. Quæstio est de nomine, & parui momenti. Dic quod placuerit; mihi magis arridet modus loquendi negans, eò quòd mors absolutè significat, non esse in rerum naturâ vnionem animæ ad corpus.

Rogabis Tertiò, an si quis existens Romæ occideretur, deberet etiam occidi Pragæ. Respondeo affirmatiuè, naturaliter loquendo, quia forma cadaueris, quæ in vno loco introduceretur in materiam, deberet etiam introduci in alio, quia materia non posset naturaliter manere cum duplici formâ, scilicet cadauericâ & rationali, neque cum dispositionibus ad illas (vt ostendi paulò antè de omni subiecto) ergo in vtroque loco eamdem deberet habere, scilicet cadauericam, quæ introducta est, vt supponimus, Romæ. 156

SECTIO XI.

De Vacuo.

VACVVM dicitur spatium imaginarium carens corpore, & aptum illud naturaliter habere. Differt à spatiis imaginariis extra cælum, sicut priuatio à negatione: quia illa spatia non exigunt habere corpus, ideò habent negationem illorum; vacuum autem dicit exigentiam corporum. Tale esset v. g. si in hac scholâ per miraculum nullum corpus remaneret, ideoque tunc esset priuatio corporum.

157 Dubitatur, vtrùm possit esse in rerum naturâ, id est intra concauum lunæ, eiusmodi vacuum naturaliter. Communis & vera sententia negat cum Aristotele. Videantur Conimbricenses hîc cap. 9. quæst. 1. Probatur à posteriori, quia videmus, eo ipso quòd fistulâ attrahatur aër, attrahi post illam aquam, quantumuis illa grauet; attrahi, inquam, ad replendum vacuum relictum ab aëre. Item si latera follium constricta sint, & nulla sit pars quâ ingrediatur aër, nullâ vi possunt separari, ne detur inter illa vacuum. Plures aliæ sunt experientiæ similes, quæ non patiuntur hac de re dubitare. Solùm aduerto, hîc communiter adduci ad id probandũ experientiam vasis clausi, quòd si aqua intus congeletur, disrumpitur vt repleatur vacuum: id infrà Disputatione XVI. à num. 162. euidenter ostendam huius experientiæ non esse eam rationem. A priori solet hæc veritas probari, eò quòd res vnitæ faciliùs conser-

158 uentur, quàm res discontinuatæ. Sed hoc facilè reiicitur, quia in primis res diuersæ speciei non vniuntur, sed solùm sunt vicina, vti & contigua: quam autem vtilitatem habet aqua, eò quòd sit contigua terræ aut igni? certè ab his alteratur potiùs quàm conseruetur. vnde satius videbatur illi futurum, ab eis esse separatam, ne posset debellari, quàm coniunctam, vt ab eis patiatur.

Secundò alij dicunt, id fieri, ne per vacuum intercludatur corporibus inferioribus influxus cælorum. Sed neque hi solidiùs discurrunt: quia licet daretur aliquod vacuum, possent corpora cælestia per latera influere in sublunaria. Contrà deinde, quia non continenter influunt cælestia in ea corpora, vnde per breue tempus rectè posset esse vacuum. Quid enim? abibitne statim in nihilum lapis, si per mediam horam non accipiat influentias lunæ aut solis?

Tertiò alij: Quia natura abhorret otiosum. Sed contrà, quia vacuum illud propriè nihil est, vnde illud non esset propriè otiosum. Contrà Secundò, quia sicut vltra cælum datur naturaliter hoc otium, quia non dantur vlla corpora, cur non poterit illud dari intra concauum lunæ?

159 Ratio ergo à priori sit, quia naturaliter repugnat duo corpora intra se penetrari; vt autem esset vacuum, deberent penetrari, ergo illud non poterit esse naturaliter. Maior est certa. Consequentia est euidens. Minor probatur, quia Deus initio mundi condidit tantam materiam, cum quantitate quæ sufficeret ad totum hoc complendum spatium infra cælos: nam si aliquid maneret vacuum, vt quid Deus produxisset tam magnum concauum, cùm vacuum ad nihil deseruisset? ergo eo ipso quòd totum hoc spatium plenum sit corpore, non poterit aliud vacuum manere, nisi corpus quod relinquit illud vacuum, penetretur simul cum alio; quod repugnat, nec enim erat anteà aliud vacuum in quo posset illud corpus poni, si non penetraretur cum altero.

Obiicies: Vas plenum cinere vel farinâ potest 160
in se recipere aliquam aquam, ergo quia habebat in se vacuitatem. Nego consequentiam, sed quia habebat poros; non quidem vacuos, sed plenos aëre, qui tunc egreditur foras, vt faciat locum aquæ; ipse autem ponitur in loco in quo anteà erat aqua, de quo fusiùs infrà, dum de Rarefactione egerimus.

Obiicies Secundò: Corpus Christi Domini, beatæ Virginis, & aliorum qui modò sunt in cælo, reliquit vacuum in hoc vniuerso, ergo. Respondeo, Deum produxisse loco eorum corporum de nouo alia corpora, vt totum hoc vniuersum perfectum esset, quia vacuum illud inutile prorsus esset.

Secundò potest dubitari, à quo moueantur corpora grauia, quando contra naturam suam eleuantur ad replendum vacuum, vel à quo deprimantur leuia. In nostrâ sententiâ præstò est 161
ratio, quæ ab aliis valdè difficulter redditur. Mouentur ergo à corpore auferente illud aliud, in cuius locum ipsa succedunt. Verbi gratiâ, attraho ego per fistulam aërem, aër motus à me, pellit è loco aliud corpus secum incompossibile, hoc autem mediatè vel immediatè impellit aquam vt ingrediatur in locum relictum ab aëre, & ita det locum corpori moto ab aëre: sicut quando mouetur lapis, ipse mouet aërem, & facit vt ponatur in loco in quo anteà erat ipse lapis, alioquin neutrum posset moueri, quia non haberet locum in quo poneretur.

Tertiò dubitatur, an sit possibile vacuum de potentiâ absolutâ. Respondeo affirmatiuè: sicut enim modò est extra cælum, & hîc erat ante productionem mundi, potest etiam & modò esse.

Quartò dubitatur, an in eo vacuo possit esse 162
motus successiuus. Respondeo affirmatiuè, quia corpora circumstantia non adiuuant, sed potiùs retardant motum, solumque requiritur aliquod corpus cui graue innitatur: at hoc rectè potest suppleri de potentiâ absolutâ, præterquam quòd in Angelis nec naturaliter requiritur. Vtrùm autem per illud vacuum posset vel deberet esse motus in instanti, dicetur infrà.

Tandem potest dubitari, vtrùm lapis descenderet per illud vacuum in centrum. Et ratio dubitandi est, quia tunc per illum descensum redderetur incapax recipiendi cælorum influentias, ergo non descenderet in centrum. Respondeo tamen, descensurum, Primò, quia corpora inferiora non adiuuant sed retardant eius descensum, 163
ergo tunc faciliùs moueretur quàm modò. Neque impedit incapacitas recipiendi influentias, tum quia eas posset recipere per corpora collateralia, tum quia lapis nullas fortè accipit à cælo, vt suprà dixi. Sed quid, si non esset infrà lapidem terra? Adhuc dico, ferendum illum lapidem propriâ grauitate in punctum æqualiter distans à cælo vndequaque & quod nunc constituit centrum. Et ratio est, quia lapis ob suam grauitatem exigit poni infra alia corpora & elementa leuiora; sicut lapis, qui modò est in centro, quiescit ibi.

ibi, ob eamdem rationem. Alij casus excogitari possunt his similes, de quibus, sicut de præcedentibus, fortè nihil dicitur certum: quia cùm de illis non habeamus experientiam, nec ex his, quæ videmus, quidquam possit inferri, non nisi diuinando discurritur.

DISPVTATIO DECIMAQVINTA.

De Duratione.

1 DVRATIO est forma illa, per quam res existit in tempore; sicut vbicatio est forma, per quam res existit in loco.

Dubitari potest, vtrùm duratio dicatur quæcumque existentia in tempore, etiamsi sit per vnicum instans; an verò requiratur persistentia in esse. Quæstio est de solo nomine: probabilius reputo cum Hurtado Disputatione 17. Metaphysicâ §. 7. requiri persistentiam in esse; nam durare idem est ac perseuerare, ex communi acceptione. Vnde duratio distinguitur à primâ existentiâ, sicut conseruatio à primâ productione, solùm per denominationem extrinsecam à præcedentiâ vel carentiâ alterius durationis in instanti antecedenti. Licet autem hæc ita sint, in rigore tamen Philosophico etiam ipsa prima existentia dicitur duratio, & comprehenditur
2 in hac Disputatione de Duratione. Imò nos (vt infrà constabit) omnem durationem ponimus successiuam & instantaneam: vnde licet ex parte ipsius subiecti detur propria denominatio durantis in hoc sensu Grammaticali, scilicet perseuerantis in suo esse, ex parte tamen durationis nulla est perseuerantia, sed vna alteri succedit, vnde nulla in eo sensu durat. An autem duratio sit ratio mensuræ, vel respiciat tempus imaginarium, & quomodo maior & minor sit, inferiùs constabit, explicatâ priùs eius distinctione à re durante.

SECTIO I.

An duratio distinguatur à re durante.

INQVIRIMVS, an Petrum v. g. existere hodie & cras, sit aliquid intrinsecè superadditum ipsius substantiæ, sicut de vbicatione diximus Disputatione præcedenti; an verò sit denominatio quædam extrinseca ab ipso tempore vel reali vel imaginario, sicut de similitudine dictum est Disputatione XII. Logicæ, à num. 41.

3 Thomistæ nonnulli apud P. Suarez Disputatione 50. Metaphysicæ, sect. 2. num. 2. opinati sunt, durationem consistere in solâ mensurâ rei durantis cum tempore.

Hæc sententia Primò falsa est, Secundò inintelligibilis, quia vel ad durationem requirit actualem commensurationem cum tempore, & hoc est omnino falsum. Licet enim nullum agens esset intellectiuum quod mensuraret, vel si ea agentia omnia dormirent, & nihil de mensuratione cogitarent, proculdubiò adhuc res magis & minùs duraret in seipsâ, ergo duratio non pendet ab actuali commensuratione, & multò minùs in eâ consistit. Sed nec requiritur mensurabilitas etiam in actu primo, propter eamdem rationem: quia si nullus esset possibilis intellectus capax mensurandi, adhuc posset intelligi duratio. 4
Quòd si nomine mensuræ coëxistentiam cum aliâ re intelligant, etiam falluntur, quia Deus solus verè durauit ab æterno, nec mea duratio per se pendet ab existentiâ alterius, nisi quatenus est creatura (quæ vt sic pendet à Deo) quod non ex conceptu durationis, sed aliunde prouenit. Adde, si hoc volebant dicere, Thomistæ, quid erat necessum recurrere ad eos terminos de mensuris? sed clarè per coëxistentiam diuinum id oportebat explicare.

Secundò principaliter reiiciuntur, quia illa mensura vel mensurabilitas, est aliquid ab existentiâ rei durantis separabile; ergo per hunc modum dicendi non respondent quæstioni præsenti.

SVBSECTIO PRIMA.

Duratio distinguitur à re durante, & primum pro hac re argumentum.

DIVVS Bonauentura in 2. dist. 2. in 1. Partem art. 2. quæst. 3. distinguit durationem à re durante, sicut vbicationem à re vbicatâ, docetq; eam esse formam naturâ suâ constituentem rem in hoc vel illo tempore, sicut vbicatio constituit in hoc vel illo loco. Hanc sententiâ reputant probabilem Scotus in 2. dist. 2. quæst. 1. Richardus eadem dist. art. 1. quæst. 3. Vasquez 1. Parte, quæst. 3. art. 40. dub. 1. ad 3. P. Salas Tomo 1. in 1. 2. tract. 7. disput. 2. sect. 12. quam & ego reputo probabiliorem cum recentioribus grauissimis, proboque Primò eodem argumento, quo suprà ostendi distingui vbicationem, actionem, vnionem, &c. Quia hoc, quod est Petrum hodie durare, est aliquid reale, vt nemo negat; sed hoc est separabile ab existentiâ Petri, ergo est aliquid distinctum ab eâ. Consequentia est euidens. Minor probatur, quia Petrus existebat heri cum totâ suâ substantiâ & existentiâ, & potuit mori, quo casu non durasset hodie; ergo durare hodie realiter est separabile à substantiâ Petri, alioquin non posset esse substantia Petri, nisi duraret hodie; sicut non potest esse substantia Petri, quin sit animal rationale, quia hoc non distinguitur ab illâ. Aliquas solutiones huius argumenti, quæ sunt communes negantibus modos omnes, vide fusè refutatas Disputatione IX. à num. 18. & Disput. XIV. à num. 8. & 34. 5 6

Retorquent quidam hoc argumentum Primò contra eius auctores: quia, si tenerent consequentiam de connotatis, non videretur argumentum tam robustum, possent enim distinguere Antecedens hoc modo, Petrus & instans possunt absolutè existere, quin coëxistant, quantum ad entitatem, negatur Antecedens; quin coëxistant quantum ad denominationem, transeat; ergo 7

coëxistentia est entitas superaddita, negatur consequentia. Sed in primis malè hi Doctores hoc argumentum putant solùm esse eorum qui connotata admittunt, vnde hæc non est instantia contra omnes. Secundò neque contra Connotantes, quia si illis conceditur, posse Petrum & instans existere sine denominatione coëxistentiæ, ipsi rectè inferunt, Ergo quando est talis denominatio, debet dari noua entitas: at nulla alia est nisi duratio intrinseca, vt & nos ostendemus infrà, ergo.

8 Aduerte, istos Connotantes in hoc solo puncto ab his Doctoribus & aliis differre, quòd admittunt denominationem nouam intrinsecam sine entitate intrinsecâ nouâ; at denominationem nouam sine nouâ entitate vel intrinsecâ vel extrinsecâ non admittunt in creatis; ergo, si nulla est alia noua entitas, à quâ ea denominatio durantis proueniat, non loquuntur minùs consequenter, dum durationem intrinsecam ponunt. Sed sæpè alibi eos ab hac obiectione defendi.

Addunt ijdem, hoc argumentum etiam esse contra omnes; sic enim argumentantur: Duæ superficies se tãgunt per duas vbicationes contiguas sine vllo modo ab vtroque distincto, & tamen possunt illæ duæ vbicationes absolutè existere quin se tangant & coëxistant, quia vna potest existere successiuè post aliam in eodem loco, tunc autem non se tangerent, adduntque: non recurrendum ad durationem simultaneam, quia hæc non est ratio contiguitatis, sunt enim corpora
9 contigua se ipsis. Vellent hi Auctores ne recurreremus ad durationem simultaneam, quia per illam argumentum illorum prorsus nullum esse clarè ostenditur. Non tamen video, cur dixerint hoc non debere fieri: si enim se tangere, est simul eodem tempore esse in eodem loco, quis vmquam negare poterit, in eo mutuo contactu includi mutuam condurationem, siue ea distincta sit, siue non? Quòd si dicis, corpora esse contigua seipsis, licet requirantur vbicationes, cur non erunt, etsi requirant has simultaneas durationes? Vnde non benè docent, coëxistentiam duorum in tempore non includere durationem illorum: siue enim duratio distinguatur siue non, siue consistat in denominatione extrinsecâ à tempore siue non, peto, quid est *coëxistere*, nisi *simul durare*? *durare* autem *simul* nonne includit durare? Quid potest esse clarius? Videamus iam quid nostro argumẽto absolutè possit responderi ab aduersarijs.

10 Respondebunt ergo Primò, durationem addere supra substantiam Petri non quidem formam aliquam realem, sed solùm nouam connotationem ad tempus extrinsecum, & quia heri non dabatur ea connotatio ad tempus hodiernum, etiamsi daretur tota substantia Petri, adhuc Petrum non durasse hodie. Sed contrà Primò, quia si sermo sit de tempore reali, falsum omnino est, durationem connotare tempus reale, quia ipsum tempus reale durat, & non per connotationes ad aliud tempus: item Angelus existens ante omne tempus reale, verè duraret magis ac minùs, non secùs ac si esset productum tempus reale, & eodem modo, etiamsi esset impossibile omne tempus, aut quælibet alia creatura; ergo duratio non consistit in eâ connotatione ad tempus reale. Si verò sermo sit de tempore imaginario, contrà Primò, quia hoc est purum nihil; ergo ex con- 11
notatione ad illud non potest desumi noua realis denominatio. Patet consequentia, quia denominatio realis est entitas realis, ergo non potest noua esse denominatio realis, sine nouâ entitate reali: sed nouum tempus imaginarium non est noua entitas realis, ergo nec sufficiens ad dandam nouam denominationem realem. Contrà Secundò, do tibi, illud tempus esse aliquid reale, & ex coëxistentiâ nouâ ad illud tempus posse desumi nouam denominationem realem, adhuc sic argumentor: Hoc quod est Petrum coëxistere huic tempori imaginario, seu connotare illud, est aliquid separabile ab ipso Petro & ab ipso tempore imaginario, quia potuit esse vtrumque in rerum naturâ, quin inuicem coëxisterent, sicut de facto extiterunt in rerum naturâ Adamus & dies hesternus, & tamen inuicem sibi non coëxistitère; ergo hoc, quod est coëxistere, aliquid est ab vtroque distinctum.

Dices: Non potuerunt esse simul, quin coëx- 12
sisterent. Sed contrà, quia hoc quod est esse simul, aliquid est distinctum ab vtroque, Deus enim videt in rerum naturâ existentes plures actus futuros in æternitate, & videt etiam existens hoc tempus, nec tamen videt illos coëxistentes huic tempori, seu existentes simul; ergo hæc simultaneitas distincta est ab existentia vtriusque, hæc autem est duratio, ergo. Confirmatur exemplo vbicationis, licet enim Petrus & hoc spatium imaginarium non possint existere indistantes inter se, quin Petrus existat hìc, quia tamen Petrus & spatium absolutè possunt existere, quin inter se sint indistantes, ideò hoc quod est Petrum esse in hoc spatio, est aliquid distinctum à Petro & à spatio, ergo similiter hoc quod est Petrum coëxistere huic tempori, aliquid erit distinctum à Petro & tempore; quia vtrumque potest à Deo videri existens, etsi non videatur vnum alteri coëxistens.

His solutionibus diffidentes illi quos impu- 13
gnamus, præmittunt pro responsione, præteritum vel futurum non esse absolutè ens, & absolutè non existere, sed solùm secundùm quid, quod autem absolutè existit, esse absolutè de præsenti; vnde inferunt Primò, non posse absolutè Petrum & instans existere, nisi absolutè sint simul: & vlteriùs, ab absolutâ vtriusque existentiâ non posse separari coëxistentiam; ex quo inferunt, falsò à nobis dici, posse existere Petrum & instans B. sine coëxistentiâ, & malè nos inferre, *ergo illa coëxistentia est modus superadditus existentiæ absolutæ vtriusque*. Adduntque, Petrum qui durauit heri, non durare hodie, non prouenire ex defectu durationis, sed ex eo quòd Petri substantia corrupta est. Hæc est tota eorum 14
solutio. Eam autem clarè & facilè sic impugno, aduertendo ab istis accipi verbum *existere*, quod significat de præsenti & vnicum tantùm instans, vnde necessum est, vt si instanti & Petro conueniat existere actu, debeant actu coëxistere, sed in hoc ipso iam includitur duratio, quia iam ponitur Petrus existens in hoc instanti; & claritatis gratiâ (quod &, cùm hanc opinionem docui, obseruaui) ponamus exemplum in tempore præterito vel in futuro, quod habet latitudinem, & ibi solutionis fallacia manifestè apparebit. Argumentor ergo sic: Antichristus absolutè & simpliciter

pliciter erit in rerum naturâ, & craſtina dies abſolutè & ſimpliciter erit, & tamen non erunt ſimul; ergo hoc quod eſt *erunt ſimul*, aliquid amplius dicit quàm hoc, *abſolutè ambo erunt*. idē eſt
15 de præterito. Adamus verè, realiter & abſolutè fuit; item Abrahamus, ſiue tempus in quo Abrahamus extitit, verè & realiter & abſolutè fuit, & tamen verè, realiter & abſolutè non fuerunt ſimul Adamus & Abrahamus, & cum tempore vero & imaginario Abrahami; ergo fuiſſe ſimul, aliquid eſt amplius quàm abſolutè ambos fuiſſe, ergo ea ſimultaneitas eſt aliquid ſeparabile ab exiſtentiâ vtriuſque. Vides hîc iam non poſſe recurri ad eos terminos *abſolutè & ſimpliciter & actu*, qui confundebantur accipiendo inſtans præſens, quod eſt vnicum, & tunc ponendo ambos durare, clarè ſequebatur eos condurare ſeu coëxiſtere inter ſe, condurabant enim eidem tertio. Sed hoc ipſum eſt ab eis & ab exiſtentiis ſeparabile, & Deus voluit Adamum exiſtere, & exiſtere tempus hodiernum, & tamen non voluit vt exiſterent ſimul, quod tamen de
16 me & de hoc inſtanti voluit; ergo hoc aliquid eſt ſuperadditum meæ & inſtantis exiſtentiæ, non dico exiſtentiæ de præſenti, quia ibi iam eſt duratio, ſed exiſtentiæ ſecundùm ſe. Hæc impugnatio & declaratio noſtri argumenti tam oſtendit euidenter intentum, vt non ſit neceſſarium alia argumenta multiplicare.

Dices tamen: Deus, etſi videat futuram craſtinam diem & Antichriſtum, non tamen videt eos coëxiſtentes, quia non videt Antichriſtum extiturum quando exiſtet dies craſtina. Benè verum id eſt; at Antichriſtum exiſtere quando exiſtet dies craſtina, iam includit durationem craſtinam, hanc enim includit illud *quando*, quia hoc eſt ſeparabile à futuritione vtriuſque, videt enim Deus vtrumque futurum, & non videt vnum futurum, quando alius eſt futurus; ergo aliquid amplius videret Deus, ſi videret vnum futurum, quando alius eſt futurus.

17 Reſpondent Secundò alij, aſſignando differentias inter vbicationem & durationem, quia ſpatium imaginarium eſt fixum, ideoque non poteſt Petrus de nouo illi coëxiſtere, niſi in ipſo Petro mutatio aliqua fiat: at verò tempus imaginarium eſt naturâ ſuâ fluidum, ideoque ſine mutatione in ipſo Petro per ſolam mutationem & ſucceſſionem temporis imaginarij conſurgit in Petro noua denominatio *durantis hodie* vel *cras*; ſicut in arbore iuxta aquas ſitâ datur perpetua variatio coëxiſtentiæ ad diuerſas aquas ſine mutatione arboris, per ſolam aquarum ſucceſſionem. Sed contrà Primò, quia tempus imaginarium eſt omnino nihil, vnde per eius nouum aduentum non poteſt eſſe noua denominatio realis extrinſeca, etiamſi per aduentum nouæ & realis aquæ, poſſit in arbore eſſe noua mutatio
18 realis extrinſeca. Contrà Secundò, licet Petrus iam exiſtens in inſtanti imaginario, A. v.g. poſſit ſine mutatione ſui fieri præſens in inſtanti B. per ſolam ſucceſſionem inſtantis, hoc tamen quod eſt Petrum fuiſſe productum in inſtanti imaginario A, eſt aliquid ſeparabile à Petro & inſtanti A, quantumuis fluido, potuit enim produci in inſtanti B; ergo hoc, quod eſt Petrum coëxiſtere in inſtanti A, aliquid eſt diſtinctum ab vtroque, quantumuis inſtans ſit fluidum.

Tertiò impugnatur ſolutio principaliter, quia 19
Petrus adhuc exiſtens in hoc inſtanti eſt indifferens, vt exiſtat vel non exiſtat in craſtino, ſiue vt connotet vel nō connoret craſtinum; ergo connotare in ſtans craſtinum, nō habet Petrus præcisè per ſuam ſubſtantiam, ergo per aliquid diſtinctū, quod non poteſt eſſe ipſum inſtans, quia hoc etiam exiſtet deficiente Petro; ergo per durationem diſtinctam, ex cuius aduentu Petrus exiſtet in craſtino inſtanti, ex eius verò negatione non exiſtet in eo inſtanti. Ad exemplum ex aquis deſumptum iam reſpondi. Nunc illud retorqueo contra aduerſarios pro me, quia quantumuis aquæ fluidæ ſint, adhuc arbor non poteſt illis eſſe præſens, niſi per præſentiam diſtinctam ab ipsâ arbore, quia coëxiſtere illis, eſt aliquid ſeparabile ab arbore & aquis quantumuis fluidis; ergo ſimiliter ob eamdem rationem Petrum coëxiſtere ſpatio imaginario, quantumuis fluido, aliquid erit diſtinctum ab ipſo Petro & inſtanti, quia ab vtroque eſt ſeparabile; fuit enim ſeparabile à Petro, poni in eo tempore, in quo illi ſuccederent hęc inſtantia, & non potiùs alia, ſicut ab arbore fuit ſeparabile poni in hac ripâ iuxta quam tales aquæ fluerent, & non alibi vbi non fluerent illæ, ſed aliæ.

SVBSECTIO SECVNDA.

Alia argumenta pro noſtrâ ſententiâ.

REPLICÆ ſuprà factæ reſpondebis, illam in- 20
differentiam tolli per voluntatem Dei volentis creare Petrū in hoc inſtanti potiùs quàm in alio. Sed contrà, (& ſit hoc ſecundum argumentum efficaciſſimum pro noſtrâ ſententiâ,) quia voluntas Dei creandi Petrum in hoc inſtanti, habet pro obiecto aliquid diſtinctum ab ipsâ ſubſtantiâ Petri, quia hæc eadem eſſet, etſi produceretur heri: hoc autem diſtinctum non poteſt eſſe ipſum inſtans, tum quia inſtans imaginarium eſt nihil, nec creatur à Deo, vnde non terminat voluntatem Dei; tum quia inſtans exiſtet ſuo modo, etiamſi Petrus non exiſtat in eo. Et vt argumentum habeat maiorem vim, do tibi, tempus imaginarium eſſe aliquid reale creabile, adhuc ibi eſt neceſſariò dicendum, voluntatem Dei de creando Petro in hoc inſtanti potiùs quàm in alio, habere pro obiecto aliquid aliud ab ipſo Petro & ab inſtanti, ſcilicet ſimultaneitatem vtriuſque, quæ eſt ſeparabilis ab vtroque, & conſequenter diſtincta; ergo duratio, quæ in illâ ſimultaneitate conſiſtit, eſt diſtincta à Petro & ab inſtanti, quantumuis hoc fluidum ſit & reale.

Confirmo & explico hoc argumentum: quia 21
enim Deum voluiſſe creare Adamum in Paradiſo, duo inuoluit, & creationem Adami, & in Paradiſo, primumque eſt ſeparabile à ſecundo, ideò ponitur & ab his cum quibus ago, & ab omnibus benè ſentientibus, vbicatio diſtincta, quæ ſit obiectum voluntatis diuinæ, & quâ Adamus fuit in Paradiſo. Ergo eodem modo ſine vllo diſcrimine, dum voluit illum creare eo tempore potiùs quàm hodierno, duo ab æterno voluit, & creare Adamum, & inſuper in tali tempore: hoc autem eſt ſeparabile à primo, quia potuit velle illum creare, & creare illud tempus, & non velle creare Adamum in illo, ſed hodie, quando me creat; ſic-

ut potuit illum velle creare in meâ patriâ, & non in Paradiso; ergo aliquid assignandum est distinctum ab existentiâ ipsius Adami & temporis, quod explicetur per vocem illam in *tali tempore*, & quod sit speciale obiectum illius voluntatis diuinæ, quodque non haberet illa voluntas, quæ illum hodie voluisset creare, & habet ea quâ me vult hodie conseruare.

22 Respondebis Primò, Petrum durare in hoc vel illo instanti, esse denominationem sumptam non ex mutatione aliquâ factâ in Petro, sed ex diuersis Dei voluntatibus, non quidem diuersis ex parte obiecti (hoc enim est impossibile, nisi in ipso Petro detur diuersitas) sed diuersis ex parte ipsius voluntatis, sicut differunt apprehensio & iudicium, actus copulatiuus & disiunctiuus, non ex obiecto, sed ex modo tendendi ad illud. Sed contrà Primò, quia inintelligibilis est ea diuersitas actuum voluntatis Dei præcisè ex modo, & non ex obiecto in præsenti casu. Contrà Secundò, quia pari ratione etiam posses negare distinctionem vbicationis, vnionis, actionis, &c. & reducere id in diuersas voluntates Dei ex parte modi, quod esset euertere omnem bonam Philosophiam. Non est ergo id præcisè reducendum in actus diuersos Dei, sed in diuersas formas in-

23 trinsecas Petro, quas *durationes* dicimus. Contrà Tertiò, quia quomodo Petrus potest concipi in se minùs vel magis in hoc aut illo instanti durare solùm ex eo quòd Deus hanc vel illam voluntatem habeat, si per eam nihil ei addit nec adimit, nihil in eo immutat?

Tertiò probatur argumento, quo suprà impugnaui secundam responsionem aduersariorum. Nam Petrus durans hodie, est indifferens vt duret vel non duret cras; ergo durare hodie est quid distinctum à durare cras; nihil enim potest esse indifferens ad seipsum.

Noua nobis hîc iterùm cum recentioribus concertatio: volunt enim hoc argumentum esse potiùs contra nos, quàm pro nobis, vel saltem hoc argumento probari, existentiam esse successiuam & distinctam ab essentiâ, quia existentia hesterna est separabilis ab hodiernâ; nam etiam ex suppositione quòd Petrus heri extitit, potest non existere hodie, quia potest corrumpi à Deo. Sed inprimis facilè apparet, essentiam Petri heri & hodie non minùs esse eamdem, quàm essentiam Petri

24 hîc vel Romæ posteà existentis. Quando autem dicitur, *existentia hesterna non est hodierna*, est ibi æquiuocatio; existentia enim seu essentia eadem est: illud verò per quod constituitur in ratione *hesternæ* vel *hodiernæ*, non est idem, sunt enim distinctæ durationes, sicut existentia mea Romana vel Pragensis eadem est, sed formæ quibus constituor Romæ & Pragæ, sunt diuersæ. nec video quale mysterium specialius viderint hi in duratione, quàm in vbicatione, quoad punctum hoc.

Quod autem dicunt, existentiam hesternam separari ab hodiernâ, quia postquam heri extiti, possum non existere hodie, hoc, inquam, idem est ac si dicerent, existentiam meam Romanam separari à Pragensi, & inde velint inferre non solùm vbicationum diuersitatem, sed etiam & ex-

25 sistentiarum. Nonne vident eamdem vtrobique rationem? Respondeo ergo, existentiam hesternam non separari ab hodiernâ, sicut homo albus nõ separatur à seipso posteà nigro, sed ipse transit ex albo in nigrum, vel manet semper albus; ita dico in existentiam hodiernam mutari hesternam per mutationem durationum, quâ in ratione hesternæ vel hodiernæ constituebatur: quando autem hodie non existit, non separantur existentiæ, sed illa existentia hesterna caruit duratione *hodiernâ*, à quâ eam denominationem debebat habere: sicut quando homo albus non transit in nigrum, non separatur ab entitate quæ denominanda & futura erat nigra, sed præcisè ei est denegata nigredo. quid hoc clarius?

Quòd si adhuc propter eam separabilitatem 26
hesterni & *hodierni* velint nos hoc argumento vrgere, qui tamen ponimus aliquod reale quod existiterit, & aliquod aliud quod fuerit negatũ, quid erit in sententiâ ipsorum, qui nihil prorsus ponunt de nouo?

Argumento autem respondent in formâ, durationem hodiernam deficere ex eo, quòd non manet hodie existentia hesterna: vnde si illa maneret, maneret etiam durans hodie. Sed contrà, quia hoc non est ad rem: certum enim est, si hodie res sit, eam hodie durare, sicut si res est Romæ, certum est eam ibi esse vbicatam. vnde sicut malè responderet, si diceret, vbicationem Romanam non esse distinctam ab existentiâ, quia si existat Romæ, habebit existentiam Romanam; ita malè dicunt, durationem hodiernam non distingui à substantiâ, quia si hodie sit ea substantia, hodie durabit, ibi enim iam supponunt durationem ipsam. Manet ergo totum meum argumen- 27
tum, scilicet ab existentiâ meâ extra causas potuisse separari hodiernam durationem, vt patet in eo qui nascetur, vel in eo qui mortuus, qui tamen absolutè habituri sunt existentiam extra causas; ergo hoc quod est manere hodie, vel durare hodie, separabile est à meâ existentiâ extra causas, prout existere extra causas abstrahit ab hoc vel illo tempore; ergo ea duratio aliquid est superadditum.

Respondebis vlteriùs: Sicut tu ponis hominem durare, quia illi aduenient nouæ durationes, ita ego dico illum durare, quia aduenient illi noua instantia realia, nec necessariam esse distinctam durationem. Sed contrà euidenter Primò, quia hæ durationes sunt aliquid reale, & possunt dare eas denominationes: at tempus est purum nihil, & consequenter ab eo formaliter nulla re- 28
alis denominatio potest desumi. Contrà Secundò & efficaciter, quia Deus vider Antichristum futurum, & instantia crastina futura, & non videt futura simul, vt & suprà dicebam, nec videt hæc instantia aduentura Antichristo; ergo si vidisset ea illi aduentura, aliquid vidisset distinctum à futuritione vtriusque. Neque video, quid hoc clarius esse possit. In durationibus autem ipsis res aliter se habet, quia non potuit Deus videre futuras eas durationes & vniones earum (si sint res, vt ego dixi) nisi videat simul futurum Petrum tali tempore. quid ergo mirum, si illa simultaneitas vel aduentus durationum non sit ab vtroque distinctus?

Dices: Illa voluntas, quâ Deus vult conseruare Petrum, est prior ad volitionem durationis, quia existentia Petri est ante durationem, & ex vi illius voluntatis videtur Petrus conseruatus ante omnem durationem distinctam; ergo hæc non requiritur. Respondeo facilè, voluntatem diui-

nam

29 nam posse dupliciter considerari, vel vt vult dare existentiam Petro, & ex vi huius voluntatis Petrus existet, non tamen potiùs in hoc quàm in illo tempore, sicut ex vi huius voluntatis non potiùs existit Pragæ quàm Romæ; & hoc modo præcedit præcisè ea voluntas pro priori naturæ ante durationem, sicut & ante vbicationem. Ratio à priori, quia quæ se tenent ex parte causæ ad durationem, sola est substantia existentiæ. Aliter potest ea voluntas sumi, prout est voluntas conseruandi, & quidem in hoc instanti & vt sic iam vult formaliter durationem, quia conseruatio dicit ordinem ad durationem præcedentem, & ad
30 subsequentem. Imò addo, voluntatem conseruandi vt sic non dicere hoc instans, nam de Adamo habuit voluntatem conseruandi illum per decem annos v. g. & me etiam per decem, & non tamen per eosdem decem; ergo velle conseruare per hos decem, aliquid est distinctum à voluntate conseruandi illum absolutè, hoc autem est formalissimè duratio.

Vltimò eamdem sententiam confirmo, quia magis minúsve durasse, non potest intelligi sine pluribus vel paucioribus durationibus distinctis: si enim est eadem indiuisibilis existentia, cur, obsecro, magis hæc quàm illa durat? Respondebis, quia fluxerunt, eâ permanente, plures partes tem-
31 poris. Sed contrà Primò, quia iam supponis eam tempore longiori permansisse, in quo inuoluis ipsammet durationem: cùm enim ea res de se sit indifferens formaliter, vt plus minúsve permaneat, aut det locum pluribus aut paucioribus partibus temporis, vt possint fluere, oportet vt hæc indifferentia formaliter determinetur per durationes ipsas, quia per tempus non determinatur, nec per ipsam existentiam. Ratio à priori est, quia successio temporis imaginarij pergit, siue Petrus duret siue non; ergo per illam nec limitantur, nec dilatantur termini vitæ Petri, nisi ipse in se aliquid habeat, quo respondeat secundo instanti, & non tertio; hoc autem non est ipsa existentia, quia hæc est indifferens ad respondendum pluribus vel paucioribus, his vel illis; ergo debet esse per aliquid de se ad hoc determinatum, quales sunt duæ illæ durationes.

32 Contrà Secundò, quia tempus imaginarium nihil est, sicut in simili dixi de spatio imaginario suprà, ergo ab illo non potest desumi realis maior vel minor longitudo. Huic impugnationi respondent aliqui, illam maiorem longitudinem desumi non à tempore existente, sed possibili. Sicut, Pompeiopolis distat à Lucronio leucas quatuordecim; si Deus auferat illud spatium intermedium, eodem modo distabit. idem est in duratione. Sed facilè impugnatur hæc solutio Primò, quia in exemplo posito dantur in vrbe Lucronienſi & Pompeiopolitanâ vbicationes distinctæ, quæ essentialiter fundant illam distantiam talem, vt possint interponi aliæ vbicationes quatuordecim leucarum: quid ergo mirum, si
33 detur ibi tunc eadem distantia? At in Angelo solo existente quid est, vnde nos vel Deus ipse potuerit metiri, quamdiu duraverit? Non ipsa substantia Angeli, quia hæc fuit indifferens ad maiorem vel minorem durationem: non tempus extrinsecum elapsum, quia nullum fuit; non imaginarium, quia est purum nihil; non durationes superadditæ, quia nullas admittunt; non tempus reale, quod potuit effluxisse, quia vt sciatur quàm longum tempus durante Angelo potuerit effluxisse, debet priùs sciri quàm diu ille duraverit, tunc enim dicetur, ergo potuerunt tot vel tot anni interponi. Vel peto vt dicant mihi, vnde nouerint, potuisse tot & non plures nec pauciores annos reales fluxisse.

Dices, Quia tamdiu permansit. Ergo iam primò in seipsâ permanentiam nouisti, & tunc illam potuisti mensurare cum annis possibilibus. Ra- 34
tionem à priori euidentissimam reddo, quia anni possibiles sunt diuersi, multi & pauci, ergo ex illis nihil certò potest cognosci, quid de facto determinatè fuerit in Petro, nisi videatur longitudo durationis in seipsâ; sicut ex magnitudine possibili non possum metiri quæ sit de facto distantia duarum rerum aut earum magnitudo, nisi hæ habeant in se aliquid intrinsecum quo determinentur, vt tantæ sint, & non maiores. Hæc cum aduersariis.

Alias solutiones quæ à negantibus in vniuersum omnes modos adhiberi possent, vide impugnatas suprà dum de actionis & vbicationis distinctione actum est.

Iam cum amicis, qui nostram sententiam tuentur, sed non benè eam probant, paucis agendum est: arguunt enim, Si duratio non esset distincta, non posset Petrus v. g. hodie amare & cras odio habere. Hoc argumentum vel non est distinctum 35
à nostris, vel nihil valet: si enim hoc argumentú innititur eo principio, quòd amor, si non duret per durationem distinctam, eo ipso quòd hodie durat, debet etiam durare cras, & consequenter cras impediet odium, benè concludit, sed reducitur ad argumentum suprà factum; si verò innitatur in eo, quòd licet cras non sit extiturus amor, tamen eo ipso quòd sit eadem duratio Petri, qui hodie amat & qui cras existit, non poterit etiam destructo amore posteà odio habere. Hoc, inquam, modo nullam habet vim, quia si iam non existit amor, quid interest esse idem subiectum & eamdem durationem, vt ab amore, qui iam nihil est, excludatur odium? Non ergo hoc modo vim habet argumentum.

Alia argumenta, quæ possunt fieri pro hac di- 36
stinctione durationis, reducuntur ad præcedentia: ex ratione enim non potest aliunde solidè probari. Secundò tamen probatur auctoritate Patrum, qui perspicuè docent, in eo differre durationem creaturæ ab æternitate Dei, quòd hæc est tota simul, duratio autem creaturæ habet esse præsens, præteritum, & futurum: quod nequaquam potest intelligi, nisi concedatur in creaturâ duratio distincta & successiua, alioquin idem erit in illâ præsens, præteritum, & futurum, sicut & in Deo. Videantur Boëtius lib. 5. de Consolatione, prosâ vltimâ; Anselmus in Monologio cap. 18. 21. & 24. Augustinus lib. 11. Confessionum, cap. 14. & Tractatu 99. in Ioannem; Gregorius lib. 4. Moralium cap. 27. Petrus Damianus Epistolâ 4. de Omnipotentiâ Dei, cap. 6. Bernardus Sermone 8. in Cantica; & Isidorus lib. 1. Sententiarum, & de Summo bono cap. 6.

Respondent nonnulli, ab his Patribus solùm 37
affirmari, Deum habere omnia bona semper & indefectibiliter, neque in eo esse aliquid amissibile, secùs in creaturis: hinc autem non inferri, durationem esse distinctam à creaturâ, quia et-

iamsi non distinguatur, creaturæ sunt defectibiles, nec bona quæ habent, continenter in illis durant. Sed contrà, quia si creaturæ per suam substantiam, & non per durationem distinctam durarent, non possent, semel productæ, à Deo annihilari, iuxta dicta suprà, nec possent ea bona esse successiua; ergo non possunt explicari Patres, si negetur distinctio durationis.

38 Alij verò respondent, etiamsi SS. Patres à contrariâ stent sententiâ, adhuc non esse timendum ab eis discedere, quia materia hæc est Scholastica, & opposita sententia defenditur à valdè multis Scholasticis. Hæc solutio non potest tam facilè reiici, ideoque in tantum auctoritati Patrum, qui non ita clarè locuti sunt, in hac difficultate fido, in quantum ratione efficaci suprà adducta suadetur.

SVBSECTIO TERTIA.

Aliqua argumenta contra nos soluta.

39 CONTRARIA sententia, scilicet durationem non distingui à substantiâ rei durantis, communis est inter Scholasticos. Eam defendunt P. Suarez Disputatione 5. Metaphysicæ, sect. 1. num. 5. P. Vasquez 1. Tom. in 1. Partem, Disputatione 11. cap. 3. Molina 1. Parte, quæstione 3. disput. 2. art. 4. Gregorius de Valentiâ 1. Tomo, disput. & quæst. 10. puncto 3. Hurtadus Disputatione 17. Metaphysicæ, sect. 2. apud quos videri possunt antiquiores illius Patroni. Moueri possunt rationibus vniuersalibus, ob quas negantur omnes modi distincti. Verùm his abundè satisfeci Disputatione 1x. à num. 35. & alibi, agens de actione & vbicatione. Iam verò specialiter potest obiici Primò, non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate: sed nulla est necessi-

40 tas multiplicandi durationem, ergo. Probatur Minor exemplo Dei durantis in diuersis temporibus sine duratione distinctâ. Sed nego Minorem, ostendi enim Subsectionibus præcedentibus necessitatem distinguendi durationem. Exemplum à Deo petitum non est ad rem, sicut si quis vellet inferre, non distingui à nobis vbicationem, aut actus intelligendi & amandi, quia non distinguuntur in Deo. Disparitas est, quia à creaturâ potest separari hoc quod est durare hodie vel cras, non autem à Deo; vnde non mirum, si ab illâ distinguatur duratio hodierna, non verò à Deo.

41 Sed vrgebis: Etiam à Deo separatur hoc quod est durare hodie, nam heri existebat totus Deus, & non durabat hodie; ergo. Respondeo, Deum, etiamsi heri non duraret hodie, nihilominùs heri essentialiter fuisse determinatum vt duraret hodie, ideoque non potest Deus non durare hodie, quo differt à creaturâ, quæ ita est indifferens hodie ad durandum cras, vt etiam adueniente crastinâ die, possit creatura non durare; quod non potest intelligi, nisi durare cras, illi proueniret ab aliquo distincto, quod in Deo non requiritur.

Et vt perfectiùs solutionem teneas, aduerte quando dicimus, *Deum hodie non durare cras*, nihil aliud à nobis intelligi, quàm hodie non existere ipsum cras; etiamsi hodie existat in Deo tota ratio quâ cras existet, sicut possumus etiam dicere, *Deus hîc non est vbique*, id est, hîc non est omnis locus, licet hîc sit in Deo tota præsentia & immensitas quâ est vbique: & sicut ex eo, quòd Deus hîc non sit vbique, non potest inferri, hoc 42 quod est esse vbique, esse quid separabile ab ipso; ita nec potest inferri, ex eo quòd Deus hodie non duret cras, esse ab ipso separabile hoc quod est durare cras; sed præcisè infertur, *hodie* & *cras* non coëxistere sibi. Ideoque rectè Hurtadus Disputatione 17. Metaphysicæ §. 32. cum P. Suarez docet, non posse dici Deum plus durasse hodie quàm heri, sed solùm plus temporis coëxitisse Deo, vt sic enim dignus de illo sentitur: ex hoc autem quis non videat, non posse argui ad creaturas, quæ nec hodie durant cras, neque ex suâ essentiâ petunt durare cras? vnde hoc debent habere per aliquid à se distinctum, sicut & esse in loco ob eamdem rationem distinguitur à creaturâ, non autem à Deo.

Secundò arguunt: Quia res in priori naturæ 43 ante ipsam durationem verè durat, quia est producta extra causas, & tamen tunc non habet durationem distinctam; ergo sine duratione distinctâ potest res durare. Confirmatur, res producta in instanti A. v. g. accedente instanti B est prior naturâ quàm duratio, quia est causa materialis illius, ergo est in illo priori existens in instanti B, ergo durans in instanti B; quia durare in instanti B, nihil aliud est, quàm existere in instanti B; ergo non requiritur duratio superaddita. Hoc argumentum non vrget, & inprimis retorquetur contra eius Auctores in vbicatione, antecedenter enim ad vbicationem res existit in rerum naturâ, & consequenter videtur debere existere in aliquo loco, ideoque non egere vbicatione distinctâ, cùm tamen non audeas eam negare. Respondeo 44 igitur absolutè, pro illo priori, quo res intelligitur ante durationem, non intelligi nisi solam substantiam Petri v. g. quæ de se est indifferens ad durandum hoc vel illo tempore; sicut in priori naturæ ante vbicationem solùm intelligitur substantia Petri de se indifferens ad existendum hoc vel in illo loco. Ratio à priori est, quia signum illud naturæ, est præcisè signum causalitatis, vnde in eo solùm intelligimus ea quæ se tenent ex parte causæ: cumque duratio & vbicatio non sint causæ materiales, nec conditiones tenentes se ex parte causæ ad se ipsas sustentandas: inde fit, vt non concipiantur in illo priori, sed solùm substantia Petri, quæ sustentat vbicationem & durationem. Ex quâ doctrinâ facilè respondetur argumento, 45 concedendo, rem ante durationem existere extra causas; negando tamen, ideò formaliter durare, quia hoc dicit esse in hoc vel in illo instanti determinatè, quod non habet in illo priori: sicut ob eamdem rationem, licet in priori naturæ ante vbicationem res existat, non tamen est vbicata, quia hoc dicit esse in hoc vel in illo loco, quod prouenit ab vbicatione subsecutâ, à quâ præcindebatur in priori naturæ. Ad confirmationem respondeo, in eo priori naturæ non posse intelligi rem existentem in hoc instanti, quia id prouenit formaliter ab ipsâ duratione, à quâ in illo priori præscinditur; tunc enim solùm concipitur essentia Petri, quæ de se est indifferens ad durandum hoc vel in alio instanti, sicut in simili de vbicatione dictum est.

Aliter Tertiò eamdem nostram sententiam 46 nonnulli recentiores impugnant Primò, quia si

ob

ob aliquam rationem distinguenda esset duratio, ea esset, quia per vnicam rationem indiuisibilem non posset quis respondere diuersis partibus temporis. Sed hoc non obstat, quia in nostrâ sententiâ eadem existentia indiuisibilis est successiua cum eis diuersis durationibus. Sicut ergo, aiunt, cum diuersis partibus temporis intrinsecis ea existentia fundat eas diuersas denominationes, cur non & easdem fundabit cum diuersis partibus temporis extrinseci? Sed qui hoc argumento vtuntur, non videntur percepisse nostræ sententiæ vim: non enim sic arguimus, *quia essentia*
47 *est indiuisibilis, duratio debet distingui*; hoc enim in Deo manifestè constat esse falsum, imò docui etiam (quod & infrà repetam) in creaturis posse esse aliquam durationem indiuisibilem, quæ respiciat tempus diuisibile: non ergo argumentamur ab indiuisibilitate (vt malè hi supponunt) sed ab indifferentiâ, quòd possint videri futura, & subiectum, & tempus, absque eo quòd videantur coëxtitura; ergo esse coëxtitura est aliquid diuersum à futuritione vtriusque. vnde illis concedo, si non posset videri futurus Petrus, & futurum tempus reale, vel imaginarium, nisi viderentur futura inter se simul, non facerem vim in eo quòd esset extrinsecum vel intrinsecum, vt isti putant, quo corruit tota eorum obiectio.

48 Quarto arguunt pro se: Quando vna res est successiua, potest seipsa tollere ab aliâ permanente indifferentiam ad coëxistendum diuersis partibus, quin in re permanente sit aliqua mutatio intrinseca, vt in arbore iuxta aquas plantatâ, quæ immota manens ex successione aquarum, iam his iam illis aquis respondet; sed tempus est successiuum, ergo sine mutatione in homine, ex solâ temporis successione variabitur in homine ea denominatio. Hoc argumentum debilius est præcedenti, quia tunc tollitur illa indifferentia, quando illæ duæ sibi per se coëxistunt: at si possunt videri futuræ sine futurâ coëxistentiâ, possunt videri futuræ sine eo quòd vna tollat indifferentiam alterius; ergo, vt successiua tollat in futurum indifferentiam permanentis, aliud requiritur quàm futura vtriusque existentia. Ad exemplum de arbore iam respondi suprà, etiam tunc esse distinctam vbicationem.

49 Sed vrgent: Illæ vbicationes possunt videri existentes sine coëxistentiâ, ergo vt coëxistant, egent aliis vbicationibus, & sic in infinitum. Sed & huic replicæ respondi, coëxistentiam earum vbicationum requirere durationem vtriusque: quia, vt ego tangam Petrum, duo requiruntur, & vt eodem tempore cum illo existam, quod prouenit à durationibus; & quòd in loco non distanti, & hoc prouenit ab vbicationibus. quam solutionem, quia tam est euidens, non libenter audierunt hi, vt suprà notaui.

50 Vt autem hæc & alia argumenta, quæ ab his recentioribus fiunt, nulla esse cognoscas, reuoca in memoriam ea quæ dixi, dum impugnarem solutionem ab ipsis ad nostra argumenta datam. Obseruaui enim, eos semper vti exemplo de præsenti, in quo quia tantùm est vnicum instans, eo ipso quòd Petrus & tempus dicatur existens, necessarium est, vt ambo inter se coëxistant in eodem instanti, quia de præsenti solùm est vnicum. Vnde rursus inferunt, non esse necessariam distinctam durationem: quod perinde est, ac si loquerentur de vno puncto loci, nec aliud esset possibile; tunc enim proculdubiò si duo existerent, necessariò deberent in eodem loco existere. Ideò 51
illis respondendum est, semper in talibus argumentis ab ipsis supponi iam, quod volunt probare: ponunt enim Petrum existentem de præsentia, quod non habet nisi per durationem distinctam; nam existere de præsenti, iam est in hoc instanti, & consequenter si supponamus sine duratione in hoc instanti existere, proculdubiò non egebit duratione. Sicut si ponatur in hoc loco sine vbicatione, non egebit duratione. Neque ego vmquam sumo illud *existere*, quãdo dico, Petrus potest existere & non in hoc instanti; non, inquam, sumo de præsenti, vt malè ipsi videntur intellexisse: sed existere, prout abstrahit à præterito, præsenti, & futuro: quod propterea clariùs explico per *extitit* vel *existet*, vbi nec est locus æquiuocationi, nec ad supponendum idem quod intenditur probari.

Hinc intelliges, quomodo in argumento ipso- 52
rum, desumpto ab eo, quòd si existente Petro existat tempus vnius horæ, durat Petrus vnâ horâ, supponunt quod debent probare: imò omnia argumenta quæ ab ipsis fiunt, ad hoc vnum reducuntur; semper enim sumitur hoc idem Antecedens, *si existente Petro existat tempus, durant simul*, &c. quod iam satis abundeque explicatum est.

Argumentum verò ipsorum à priori de voluntate diuinâ conseruandi Petrum, quæ habet distinctum obiectum à duratione, eò quòd existentia præcedit ad durationem, ergo ex vi voluntatis circa existentiam perseuerat, ergo sine duratione distinctâ: hoc inquam argumentum solui suprà dupliciter, Primò, quia voluntas conseruandi vt talis, iam dicit durationem, neque vt sic præcedit prioriori naturæ ad durationem, quia causa recipiens durationem non est existentia cum eâ denominatione, sed secundùm se. Aliter etiam, quia licet volitio conseruandi præ- 53
cederet, potuit tamen Deus velle me conseruare per decem annos, non tamen per hos, sed per alios; ergo conseruare me per hos, aliquid est diuersum à conseruare vtcumque.

SVBSECTIO QVARTA.

Cetera argumenta soluuntur.

ALIQVI recentiores argumentantur contra hanc nostram sententiam, ex eo, quòd si res positiua durat per positiuam durationem distinctam successiuam, etiam res negatiuæ, v.g. carentia lucis & hominum, durabunt per durationes negatiuas successiuas, ergo negatio hominis, quæ fuit ab æterno, ab æterno etiam durauit per infinitas durationes negatiuas successiuas; sed repugnat motus successiuus ab æterno, ergo etiam repugnat ab æterno eiusmodi duratio successiua carentiæ, vel negationis hominis. Quòd 54
si dicas, eam negationem durare per durationem non successiuam, sed per suammet essentiam; tunc ipsi insurgent, Cur etiam & nos non idem dicimus, de ipsâ essentiâ hominis, scilicet, eam durare non per durationem distinctam successiuam, sed per se ipsam? Sicut enim homo est indifferens ad durandũ hoc vel illo tempore, ita etiam

iam carentia hominis est indifferens, vt sit hoc vel illo tempore, est ergo quoad hoc eadem de vtroque ratio. Non vrget hoc argumentum, licet non careat difficultate. Ei respondeo Primò, fortè potuisse esse ab æterno motum successiuum (de quo Disputatione XVI.) quo manet omnino enodatum argumentum: admitterem enim tibi, ab æterno fuisse infinitas durationes negatiuas suc-
55 cessiuas. Respondeo Secundò, etiamsi ab æterno non potuerit esse motus successiuus realis, adhuc potuisse esse motum successiuum negatiuum, id est, infinitas negationes successiuas durationis positiuæ: nam licet negetur à pluribus posse actu esse infinitum hominum vel leonum actus, &c. non tamen negatur ab illis, nec negari potest, esse posse, imò existere de facto infinitum negatiuum, quia de facto existunt carentiæ & negationes omnium hominum possibilium, eorum qui à Deo cognoscuntur; qui cùm sint infiniti simpliciter, necessarium est, vt carentiæ eorum, quæ omnes actu dantur, sint infinitæ: ergo non quia negetur possibilis ab æterno successio entiú realium & positiuorum, ideò debet negari suc-
56 cessio negationum. Ratio est, quia repugnantiæ (si quæ sunt quæ dantur in infinito positiuo, vel in æternitate positiuâ successiuâ) non dantur in infinito negatiuo, vel in successione negatiuâ, quia hæ verè nihil sunt, imò eo ipso quòd detur repugnantia infiniti positiui, datur necessitas existendi in infinito negatiuo, id est negationum infinitorum illorum indiuiduorum quæ infinitum constituerent, si actu existerent.

Respondeo Tertiò, eos qui negant ab æterno potuisse produci motum successiuú negatiuum, facilè posse imò & teneri negare, fuisse ab æterno durationes successiuas carentiæ hominis vel
57 leonis. Ratio est, quia in tantum requirimus durationem distinctam ab aliquâ re, in quantum hæc est indifferens ad durandum in hoc vel in illo tempore. Quòd si ex suâ essentiâ sit alligata alicui tempori, non eget duratione distinctâ, vt duret in illo: ob quam rationem à Deo negauimus durationem distinctam: ergo cùm ea carentia hominis ex se sit essentialiter alligata æternitati à parte antè in eâ sententiâ (quandoquidem non potuit esse homo ab æterno) inde fit vt ea carentia non durauerit ab æterno per durationem distinctam, sed per suammet substantiam; in tempore autem, ex quo primùm potuit existere homo, incepit eius carentia habere durationem distinctam, eò quòd tunc non esset ex suâ essentiâ determinata ad durandum in eo tempore.
58 Quando autem inceperit habere durationem distinctam, est difficultas omnibus communis. Respondeo, quando primùm potuit à Deo produci homo, vel quando primò potuit incipere motus cæli, aut alia entia successiua.

Secundò & vltimò argui contra nos potest, vrgendo adhuc primum argumentum. Nam duratio carentiæ Antichristi non distinguitur ab ipsâ carentiâ, ergo nec duratio ipsius distinguetur ab ipso Antichristo. Consequentia videtur bona à paritate rationis, vt dixi suprà. Antecedens probatur, quia illa carentia Antichristi durat per carentiam durationis Antichristi; hæc autem carentia non distinguitur ab ipsâ carentiâ Antichristi, nec enim datur modò aliqua carentia Antichristi, aut eius durationis, quæ heri data non fuerit, & tamen carentiâ Antichristi heri non du-59 rabat hodie, neque hodie durat heri; ergo sine vllâ mutatione in ipsâ carentiâ Antichristi, imò & sine vllo superaddito illa est indifferens, vt duret hodie & heri magis vel minùs; ergo similiter sine vllâ mutatione in Antichristo poterit durare hodie & cras, magis vel minùs; ergo nulla est necessitas illi addendi durationem distinctam. Primò obserua, eamdem esse difficultatem de vbicatione: nam sicut carentia Antichristi durat per durationes distinctas, ita etiam vbicatur per vbicationes negatiuas distinctas; & vbicumque sit carentia Antichristi, habet carentiam vbicationum omnium, seu habet omnes vbicationes negatiuas; ergo *hic* erit vbique, quia *hic* habet vbicationes omnes sicut tu infers, ergo *hodie* carentia Petri durat semper. Secundò pro solutione aduerto, sicut *hic* non potest esse vbicatio Romana, nec Romæ Pragensis, ita nec *heri* potuisse existere durationem hodiernam, nec *hodie* hesternam. vnde infero, negationem durationis 60 hodiernæ, quam heri habebat Antichristi carentia, non fuisse priuationem, quia heri non poterat habere hanc durationem hodiernam proximè & immediatè; priuatio autem est carentia formæ in subiecto capaci. Ex quibus concedo argumento, carentiam Antichristi habuisse heri negationem omnium durationum ipsius Antichristi, nego tamen habuisse priuationem omnium durationum: solùm ergo heri habuit priuationem hesternæ durationis quam heri poterat habere, ideoque heri non durabat omni tempore, quia illa carentia Antichristi solùm durat per priuationes durationis Antichristi, non autem per negationes: vnde concludo, non potuisse illam carentiam durare magis vel minùs heri vel hodie, nisi per plures vel pauciores priuationes durationis; sicut nec Antichristus potest magis vel minùs durare, nisi per plures vel pauciores durationes positiuas; quomodo etiam discurrendum est in vbicationibus negatiuis eiusdem carentiæ.

SECTIO II.

Difficultates nonnullæ solutæ.

PRIMA sit, vtrùm duratio sit accidens, an mo-61 dus. Hæc explicata est suprà, dum egi de vbicatione, est enim vtriusque ratio eadem.

Secunda, vtrùm, vel quibus rebus conueniat duratio distincta. Hæc est eadem cum eâ quam de vbicatione discussi, de quâ idem dicendum ob eamdem rationem, scilicet subiectum, quod supponitur ante formam durans, habere durationem distinctam, illud verò, quod non necessariò præintelligitur durans, vt materia respectu quantitatis, posse durare eadem duratione formæ receptâ in subiecto, & in formâ materiali. De potentiâ autem absolutâ possunt habere durationem distinctam ea omnia quæ possunt separari inuicem vel mutuò, vt res à re; vel non mutuò, vt res à modo: potest enim modus non durare per durationem sui subiecti. Pone v. g. materiam 62 & formam vbicatam Romæ & Pragæ, vnionem verò præcisè existentem Pragæ, & vlteriùs in eâ materiâ & formâ pone diuersas durationes, vnam Pragæ, aliam Romæ; ecce in hoc casu datur in rerum naturâ materia, forma, & vnio, quæ est modus,

modus, datur item duratio huius materiæ, & nihilominùs non durat vnio per illam, quia vnio, quæ non est Romæ, sed Pragæ, non potest durare per durationem præcisè existentem Romæ, ergo duratio vnionis non consistit formaliter in ipsâ existentiâ vnionis, & in duratione sui subiecti, quantumuis vnio sit modus; ergo duratio modi est distincta à duratione sui subiecti. Simili argumento vsus sum suprà, vt probarem, modum habere distinctam vbicationem ab vbicatione sui
63 subiecti. Fateor tamen, ibi clariùs conuincere; quia existente subiecto in duobus locis, potest modus in vno solo existere. Ex quo clarissimè infertur, modum existere in hoc loco, non prouenire à solâ modi existentiâ, & subiecti vbicatione. At, etiamsi ponatur subiectum in duobus locis, & duratio subiecti solùm in vno, adhuc posset aliquis dicere, quòd per illam distinctam durationem distantem duraret ille modus eo instanti, nec tam facilè posset redargui, etiamsi difficile quid doceret.

Aduerte, hîc etiam eamdem esse adhibendam limitationem, quam agens de vbicatione notaui, scilicet, hæc intelligenda de duratione quæ sit propria solius subiecti, per quam dicimus, non sufficienter durare modum ei subiecto vnitum. Vtrùm autem sit vnica duratio, ex se cadens supra subiectum & formam, & modum, est alia difficultas. Vide quæ in simili dixi de Vbicatione.

64 Tertia difficultas, an sit possibilis de potentiâ absolutâ substantia aliqua per se ipsam durans. Probabilius puto, esse possibilem, Primò, quia id non repugnat, ex eo quòd sit creatura; ipsa enim duratio est creatura, & durat seipsâ. Deinde nec ex eo quòd substantia sit, non enim apparet repugnantia vlla in eo, quòd aliqua substantia affixa sit ex se tali tempori, ita, vt nisi in eo durare nequeat, præsertim si solùm sit per vnicum instans: nam si sit per plura instantia, fortè aliquis diceret, eam non esse possibilem, quia derogaret dominio Dei; non enim posset eam destruere quando vellet, sed eâ semel productâ necessariò esset ab ipso Deo conseruanda per totum illud
65 tempus, quod essentialiter respiceret. Nihilominùs tamen adhuc arbitror, eam etiam non repugnare; quia dominium Dei perfectissimè saluatur in eo, quòd fuerit in Dei potestate eam creaturam producere, cùm sciret, eam semel productam debere durare per vnam horam: nam tunc, eo ipso quòd eam voluit primò producere, voluit etiam vt duraret per horam. Quid autem mirum, si supposito, quòd voluerit Deus illam producere, & durare per horam, iam non posset illam non conseruare per horam? Et sicut non derogat dominio Dei, non posse constituere Angelum in spatio indiuisibili per vbi respiciens ex se spatium extensum, ita non derogat dominio ipsius, non posse constituere Angelum, vel aliquam substantiam in tempore indiuisibili, per duratio-
66 nem respicientem tempus diuisibile. Potuit quidem Deus, si voluisset, non illam creare, semel verò creatam non potest non conseruare, quia id exigit ex suâ essentiâ; sicut potuit non creare hominem, eo autem creato non potuit non producere illum animal rationale, quia hæc est hominis essentia, nec minùs est essentia ipsius durationis, toto eo tempore durare, quâ hominis esse animal rationale. Ex his inferes à fortiori non repugnare durationem distinctam à substantiâ de se affixam tempori diuisibili, quæ si concederetur alicui substantiæ, necessariò redderet illam durantem per spatium diuisibile, in quo non posset à Deo annihilari propter dicta, nisi in meâ sententiâ, aiente durationem esse rem; posset enim tunc duratio sola conseruari, annihilatâ vnione ad substantiam, imò & ipsâ substantiâ etiam annihilatâ.

Quarta difficultas, quid sit tempus imagina- 67
rium. Respondeo esse eius rationis, seu tempus à nobis fictum successiuum ad similitudinem realis; sicut in simili dixi suprà de spatio imaginario, vt in ordine ad illud tempus fictum explicemus diuersitatem durationum, eò quòd non possimus illas in seipsis cognoscere.

Vltima sit circa diuisionem durationis. Diuiditur Primò in *increatam* & *creatam*. Increata est propria Dei, diciturque *æternitas*, quæ definitur à Boëtio, *Interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio*. De hac Hurtadus suprà à §. 79. Pater Suarez 2. Tomo Metaphysicæ, disputat. 5. & alij. Theologi verò 1. Parte quæst. 10. Ego hîc 68
breuiter dico cum Hurtado, & communi recentiorum, ex parte ipsius Dei, æternitatem esse prædicatum quoddam intrinsecum & identificatum, sicut est immensitas. Secundò, à nobis tale prædicatum explicari vocibus negatiuis, quia dicimus *quod non habet principium, nec finem*, quæ fortè fuit occasio P. Suarezio, vt putaret, etiam conceptum esse per negationem propriè; sed malè, quia habere principium potiùs dicit negationem existentiæ in præcedenti instanti, ergo non habere principium dicit semper extitisse, hoc autem positiuum quid est. Sicut habere finem, in re est negatiuum, id est, non habere posteà esse; at non habere finem, in re est positiuum, id est, semper extiturum. Sicut ergo explicamus im- 69
mensitatem Dei per ordinem ad spatia imaginaria, id est, quòd nullum sit cui Deus non sit præsens; ita etiam durationem æternam Dei explicamus per tempus imaginarium, id est, vt nullum fuerit, vel potuerit vel possit concipi instans, in quo non existat Deus. In re autem non pendet Deus ab hac consideratione, quæ tantùm est pro nostro modo intelligendi; vt durationem Dei, quam in se non videmus, aliquo modo apprehendere possimus.

Duratio creata alia est *temporaria*, alia *perpetua*. Temporaria est, quæ habet principium & finem, vt duratio equi vel leonis. Perpetua est, quæ caret vel fine vel principio, vel vtroque. Omnis du- 70
ratio creata ferè semper est successiua in se: diuersa enim est duratio hodierna hominis ab hesternâ, etsi homo sit idem hodie ac heri (idem est in reliquis creaturis.) Dixi, *duratio in se*, quia non omnia subiecta durationis sunt successiua, sed permanentia, vt homo, lapis, ignis, &c. licet etiam dentur aliqua subiecta quæ verè sint successiua, vt motus locales, & productiones successiuæ instantaneæ accidentium, & huiusmodi entia, absolutè dicuntur successiua, cetera verò permanentia. Dixi etiam, *ferè semper*, quia suprà docui, posse esse durationem indiuisibilem pro tempore diuisibili, illa autem non esset in se successiua.

SECTIO

SECTIO III.

De tempore reali.

71 TEMPVS reale est motus realis cælorum, iuxta cuius multiplicitatem dicimus multiplicari tempora, & per quam metimur aliarum rerum durationem, ideoque definitur ab Aristotele: *Tempus est numerus motus secundum prius & posterius*, id est, id, per quod metimur, quantum durauerit vel duratura sit res; sicut per vlnam dimetimur quantitatem.

Aduerte, tempus secundùm intrinsecum quod habet, non dicere necessariò esse mensuram; quia licet nihil diuersum ab eo motu existeret quod cum illo mensuraretur, adhuc totus ille motus secundùm intrinseca omnia, quæ habet, idem maneret: esse ergo mensuram, est in eo denominatio extrinseca ex voluntate hominum, volentium vti eis motibus ad mensurandas eas durationes; sicut in ramo est denominatio extrinseca à voluntate hominum, volentium esse signum
72 venalis vini. Vtuntur homines meritò motibus cælorum ad mensurandas durationes aliarum rerum, quia hi motus sunt in toto orbe vniformes, & maximè noti, & vsque ad diem iudicij duraturi. Item & sunt successiui, nam in ordine ad eiusmodi mensuram non possunt deseruire res permanentes: quia cùm hæ semper sint eædem, non possumus ex illarum cognitione percipere, quot durationes seu instantia transierint. Quòd si miraculosè nunc cessarent motus cæli, non esset tempus reale, etiamsi reliquæ res eodem modo durarent, vel æqualiter, vel magis aut minùs inter se ac modò, nihilominùs tamen à nobis difficulter cognosceretur, quantum duraret quælibet res, nisi vel per horologia, aut alia entia successiua aliquo modo id metiremur ac distingueremus.

73 Rogabis Primò, vtrùm tempus ex naturâ rei à motu differat. Quæstio est de voce. Si per motum intelligas solam vbicationem, sine dubio motus distinguitur à tempore; quia duratio, quam dicit tempus, distinguitur ab vbicatione: iuxta quam acceptionem poterit produci hodie idem motus cæli, qui fuit heri, quia eædem vbicationes quas cæli habuerunt heri, possunt hodie in illis reproduci; motus autem cæli in hoc modo dicendi est idem, ac vbicationes cum productionibus earum & vnionibus. Tempus autem hesternum non potest nec diuinitus reproduci, quia duratio hesterna essentialiter est affixa tempori imaginario hesterno; sicut vbicatio, quâ sum præsens in hoc loco, non potest, nec diuinitus, in alio poni. At si per motum intelligas etiam pro- 74
ductionem vbicationum, & successionem earum in durationc, tunc certum est non distingui à tempore reali; quia hoc consistit in ipsis durationibus successiuis. Ex his duobus modis loquendi prior est communior, & consequenter tenendus.

Rogabis Secundò, an per tempus reale possint mensurari omnes durationes, etiam rerum spiritualium. Respondeo Primò, durationem Dei, cùm sit æterna, nullam posse habere mensuram (idem est de aliâ quacumque duratione æternâ creaturæ, si potest esse.) Secundò, reliquas posse mensurari per tempus reale; etenim per motus cæli dignoscimus, quot annis, mensibus, diebus, &c. durauerint homines, equi, vel plantæ, &c. Idem est de Angelis, ob eamdem ra- 75
tionem: nam de his qui initio mundi producti sunt, per motus cæli cognoscimus durasse quinque aut sex millibus annorũ. Quòd si post creationem mundi alij fuissent producti, per eosdem motus cæli possemus dignoscere, quanto tempore à primis excederetur eorum duratio, non secùs ac in hominibus aliisque rebus materialibus, quia ad hoc per accidens se habet spiritualitas. Sicut & in ordine ad existentiam in loco, licet Angelus sit spiritualis, potest per locum realem cognosci quanta sit eius præsentia, imò in ordine ad nos clariùs cognoscitur eorum duratio, quàm præsentia.

Rogabis Tertiò, an tempus sit aliquid reale. 76
Ratio dubitandi est, quia numquam existit totum simul, sed per partes, quæ seorsim non sunt tempus, sed partes illius. Respondeo, tempus esse verum reale ens, non simul existens, sed successiuè: sicut & cursus Petri est ens reale, licet numquam existat totus. Idem est in aliis entibus successiuis; vt enim sint entia realia, sufficit existere à parte rei etiam successiuè, quo differunt ab entibus rationis, quæ nec successiuè possunt existere. Fateor, si tempus conciperetur à nobis vt totum quoddam actu existens, fingendum tunc ens rationis, quia simul nec existit nec potest existere tempus, ob rationem dictam; ideò in ratione totius actu existentis non est ens reale.

LIBER

LIBER V. PHYSICORVM.

De hoc libro egi libro tertio: videantur quæ ibi dixi.

LIBER VI. PHYSICORVM.

DEVENIMVS in materiam totius Philosophiæ difficillimam: sed vel inde solatium est, quia communis est omnibus difficultas, nec vllus sese non fatetur tantæ difficultatis pondere oppressum, vt humani ingenij superbia humiliaretur, tenuitatemque suam agnosceret, cùm nec vnius paleæ valeat compositionem percipere.

DISPVTATIO DECIMASEXTA.

De Continui compositione.

1 CONTINVVM est res ex pluribus partibus vnitis inter se resultans. Vnitis, non quidem vt actus & potētia, seu materia & forma, sed integraliter, vti vniuntur partes aquæ, manus, vel ligni inter se.

Continuum est duplex, aliud *permanens*, id est, cuius partes existunt omnes vnitæ, vt lignum, aqua, &c. *Successiuum* aliud est, cuius partes fluxu quodam aliæ aliis succedunt. De vtroque eadem hìc est difficultas, ideoque de illo simul agemus.

Continuum permanens variè diuiditur, in *quantitatiuum*, *substantiale*, *accidentale*, &c. sed hìc abs re erit de illâ diuisione disputare, quia quoad eius compositionem, quam in præsenti inquirimus, eadem est prorsus de illis difficultas.

SECTIO I.

Continuum est ens per se.

2 ANTEQVAM ad explicandam continui compositionem accedamus, oportet inquirere, an sit compositio per se, an accidentalis. Res quidem videtur facilis, & vix de illâ dubitatur: est tamen satis spinosa, tangit enim punctum de conceptu substantiæ & accidentis, quæ res, vt Disputatione IV. Metaphysicæ videbimus, est valdè intricata.

Recentiores nonnulli affirmant cum communi, continuum esse vnum per se. Eam autem huius rei reddunt rationem, quia sine partibus continuis nō potest intelligi primus & quidditatiuus conceptus materiæ primæ, cuius essentia est esse diuiduum, saltem in actu primo. Hæc ratio
3 nullo modo placet. Primò, quia inde sequitur, materiam primam in conceptu suo essentialiter includere vnionem, non minùs quàm homo includat animam & corpus; vnde contra ipsos infertur, sicut homo propter vnionem absolutè generatur, non creatur, ita etiam materiam primam non creari, sed generari; quod & alibi contra ipsos obseruaui. Secundò, hæc ratio non sibi constat, dum dicit, esse de conceptu materiæ, esse diuiduam saltem in actu primo, per hæc enim vltima verba destruitur totum argumentum: quia si solùm est de eius essentiâ diuisibilitas in actu primo, ergo actualis diuisibilitas, & vnio non erit de conceptu substantiali illius; non secùs ac actu discurrere, non est de conceptu hominis, licet discurrere in actu primo, seu posse discurrere, sit eius essentia. Arbitror, eam limitationem fuisse ab his adhibitam, ne fieret contra illos primum argumentum quod nos fecimus; sed tunc dedere locum huic secundo.

Confirmant sententiam: Quia homo, in quan- 4
tum homo, est vnum per se: sed in quantum homo, est continuum, quia eius corpus est organicum; ergo continuum vt tale est vnum per se. Hæc confirmatio non dat rationem conclusionis, sed ponit vnum exemplum, de quo est tota difficultas præsens. Adde, fortè aliquem dicturum, hominem essentialiter mansurū hominem, etiamsi punctum materiæ solùm vniretur animæ rationali, ergo homo in quantum homo non est continuum.

Addunt nouam rationem, quia scilicet res materiales siue continuæ obseruiunt variis exercendis muneribus, ad quæ modò plus materiæ modò minus requiritur, vt ad recipiendam formam equi plus, quàm ad formam formicæ, & vt ignis comburat intensè, plures requirit partes; ideò naturâ suâ materia respicit illas partes substantialiter. Neque hæc ratio satisfacit: Primò, 5
quia inde fieret, etiam accidentia vniri per se cum substantiâ, quia per ea accidentia iuuatur substantia ad operandum, sicut iuuatur per alias compartes materiæ. Præterea, sicut plus materiæ requiritur ad formam equi, quàm formicæ; ita speciales dispositiones, & maior organizatio requiritur ad formam equi, quàm formicæ. Ergo, si præcisè propter eam rationem, quòd scilicet requiratur plus materiæ, ea vnio est per se, ita etiam propter eamdem rationem erit per se vnio materiæ cum dispositionibus ad formam equi. Secundò ea ratio reiicitur argumento à priori, quia conceptus substantiæ non constituitur per ordinem ad operationes ad extra, v. g. plus minúsve

calefaciendi in igne, quia hæ fortè à solis ipsis accidentibus proueniunt; ergo, quia plus virium acquirat ignis ad eas productiones ex materiâ adueniente, non sequitur, eam vnionem esse substantialem, seu per se.

6 Faciliùs ergo potest dici, vnionem continuatiuam vt sic, nec esse *per se*, hoc est, substantialem, nec *per accidens*, seu accidentalem, sed abstrahere ab vtroque: nam continuatio materiæ est substantialis continuatio partium caloris, vel quantitatis; si distinguatur, est accidentalis. Hæc sunt certa apud omnes. Ex his autem videtur inferri ratio à priori, quia scilicet ea vnio sequitur naturam extremorum. Quia ergo ambæ partes materiæ vnitæ inter se sunt substantia, ideò vnio illarum est substantialis: quia verò partes caloris sunt accidentales, ideò vnio illarum est accidentalis. Hinc infertur: Cur vnio cum calore, vel alio accidenti non sit substantialis, quia scilicet calor (& idem est de aliis accidentibus, quæ sunt extrema) non est substantia? Malum autem sequitur ex quocumque defectu, bonum verò ex integrâ causâ.

7 Obiicies autem Primò: Ergo si vniantur duo entia, quantumuis completa substantialiter, fiet vnum per se, quia ibi vtrumque extremum erit substantiale, quod repugnat communi illi principio, *Ex duobus entibus completis non potest fieri vnum per se.* Ante solutionem aduerto, à nonnullis recentioribus, dum respondent huic argumento, quatenus ex eo probatur, ex duabus aquis completis non fieri vnam per se, dari hanc disparitatem, quia quælibet pars aquæ respicit omnes alias per se, cum illis enim facit compositionem per se. Verùm hi in hac solutione explicant idem per idem: quia respicere vnum per se, & facere compositum per se, est idem; argumentum autem contendit, eo ipso quòd vna pars sit completa, neque posse respicere per se aliam,
8 neque facere compositionem per se, quod idem est: tu verò distinguis, quando respicit per se, potest facere compositum per se; quando non respicit, non potest. quâ solutione principium illud penitus futile & nugatorium redditur: nam in hoc sensu etiam neque ex duobus entibus incompletis potest fieri vnum per se, quando scilicet duo illa entia incompleta non se respiciunt per se, ergo ex tuâ explicatione nulla specialior repugnantia est in duobus entibus completis, quàm in in cõpletis, ad constituendum ens per se.

9 Obiectioni ergo respondeo, duo entia omnino completa in suo genere non posse naturaliter vniri, ideò non posse ex illis fieri vnum per se: sic vna anima rationalis non vnitur alteri, nec vnus Angelus alteri. Præterea, si materia completa per formam substantialem vniatur alteri formæ, diuinitus non fit ex vtraque & materiâ vnum per se, quia non datur vnio inter illas formas (& hoc vult axioma illud) ex qualibet autem illarum simul cum materiâ fit vnum per se.

Sed vrgebis: Quid si diuinitus vniantur duæ animæ rationales, fierétne vnum per se? Fortè multi dicent, talem vnionem repugnare, sicut etiam inter duos Angelos; quo posito, nulla est
10 difficultas. Eâ tamen admissâ dico, tunc non constituendum vnum substantiale, aut per se, eò quòd nulla pars dicit naturâ suâ ordinem ad aliam, imò potiùs repugnantiam. Dico, *neutra pars*, quia fortè potest aliqua esse forma substantialis, quæ sit supernaturalis subiecto, quæ tamen illi vniatur per se: nam, licet subiectum illam non petat, è contrario tamen forma petit illud subiectum; si autem neutra pars dicit ordinem ad aliam, quomodo per se connectentur? Vnde ad rationem vnionis per se non sufficit, si extrema sint substantia, sed requiritur etiam, vt naturâ suâ inter se sint vnibilia, prout sunt duæ partes materiæ, aquæ, &c. Vbi aduertas velim, me non relabi in rationem recentiorum suprà impugnatam: non enim dico, ideò vniri per se, quia se respiciunt per se; sed dico, vniri per se, quia ambæ sunt substantiæ, & sunt connaturaliter absolutè vnibiles, quod vltimum experientia docet, & inde infero, eam esse vnionem per se.

Obiicies Secundò: Actio, etiamsi respiciat 11
subiectum quod est substantia, non tamen propterea est substantialis, ergo neque vnio erit substantialis ex eo capite quòd respiciat subiecta, quæ sint substantia. Idem est in vbicatione, & in aliis. Respondeo facilè, actiones omnes, vbicationes, durationes, &c. ex conceptu suo esse extra substantiam rei, quod suis in locis specialiter de qualibet probabitur; vnionem verò, cùm aliqua sit de substantiâ rei, vt ab omnibus admittitur, saltem in essentiali; & aliqua sit accidentalis; vt inuestigabimus postea quæ sit substantialis, non possumus meliori principio vti, quàm recurrere ad extrema modo explicato. Vn- 12
de, si inter actiones aliquæ essent substantia, aliquæ verò non, certè tunc dicerem, eam quæ afficit substantiam, esse etiam substantiam, illam verò quæ afficit accidentia, esse etiam accidens; imò ex ipsis actionibus possum confirmare meam sententiam, quia illa actio per se dicitur substantialis, quæ respicit substantiam, ergo ea dicitur vnio per se, quæ connectit substantiam & entia per se. Neque video quo meliori modo ea perfeitas vnionis explicari possit.

SECTIO II.

Continuum actu habet partes, & variæ sententiæ de illis proponuntur.

INQVIRIMVS, an lignum v. g. integretur ex indiuisibilibus ligni finitis, inter se copulatis, an verò ex partibus infinitis; an etiam ex his simul cum indiuisibilibus infinitis. Ratio dubi- 13
tandi est, quia ex vnâ parte indiuisibile additum indiuisibili videtur non facere maius, quia ea duo debent se tangere secundùm se tota seu adæquatè, & consequenter penetrari; ergo non potest continuum componi ex solis indiuisibilibus; addo etiam infinitis, quia si vnum additum alteri non facit maius, nec infinita facient. Aliunde verò actu concedere in arenulâ vel atomo infinitas partes, videtur omnino incredibile, præterquam quòd illud continuum debebit esse vel infinitum, vel nullum: nam si illæ partes occupant distinctum locum, occupabunt infinitum, cùm in se sint infinitæ; si autem non occupant distinctum, ergo penetrantur inter se, & consequenter non facient aliquid extensiuè maius.

Vt fugerent difficultatem, dixêre nonnulli, 14
actu in tabulâ v. g. nullas prorsus esse partes, sed eam actu indiuisibilem esse omnino, in potentiâ verò

verò habere partes, esseque diuisibilem; quæ sententia iam omnino exoleuit. Eam impugnat Hurtadus Disputatione 15. Physicæ, sect. 1. Ego breuiter hîc eam reiicio, Primò à priori, quia (vt sæpè dixi) distinctio vel identitas est prædicatum omnino intrinsecum & essentiale rei, nec illa potest ab alio extrinseco prouenire; vnde fit, vt quod seipso ab alio non distinguitur, nec per potentiam Dei absolutam distingui possit: ergo si lignum bipalmare v.g. actu est indiuisibile, & carens partibus distinctis, repugnat omnino, illud posse diuidi in plures partes, vnde terminis implicatur dum dicitur, non habere actu partes
15 & distinctionem, sed in potentiâ. Confirmo, pono hic duas aquas separatas, illæ etiam per te sunt veræ & realiter distinctæ; da in vnum vasculum vtramque infundi & inter se vniri, quæro, an tunc vna maneat distincta ab alterâ, an non. Si manet, teneo intentum, scilicet actu in continuo dari partes distinctas: si verò idem omnino manent inter se, ergo mutarunt sua intrinseca essentialia prædicata, quia anteà erat vna per suammet essentiam distincta ab aliâ, iam verò est idem cum illâ, quod omnino repugnat, nisi facias quæstionem de puro nomine, & partes non distinctas dicas, esse idem ac non seiunctas seu separatas, quo sensu verum dicis in re, abuteris tamen nomine *distinctionis*: anima enim, etiam quando actu est vnita, dicitur & est verè distincta à corpore, licet non sit separata ab illo.

16 Secundo argumentor: Ea quibus actu conueniunt contradictoria prædicata, actu distinguuntur; sed ligno, antequam diuidatur, etiam conueniunt prædicata cõtradictoria ratione partium, ergo componitur partibus realiter distinctis actu. Probatur Minor, actu enim sæpissimè vna pars ligni calefit, alia verò non; vna humectatur, alia verò non, &c. ergo ratione diuersarum partium illi conueniunt prædicata contradictoria. Confirmatur Primò, quando vnitæ sunt inter se manus & brachium, non potest dici, *manus est brachium*, aut è contrario, ergo etiam quando actu vnitæ sunt illæ partes, distinguuntur: imò, nisi actu distinguerentur, non possent actu vniri, quia vnio essentialiter est inter extrema distincta.
17 Confirmatur Secundò, quia eodem modo deberes dicere, animam & corpus, quando vniuntur, non distingui inter se, quod falsum omnino est.

Si verò respondeant, concedentes, eo ipso quòd vna pars calefiat, alia verò non, fieri designationem partium, facillimè impugnabuntur: nam eo ipso omne continuum semper erit designatũ in partes, semper enim habet prædicata contradictoria secundùm aliquid; nam aliquid est in assere dextrum, aliquid sinistrum, aliquid altius, demissius aliquid, & semper respondent diuerso saltem spatio imaginario.

Nec satisfacient, si rursus dicant, in assere nihil esse dextrum aut sinistrum sed idem indiuisibile respiciens partem dextram & sinistram. Non, inquam, satisfacient, quia de ipsâ albedine & calore hoc ipsum dicere possent, scilicet, nec per albedinem & nigredinem, calorem & frigus fieri designationem, nec esse aliquid album, & aliquid nigrum, sed idem indiuisibile respiciens albedinem & nigredinem, calorem & frigus, quo iam retractant priorem solutionem. Deinde, quis negabit in statuâ esse manum, dextram & sinistram, etiamsi tota statua sit ex vno trunco? Idem est in homine, equo, &c.

Tertiò principaliter eam sententiam impugno, 18
quia in eâ planè eius auctores videtur sibi aduersari: dicunt enim, eo ipso quòd ego manu, vel linguâ, vel alio modo vnam partem ex illis assigno, iam fieri distinctam ab aliâ; ex quo sic Primò argumentor euidenter: Distinctio vnius partis ab aliâ, est aliquid intrinsecum ipsi parti, est enim prædicatum essentiale, fundans negationem alterius: atqui mea designatio est quid extrinsecum aquæ, nec eam afficit intrinsecè, aut vllo modo intrinsecè immutat, ergo repugnat, vt det illi distinctionem intrinsecam, ergo si post designationem eam habent distinctionem, etiam & ante designationem. Secundò sic inde argumentor. Hi Auctores, quia vident vnionem semper esse inter distincta, negant partes illas in continuo actu vnitas, ne cogantur eas dicere duas & inter se distinctas; ergo cùm iam dicant, post meam assignationem eas partes esse inter se distinctas, debebunt necessariò dicere, iam post designationem etiam esse vnitas, & consequenter eo ipso quòd ego dico, *illa & illa pars aquæ*, iam resultare inter illas vnionem intrinsecam distinctam; quo nihil absurdius dici potest. Quòd si dicant, tunc non resultare vnionem; contrà, Ergo cùm anteà non essent vnitæ, quia per te erat vna res indiuisibilis, & iam non resultauerit vnio, manebunt sine vnione sicut anteà, & iam manebunt actu plures; ergo post meam designationẽ per intellectum, tota aqua Oceani discontinuatur inter se, qui est alius error peior priore. Inde Tertiò sic argumentor, & rogo, Ea designatio, quâ ego facio eas partes actu distinctas, quamdiu eas relinquit distinctas? an posteà in perpetuum, an tolùm quamdiu ego loquor & designo? Si primum, rogo, quid intrinsecum reliquerit posteà in perpetuum in eâ aquâ mea designatio heri habita, ratione cuius iam semper ea duo distinguantur. Certè nihil; & consequenter, non potest ab eâ talis distinctio posteà prouenire. Si verò dicas secundum, scilicet cùm primùm ego cesso loqui, fuisse eas partes iterùm inter se vnum quid indiuisibile factas, rogo, quomodo id contigit, an non tam latum manet mare, & diuersa occupans loca, quando ego cesso loqui de eius partibus, quàm quando de eo disputo? Certè hæc mihi tam videntur euidentia, vt tantùm putem, istos in nominis acceptionis errare.

Quartò principaliter eos impugno, quia causa 19
& effectus actu distinguuntur ante omnem nostram designationem, vt per se est euidens: atqui inter partes continui actu vnitas ante omnem designationem, aliquando vna producit alteram, ergo aliquando vna distinguitur ab aliâ ante omnem meam designationem. quòd si in aliquibus id conceditur, etiam debet in omnibus, est enim eadem ratio. Probo ergo Minorem: in formâ substantiali ignis se adgeneratione augente; in eodem enim instanti, quo pars formæ ignis præexistens comburit stupam applicatam, in eodem instanti illam sibi vnit, & manet vnus ignis totalis. Idem clariùs cernitur in animâ equi se nutriente, in eodem enim instanti nutritionis, quo noua pars producitur ab antiquâ, in eodem instanti ex vtraque fit vna anima per se. Idem est in

omnibus casibus, quando calor vel frigus serpit paulatim per idem passum, vna enim pars caloris producit aliam in vicinâ parte materiæ, & cum eâ facit vnum per se calorem: ergo illæ partes caloris continuæ etiam ante omnem designationem sunt verè inter se distinctæ, quia verè vna est causa alterius, & producit illam: nemo autem se ipsum producit saltem per primam actionem; imò in sententiâ horum, contra quos disputo, nec diuinitus etiam per secundam actionem.

Quintò (& sola hæc ratio contra prædictam sententiam sufficit) nullus enim erit qui neget ante meam omnem designationem non esse tantum de aquâ in vnâ nuce plenâ aquâ, quàm sit in toto Oceano, aut hunc esse maiorem fonticulo: quòd si hoc negetur, satis est ad noscendam sententiæ falsitatem; ergo Oceanus ante designationem non est indiuisibilis, aliàs non esset maior. nam vnum indiuisibile non est maius altero, neque habet plus quàm alterum: vnde etiamsi anima gigantis occupet plus loci quàm anima infantis, quia tamen est indiuisibilis, ideò nec est maior, neque habet plus de animâ quàm anima infantis; ergo vel mare habet partes ante meam designationem, vt contendo, vel non est maius, neque habet plus de aquâ quàm passer in rostro, quo nihil dici potest absurdius.

Nec satisfacit, dicere, mare ideò esse maius, quia habere potest plures partes. Hoc, inquam, non satisfacit: nam si actu non habet plus, ergo actu non est maius, sed solùm poterit esse maius, quia potest habere plures partes: ego autem dixi, absurdissimum esse asserere, mare actu, antequam ego designem, non esse maius quàm sit vrceolus, & tunc non habere plus de aquâ. Huic autem non respondetur per hoc quod possit habere, quia per hoc non tollitur actualis eius indiuisibilitas, & consequenter nec actualis æqualitas cum vrceolo.

Vltima impugnatio huius sententiæ est, quia argumenta illius nihil planè probant, & si aliquid, sanè contra ipsos. Dicunt enim, omnes partes aquæ vnitæ verè esse vnam aquam, ergo illæ partes sunt idem inter se. Quale argumentum? quod Primo ita retorqueo: Etiam post meam designationem, est ea aqua verè vna, ego enim non abstuli illi vnitatem aquæ; & tamen iam sunt multæ partes etiam per te: quid ergo ad hæc dices? Secundò, nónne argumentum hoc eodem modo in animâ & corpore habet locum? Sicut enim lapis est verè vnus, ita homo est verè vnus homo; ergo ob hanc rationem, corpus & anima erunt inter se idem, sicut per te sunt partes lapidis. Nec sufficit si dicas, hominem esse totum heterogeneum, lapidem verò homogeneum; id enim facillimè impugnatur, quia hæc differentia in præsenti nulla est. Sicut enim repugnat heterogeneitas totius sine distinctione, quia nihil indiuisibile esse potest sibi heterogeneum; ita eodem modo repugnat totum homogeneum sine partibus actu distinctis: quia sicut dissimilitudo, quæ est in heterogeneis, requirit distinctionem, ita eamdem requirit similitudo totius homogenei. similitudo enim semper est inter plura. Hinc conficitur argumentum contra eos, Quia à parte rei ante meam designationem vna extremitas papyri & fluminis, est similis alteri extremitati, ergo sunt actu distinctæ.

Denique, quòd putent se per hanc sententiam euadere continui difficultates, multò magis dif- 20
plicet, hæc enim non desumuntur, vt inferiùs constabit, nisi ex eo quòd ampliùs & ampliùs vnus atomus in infinitum sit diuisibilis, quod à te non negatur, etiamsi actu, antequam Angelus vel ego de illo loquamur, careat partibus, quod ad nostrum intentum nihil planè conducit. Exterminanda ergo est hæc sententia à Philosophis benè & clarè discurrentibus, ac ponendæ sunt actuales partes in continuo inter se realiter actu distinctæ. Quo posito,

Celebris est sententia Zenonis, Pythagoræ, Leucippi, omniumque Stoicorum docentium, continuum finitum componi ex indiuisibilibus finitis. Eam defendunt recentiores multi & graues è nostrâ Societate.

In eam inuehitur acriter Aristoteles, qui secundæ in hac re sententiæ auctor est, docens, continuum quodcunque, etiam atomum, constare in finitis partibus in infinitum sine fine diuisibilibus etiam per æternitatem. Hæc est, communissima sententia inter Philosophos, variè tamen explicatur. Quidam enim solas infinitas partes, alij partes & puncta ponunt. Hi verò rursus diuisi sunt inter se: quidam ea puncta ponunt inter partem & partem, alij verò solùm ea vt vniones admittunt; alij tandem solùm admittunt infinita puncta in continuo.

Post has duas sententias nonnullis recentioribus, admittentes cum Zenone finita puncta, ea tamen posuerunt occupantia locum diuisibilem; qui nec omnino inter se conueniunt. Aliqui enim dicunt, locum illius puncti esse diuisibilem in quatuor vel quinque puncta; alij verò, diuisibilem in infinitum. Contra hos agam Sectione 9.

Materia hæc, vt suprà dixi, planè est inexplicabilis, & quidquid dicatur, videtur euidenter reiici: ergo proponam, quid circa istas sententias mihi occurrat, quid autem vltimò tenendum sit, dicam numero vltimo. Interim tamen ne terreatur quis, si aliqua argumenta euidentia esse dixero: licet enim nobis euidentia appareant, certè non omnia talia sunt, ignoratur enim à nobis in hac materiâ principium aliquod, ex quo multorum argumentorum solutio pendet. Et quidem Primò dicam, quid in Aristotelis sententiâ difficultatem ingerat, quid deinde in Zenonisticâ.

SECTIO III.

In sententiâ Aristotelis partes proportionales & etiam determinatæ necessariò videntur futuræ simpliciter infinitæ actu.

PRIMVM quod in Aristotelicâ sententiâ difficultatem parit, est, an partes continui sint simpliciter infinitæ. Negant id aliqui, eò quòd putent, admissâ eâ infinitudine, totam sententiam Aristotelis ruere. Alij meliùs eam concedunt, quod iam in hac Sectione probandum. 21

Aduerte ergo, partes determinatas & designatas, eas esse, quæ designari & determinari possunt, habentque certam magnitudinem, v.g. homo habet

bet sex, & non plures palmos in longitudine, isti palmi sunt inter se æquales determinati, & certæ magnitudinis, numeroque finiti. Aliæ sunt partes, quæ vocantur *proportionales*, quia proportione seruatâ secantur in plures partes, vt palmus in duos semipalmos, & in quatuor medietates semipalmorum. Dicũtur *inæquales*, quia semper vna est minor alterâ; *communicantes*, quia vna accipit aliquid de aliâ, vt semipalmus de palmo; *indeterminatæ*, quia nullum habent terminũ paruitatis. Partes hæ inclusæ sunt indeterminatis, & ab eis saltem inadequatè distinguuntur, sicut materia includitur in homine, & ab eo solùm inadæquatè distinguitur. 22

Recentiores aliqui sunt valdè solliciti, vt has partes proportionales finitas simpliciter ostendãt, & infinitas solùm secundùm quid, & eo tantùm modo, quo homo pictus secundùm quid est homo: cuius rei eam reddunt rationem, quòd partes proportionales omnes includantur simpliciter in partibus determinatis, ergo simpliciter & absolutè non sunt plures quàm determinatæ, etiamsi secundùm quid, & cum addito sint infinitæ. posteà verò latè ostendunt, *secundum quid* & *absolutè* esse terminos repugnantes inter se. 23

Ego benè admitto, *secundum quid* & *absolutè* esse terminos repugnãtes, sicut & alios quos ibi hi afferunt, nec in hoc est vlla difficultas: debuissent autem efficaciùs ostendere id conuenire etiam partibus proportionalibus; ratio enim illorum id non probat, quod ostendo euidenter, & simul probo, nõ solùm partes indeterminatas, sed etiam determinatas esse omnino infinitas. Aiunt enim, Quia partes proportionales non sunt distinctæ à determinatis, non possunt esse absolutè plures quã determinatæ. Iam Primò hæreo in hac ratione, quasi quis diceret, Palmi nõ sunt distincti à totâ hominis staturâ, ergo quia statura est vna, palmi nõ erunt absolutè & simpliciter sex, sed vnus. Ego non video, quæ sit hæc consequentia. Item, lateres sunt pars domus, & ab eâ solùm inadæquatè distinguuntur: item, materia & anima non sunt distinctæ ab homine, ergo, quia homo est vnus, materia & anima non sunt absolutè distincta duo entia. Quis hoc inferet? Aut quia domus est vna, non erunt absolutè & simpliciter nisi vnus later, & solùm secundùm quid mille aut duo millia laterum? Quis hoc, inquam, docuit? Ratio euidens contra eam doctrinam est, quia pars proportionalis est minor quàm determinata, imò infinitè minor, etiamsi sit aliquid illius, sicut media vlna est aliquid minus quàm vlna, etiamsi sit pars illius. Vnde infero, Ergo numerus, qui absolutè non conuenit maiori parti, conuenit minori absolutè, & dicuntur absolutè duæ vlnæ, & absolutè quatuor semiulnæ: imò illi ipsi semiulnam vocant partem proportionalem respectu vlnæ, debebant ergo dicere consequenter, esse repugnantiam in terminis, dicere duas semiulnas, quia semiulna est pars proportionalis vlnæ. Imò tenentur fateri, etiam esse repugnantiam, dicere, Homo habet absolutè multas partes determinatas, nam etiam ipsæ partes determinatæ non distinguuntur ab homine, vnde absolutè non sunt plures quàm homo ipse; sicut indeterminatæ non dicuntur ab illis plures quàm ipsæ determinatæ eò præcisè quòd in illis includuntur. Constat ergo, ex hoc argumento 24 25

de continentiâ vel idemtitate nullatenus euinci partes proportionales non esse absolutè & simpliciter infinitas, etiamsi determinatæ finitæ essent. Sed & has esse infinitas, probabo infrà. Antequam verò probem positiuè eas esse infinitas, suppono Primò, etiam in sententiâ Zenonis de punctis finitis, dari partes determinatas, v. g. in vlnâ quatuor palmos; item proportionales, quia illæ diuiduntur in minores & minores, quæ etiam sunt inter se communicantes, nam vna accipit mediam partem alterius; item, & inæquales, quia semper diuiditur in minores. Quòd si hoc sint contenti Aristotelici, libenter Zenonistæ eis consentient, dummodò concedant tandem ita diuidi posse continuum, vt veniatur ad vnam partem duobus punctis tantùm constantem, quâ diuisâ ampliùs iam non possit fieri maior diuisio: in hoc enim de re differunt hæ duæ sententiæ, quòd vna eas partes infinitè diuisibiles, altera verò finitè tantùm ponit. ex hac autem differentiâ videtur euidenter ostendi, Aristotelicos debere necessariò concedere, partes illas esse actu infinitas simpliciter & absolutè. Pro quo 26

Suppono Secundò, eas partes vniri inter se per vnionem distinctam, & separationem illarum fieri per destructionem vnionis. In quo ferè omnes consentiunt, propter argumentum separabilitatis eius vnionis à partibus simul sumptis, de quo alibi. Sed licet hoc negetur, & fortè tam clarè tunc non probetur ea infinitudo, probabo tamen illam etiam independenter ab hoc suppositio. 27

Argumentor ergo sic: Ille cumulus continet actu infinitas vnitates simpliciter & absolutè, & non solùm secundùm quid, à quo si successiuè vna vnitas post aliam auferatur, numquam poterunt illæ vnitates exhauriri. Hæc est propositio per se euidens, imò est ipsamet definitio infiniti, & ex hoc principio aduersarij probant, cumulum hominum possibilium, quos Deus v. g. simul actu cognoscit per scientiam simplicis intelligentiæ, esse infinitum simpliciter, quia si de eo vnus post alium ad existentiam extrahatur, numquam poterit exhauriri; non ergo est de hac propositione dubitandum. Venio ad Minorem, quæ est illorum sententia. Atqui Angelus secans continuum in minus & minus, quolibet quadrante horæ, vel singulis oculi ictibus vnam dissoluens vnionem, separando partem à parte, numquam poterit omnes eas vniones dissoluere, sed semper plures & plures restabunt separandæ in eo continuo. Hæc est illorum doctrina, & in hoc solùm, vt paulò antè dixi, differunt à Zenonistis, ergo in eo continuo erant actu infinitæ vniones auferibiles absolutè & simpliciter, omnes autem anteà erant ibi simul, ergo simul erant infinitæ vniones. Quod dico de vnionibus, dicitur etiam eodem modo de ipsis partibus. Nec potest responderi, eas vniones non fuisse anteà omnes ibi: non, inquam, dici potest, quia dissoluendo continuum, non est producta vlla vnio, sed potiùs destructa. Nec Secundò potest dici, eas vniones fuisse quidem ibi, non fuisse tamen inter se distinctas actu: non inquam dici potest, quia (vt benè plerique eorum alibi docent) quæ semel realiter non distinguuntur, non possunt vllâ potentiâ fieri distincta; & inde probant, partes compositi actu esse distinctas, quod nos fusiùs Sect. 2. ostendi- 28 29

mus: ergo negari nequit, illas vniones non solùm secundùm quid, sed absolutè & simpliciter fuisse infinitas, aliàs possent finiri, & tunc venires ad sententiam Zenonis, de quâ infrà.

30 Hoc argumentum immediatè probat de vnionibus, quia illæ sunt quæ auferuntur seu corrumpuntur, dum diuiditur continuum; sed inde clarè infertur etiam de partibus, quia quælibet vnio coniungit distinctam partem, *Vniones sunt infinitæ, ergo & partes.* Et quidem ipsi aduersarij secundam hanc consequentiam reputant bonam, nec ferè ei potest aliquid responderi, nisi vocum & terminorum multiplicatione confundendo quæstionem.

Respondebis fortè, continuum posse successiuè absolui, si destruantur partes determinatæ. Sed contrà, quia ego iam non contendo, partes determinatas esse infinitas, sed solas proportionales, & hoc clarè probatur argumento facto. Et ne terminis rem mihi confundas, voca partes determinatas, voca indeterminatas, dic quod velis, hoc saltem asseris, si Angelus continenter dissoluat continuum, non posse vmquam finiri. ergo ibi sunt vniones auferibiles, & partes dissolubiles categorematicè & simpliciter infinitæ propter
31 argumentum suprà factum. Iam autem tu videris, quomodo ea infinitudo partium & vnionum (quandoquidem vna vnio est extra aliam vnionem, & pars extra aliam partem; non enim penetrantur inter se) quomodo, inquam, non faciant infinitam simpliciter magnitudinem: concessâ enim hac infinitate, non parum vrgentur Aristotelici à Zenonistis, qui ideò enixè conãtur ostendere, non esse simpliciter infinitas, sed tantùm secundùm quid, vt initio obseruaui.

32 Vrgeo ad hominem, argumento, quo aliqui ex ipsis vtuntur: docent enim infinitum syncategorematicum secundùm id quod habet, simpliciter esse finitum, & solùm secundùm ea quæ potest habere dici infinitum, & quia ea quæ potest habere, numquam actu habet, ideò non esse infinitum simpliciter. Hæc illi, & benè: ex eis autem probo manifestè, continui partes esse categorematicè & absolutè infinitas; quia vnitates, seu puncta, seu partes in continuo non dicuntur infinitæ, eò quòd palmo possint plures & plures partes addi, sed ratione earum quas actu in se habet, ergo est categorematicè & simpliciter infinitum, & malè illi applicatur infinitudo syncategorematica.

33 Vrgeo ex iisdem. Cùm enim argumentantur contra eos, qui dicebant, homines possibiles esse infinitos secundùm quid, ita ratiocinantur: Illi homines secundùm statum possibilem vel sunt infiniti categorematicè, id est, inter illos non est primus & vltimus, & sic habetur intentum; vel sunt syncategorematicè infiniti, & sic erunt in statu possibili finiti, & habebunt primum & vltimum, & solùm secundùm additionem possibilem erunt infiniti, quod est terminis hallucinari. Hæc illi, & benè. quæ ego eodem modo contra illos applico. Rogo enim, an partes per diuisionem & subdiuisionem separabiles ab ipsâ chartâ, sint categorematicè infinitæ, & tunc teneo intentum: si verò syncategorematicè solùm, ergo habent primam & vltimam, & solùm sunt infinitæ secundùm additionem possibilem, quod est ter-
34 minis hallucinari. Nam partes chartæ non dicuntur infinitæ propter alias quæ possunt ei chartæ addi, sed ab his quas actu in se includit, ergo habet partes actu categorematicè infinitas.

Ostendo autem iam, etiam partes determinatas, quæ sunt in hac chartâ de facto, categorematicè & simpliciter infinitas: si enim Deus diuidens chartam hanc, illius medietatem post cælum empyreum proiiceret, & rursus medietatem medietatis, argumentor sic: In hoc continuo sunt actu infinitæ partes hoc modo proiicibiles post cælum empyreum, sed partes hoc modo proiici- 35
biles sunt determinatæ, ergo hîc sunt partes actu determinatæ infinitæ. Consequentia est euidens. Maior est tua doctrina: quia, si Deus semper diuidat & proiiciat post cælum, in perpetuum habebit partes diuidendas & proiiciendas per totam æternitatem, ergo sunt infinitæ actu, aliàs exhaurirentur (vt suprà de indeterminatis argumentabar.) Et declaratur amplius exemplo: si ex vnâ bursâ in perpetuum sine fine possent nummi extrahi, etiamsi vnus minor alio, euidens est naturæ lumine, ibi debuisse fuisse infinitos nummos. Repete, quæ suprà dixi, ad probandam infinitatem partium proportionalium. Venio ad 36
Minorem, quæ adhuc est certior: quia quælibet pars quæ proiicitur, necessariò debet esse determinata, quia indeterminatum non potest tangi, signari, nominari, &c. sunt ergo determinatæ & determinatissimæ, ergo actu in hac chartâ dantur partes determinatæ infinitæ, licet actu vnitæ inter se. Et licet vna sit minor aliâ, quod parum interest ad multitudinem infinitam, dummodò omnes sint determinatæ, signabiles, tangibiles, &c. vt ostensum est. Certè hoc argumentum videtur persuadere intentum, si quod aliud euidens esse potest.

SECTIO IV.

Quæ videantur impugnare partes & puncta realia.

MIRVM est quantas obscuræ quæstioni addi- 37
derit tenebras sententiarum varietas, vel (vt propriè loquar) in quot & quales omnes Philosophos non diuiserit sectas difficultas sententiæ.

Quidam ergo ex his qui Aristotelis sententiam sequuntur, admittunt in continuo partes, & puncta extra eas partes, quæ sint vel continuatiua, vel terminatiua partium. Ita P. Suarez Disputatione 4. Metaphysicæ, sect. 5. vbi multos alios pro eâ refert. Hi autem sequentes patiuntur difficultates. Prima, quia si punctum additum parti facit maius, ergo additum puncto etiam faciet maius, & corruet argumentum quo ipsi vtuntur contra Zenonistas, desumptum ex eo quòd punctum additum puncto non facit maius. Sequela probatur euidenter, quia, si punctum A v.g. non potest tangere punctum B, nisi tangat illud totum, ideoque debet penetrare illud, & consequenter non facit maius; ita etiam pars non potest tangere punctum, nisi tangendo totum punctum, & consequenter nisi occupando locum puncti, ergo punctum non facit maius cum parte. Quod si illa 38
indiuisibilia propter hoc argumentum dicantur esse intra omnes partes, Contrà euidenter Primò, ergo illa penetrant partes; ergo, cùm sit ibi indi-

indiuisibile vnum quantitatis, & hoc penetret alias partes quantitatis, etiam partes quantitatis poterunt penetrari inter se, quia si simul aliquid quantitatis penetrat aliud, proculdubiò etiam multum poterit multum, & consequenter omnes partes inter se. Contrà Secundò, ergo impertinentia prorsus sunt talia puncta, quia nec vniunt partes inter se, nec illas continuant, nec terminant, nec occupant nouum locum. Non vniunt; quia per te non sunt vniones, sed res vnibiles. Non continuant, quia non sunt inter partem, & partem. Non terminant, quia non sunt post partem. 39 Tandem quia argumenta, quibus ea puncta probant, omnia corruunt, si non sint extra partem; solent enim arguere à corpore perfectè sphærico tangente planum in solo puncto; hoc autem fieri nequit, si punctum sit intra partem, tunc enim necessariò se tangent in parte: rursus aliud fortius ex tempore, vbi existit instans solum, iam autem ponunt illud intra partem. Hoc idem in aliis omnibus eorum argumentis manifestè ostenditur.

Iam magis in particulari argumentor contra hæc puncta, quia non possunt dari terminanti, aliàs quando diuiditur continuum, deberent ibi resultare noua puncta; ergo deberent, quotiescumq; homo mouetur & interfecatur aër (idem est de quocumque animali) quotiescumque separatur vna gutta liquoris ab alio, & vno verbo, singulis momentis in innumeris locis, quia diuiduntur corpora, & consequenter materia prima illorum corporum; deberent inquam tunc creari 40 noua puncta materiæ. Respondet Suarez, hæc non creari, sed emanare à materiâ. Sed hæc est quæstio de solâ voce: cùm enim illud punctum verè sit independens à subiecto, verè debet creari, non minùs quàm anima rationalis. Iam autem vbi est agens, à quo talia puncta ibi producantur? & vnde colligis eorum necessitatem? Eodem modo probatur, nec esse talia puncta continuantia, quia rursus, quando aër vel aqua continuatur, deberent ea puncta continuatiua produci & terminatiua annihilari. Vt autem concedas de facto omnibus ferè creaturis virtutem annihilandi & creandi, non puto inducêris facile, qui nec de potentiâ absolutâ id vis concedere vlli creaturæ.

41 Secunda difficultas est. Si enim ponantur ea puncta cõtinuatiua, vel inter punctũ & punctum est pars diuisibilis, vel solùm indiuisibilis. Si indiuisibilis, ergo nihil est ibi quod tandem non sit indiuisibile, quod Zeno docuit. Si diuisibilis, ergo & continua, & tamen sine puncto. cur ergo & ceteræ partes non poterunt sine punctis continuari? Confirmatur: etiamsi dentur ea puncta continuatiua, punctum tamen in tuâ sententiâ vnitur parti sine alio puncto, sed per se (non excludo per hoc modos vnionis, sed loquor de extremis vnitis) ergo pars poterit vniri parti sine puncto medio: quæ enim maior inimicitia inter partem & partem, quàm inter hanc & punctum excogitabitur, vt illæ non possent iuxta se sedere, sic verò pars iuxta punctum?

42 Tertiò, omissis aliis rationibus quæ non sunt tam contra istam sententiam, quàm contra omnes Aristotelicos (& de quibus infrà) sic puncta hæc reicio, quia vel illud punctum est eiusdem rationis cum parte, vel diuersæ. Si diuersæ, non facient propriè extensionem & compositionem integralem: quis autem inter extrema integrantia aquæ aut ignis posuit diuersitatem specificam? tunc enim deberent duo ignes diuersi specie poni, vnus qui punctis, alter qui partibus constaret, quæ sunt manifestè absurda. Si verò dicas, ea puncta esse eiusdem rationis cum parte, ergo ex punctis constat pars, & solùm erit differentia, quòd pars dicat multa puncta, punctum verò solùm dicit vnicum punctum. tunc autem iam venis ad Zenonis sententiam, continuum scilicet tandem resolui posse in puncta, siue sint infinita siue finita, de quo iam non ago.

Tandem sic argumentor: Si propter mutuum 43 contactum corporum, ponis superficiem indiuisibilem, vt v. g. quando tango chartam, eam tangam in superficie solâ sine penetratione. Contrà, ergo lignu mediâ ex parte intra aquam existens, tanget aquam & aërem simul, ergo debebit habere duas superficies immediatas, & consequenter totum constabit superficiebus. Patet prima sequela: quia per vnam superficiem tangit aquam, per alteram immediatam tangit aërem: vna enim eademque non potest duo corpora tangere, nam duæ illæ superficies aëris & aquæ vna est supra alteram, ergo per vnicum punctum vel superficiem non potest lignum esse in æquali altitudine cum vtrâque illâ superficie, sed necessariò debebit habere vnam quâ cum superficie aquæ faciat planum, & aliam quâ cum superficie aëris faciat aliud planum: illæ autem sunt immediatæ inter se, ergo habet duas superficies indiuisibiles immediatas, ergo & totum lignum hoc modo constabit eis superficiebus, & tandem sola erunt puncta.

SECTIO V.

Argumenta contra puncta quæ sint vniones partium.

MVLTI recentiores deserere nolentes ex vnâ 44 parte sententiam communem, quæ docet, in continuo dari puncta; aliunde verò, vt à difficultatibus, quæ contra ipsa fieri possunt, liberarentur, solùm ea puncta vt modos vnionis admisêre, inter quos est Hurtadus Disput. 15. sect. 3. Sed hi nomine tantùm non re satisfaciunt communi auctoritati, & præsertim D Augustino, etiamsi ipsi dicant, Augustini verbis tradi expressè suam sententiam. Augustinus enim eo libro de Quantitate animæ cap. 11. & 12. sententiam P. Suarezij videtur expressè tradere, à puncto enim dicit incipere lineam, & in puncto terminari; & per punctum lineas dicit continuari, quod est ponere puncta terminantia & continuantia, & initiatiua, sicut dixit P. Suarez: hi autem recentiores non dicunt lineam à puncto incipere, sed à parte proportionali, & idem est de terminatione. Ratio est in eorum sententiâ euidens, quia vnio 45 non ponitur ab ipsis tamquam extremum lineæ terminans vel continuans, sed tamquam modus in ipsâ parte existens, & intra illam: vnde non potest propriè illam terminare, quia non est finis lineæ magis, quàm ipsa pars in quâ est. Imò D. Augustinus paulò ante hunc locum expressè docet, id vnde incipit linea, non esse longitudinem: quia si est longitudo, non est initium illius.

Cui hi directè opponuntur, cùm ponunt initium lineæ à parte proportionali in quâ iam est longitudo. Confirmo autem hoc idem congruentiâ quadam satis in hoc puncto efficaci, quia scilicet de vnione distinctâ, quæ vt modus inhæret partibus, nec D. Augustinus, nec Aristoteles, nec alij antiquiores disputarunt; ergo puncta quæ illi posuerunt, non sunt vniones, de quibus hi recentiores, sed qualia à Suarez admittuntur.

SVBSECTIO PRIMA.

Huius sententiæ prima impugnatio.

46 SED quidquid sit, an satisfaciant hi antiquorum intento nécne, impugnatur hæc sententia efficacissimè. Et quidem in eâ minùs consequenter loqui multos ex his ad ea quæ de vnione in communi dixerant, ostendi suprà Disputatione IV. à num. 53. vbi reieci illos aientes, vnum modum materialem non posse habere duo subiecta, quæ omnia iam hîc concedunt huic vnioni integranti. Absolutè verò eos impugno Primò, quia ex illâ sequitur euidenter, penetrari naturaliter duas partes quantitatis, & consequenter etiam omnes posse penetrari, quod est euidenter falsum. Primam sequelam probo; & maioris claritatis gratiâ pono, diuidi asserem, & argumentor sic: Quælibet pars asseris quæ separatur, erat penetrata cum eâ vnione, quæ in separatione est destructa, ergo & ambæ inter se. Patet euidenter consequentia, quia si ambæ erant in eodem loco in quo vnio, ergo ambæ erant inuicem in eodem loco: hîc enim habet locum suo modo, Quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se.

47 Posset dici Primò, vnionem non fuisse nisi in vnâ parte adhæsiuè in alterâ inhæsiuè. Sed contrà Primò, quia cùm illæ duæ partes eodem modo vniantur, & sint eiusdem rationis, cur vna haberet totum pondus vnionis, alia verò non? Contrà Secundò efficaciùs, quia eo ipso quòd pars adhæreat puncto, debet penetrare totum punctum, secundùm illos: inde enim arguunt contra Zenonistas, aientes punctum additum puncto facere maius; ergo, etiamsi pars præcisè adhæreat, adhuc debet esse in eodem loco cum puncto seu vnione, & consequenter in eodem loco vbi est altera pars.

48 Respondebit Secundò, vnionem esse in duobus locis. Sed contrà, Primò, ergo res materialis, qualis est illa vnio, occupat duo loca, quorum quilibet illorum est illi æqualis: nam si est in duobus, non potest in quolibet minus quàm indiuisibile occupare, ipsum autem non est nisi indiuisibile; ergo occupat maiorem locum se. Contrà Secundò, quia vel occupat duas partes ligni diuisibiles, vel indiuisibiles. Si indiuisibiles, tenet Zenonista intentum, scilicet ibi esse partes indiuisibiles: si diuisibiles, ergo ex parte A. ligni abscissi occupabat partem diuisibilem, & aliam diuisibilem ex parte B. abscissi; & hoc est ominino repugnans, quia pars diuisibilis iam includit aliam vnionem, quæ adhuc manet in qualibet ex illis duabus medietatibus; ergo illa vnio quæ periit, penetrabatur etiam cum aliis vnionibus, quæ manent in vtraque medietate. cùm autem essent vniones diuersarum partium, non poterunt inter se penetrari, nisi etiam partes, in quibus erant, penetrarentur; quia vniones, vtpote modi partium, non occupant alium locum à loco partium.

Respondebit Tertiò, punctum tangere partem 49
diuisibilem, indiuisibiliter tamen. Verùm hæc in primis est repugnantia in terminis. Aliud enim est rem, quæ denominatiuè tangitur, esse diuisibilem, denominatur enim tota tangi, eò quòd aliquid illius tangitur, sicut homo denominatur tangi, etiamsi anima & vnio non tangantur, sed sola materia. Aliud verò est loqui de re, quæ propriè & in se, & non solùm denominatiuè tangitur, seu de termino formali tactus. Nec etiam loquor de modo quo tangit, hoc enim est per accidens; Deus enim mihi est præsens indiuisibiliter, & tamen verè & realiter est præsens animæ & corpori, & consequenter rei diuisibili, seu duabus rebus. Rogo ergo, res, quæ fuit verè, & 50
non denominatiuè solùm, tacta ab vnione in qualibet medietate ex illis abscissis eratne vna Mathematicè, an duplex? Si vnica Mathematicè, ergo erat indiuisibilis (hoc intellige claritatis gratiâ per *vnicam Mathematicè*) ergo iam ibi est pars indiuisibilis. Si erat duplex, ergo multæ partes sunt tactæ: hoc autem est tangere diuisibiliter, id est, res diuisibiles. sicut dixi, Deus in se indiuisibilis, dum tamen est mihi præsens, est verè præsens rei diuisibili, animæ scilicet & corpori.

Secundò non est ad rem hæc solutio, quia et- 51
iamsi punctum non tangat totaliter partem, seu totam partem, pars tamen tangit totum punctum: ergo pars quælibet est in toto loco puncti, ergo quælibet pars penetrat alteram saltem quantum occupatur à puncto, siue parum siue multum. data autem aliquâ penetratione, & omnis potest dari, quia vt suprà ex Aristotele dixi, si duo possunt penetrari, & mille poterunt.

Respondebit Quartò, eam non esse penetrationem, quia non est in parte determinata. Sed contrà, hæc enim iam est quæstio de nomine. ego enim ostendo, ibi penetrari aliquid quantitatis (voca illud prout tu volueris) hoc ego absolutè voco penetrationem, & ex illo euidenter argumentor ad probandum, totam etiam quantitatem posse penetrari; quia si aliquid non impedit aliud vel indiuisibile, ne sit in proprio loco, nec impediet infinitum.

SVBSECTIO SECVNDA.

Alia impugnatio.

SECVNDÒ impugno hanc sententiam, quia ex 52
illâ sequitur, esse quidem in continuo infinitas partes materiæ (vt suprà ostendi) solùm tamen indiuisibiles, quod hi Auctores conantur fugere. Probo manifestè sequelam: si auferat Deus diuinitus omnes modos vnionis à ligno, repugnat, vt maneat ibi aliquod diuisibile, seu compositum, quia compositum seu diuisibile essentialiter dicit vnionem; ergo omnia, quæ manent, sunt indiuisibilia.

Dices: Casus ineludit repugnantiam, quia de essentiâ quantitatis est, esse diuisibilem, vnde semper debet habere aliquam vnionem. Sed contrà Primò, quia hæc est clara petitio principij; id enim nunc impugnatur: tu verò respon-

des

53 des ipsâ tuâ conclusione. Contrà Secundò, quia argumentum nunc non contendit, id, quod remanet, futurum quantitatem, sed indiuisibilia illius, siue vocetur quantitas siue non, vel vt volueris; sicut de essentiâ hominis est, dicere vnionem inter animam & corpus, seu esse essentialiter diuisibilem. Quia verò de essentiâ materiæ vel animæ non est, eam vnionem habere, potest hæc ab animâ & materiâ separari, & tunc nulla ex illis manebit diuisibilis, neutra etiam erit homo. Iam ergo idem hîc dico: separet Deus omnes vniones, quod remanebit, non erit quantitas (si nomine quantitatis intelligis aliquod compositum, nolo enim contendere de nomine) quia non manet vnio; manebit autem aliquid indiuisibile, ergo continuum tandem componitur ex solis indiuisibilibus, siue ea sola sint quantitas, siue non.

54 Dices: Si quodlibet punctum seorsim non est quantitas, esset implicatorium vt ex illis resultaret quantitas. Hoc etiam aliqui obiiciunt contra sententiam de solis punctis: sed miror, homines doctos nixos tam debili scipione. Rogo enim, cur magis repugnat ex non quantis fieri quãtum, quàm ex non hominibus fieri hominem, scilicet ex materiâ primâ & animâ rationali? Quod idem est in omnibus compositis essentialibus, & ponamus exemplum in continuis: ex non palmis fit palmus, ex non manibus fit manus, &c. Ratio à priori tam est euidens, vt non relinquat vel
55 vmbram difficultatis. Quantitas per te est aliquid compositum seu diuisibile, quod idem est ac dicens duo, tria, vel plura aliqua: numquid duæ vnitates, quarum quælibet est tantùm vna, si vniantur, non facient duo & aliquid diuisibile, quia pars non debet necessariò habere denominationem compositi seu totius quod constituit? Nulla ergo est repugnantia ex hoc capite, vt ex punctis non quantis fiat quantum.

Dices fortè Secundò, vniones illas esse infinitas, & non posse omnes destrui. Sed contrà, quia iam non contendo vt destruantur successiuè, sed simul: ad hoc autem quid facit infinitas? nonne in vno momento simul tam benè possunt produci aut destrui à Deo mille & infinitæ creaturæ, quàm vna sola?

56 Dices Tertiò, vniones esse modos. Rursus contrà, ego non volo vt vniones maneant sine subiectis, sed vt subiecta sine vnionibus.

Dices Quartò: Etiam vbicatio est modus, & tamen non potest res sine omni vbicatione manere. Rursus contrà, fateor tibi, esse modos aliquos à quibus subiectum non potest omnino absolui, vt est actio, duratio, vbicatio; ibi tamen repugnantiam desumimus ex ipso lumine naturæ, quod dictat, creaturam debere esse actu productam, casu quo existat; esse autem productam, habet per actionem: item & debere vel fuisse, vel futuram esse, vel esse de præsenti, quod habet per durationem. In vbicatione res non adeò
57 est clara; à simili tamen de duratione ostenditur, & propterea à multis negatur ibi illa dependentia. At in chartâ, quæ ratio probat, pendere essentialiter ab vnione illa puncta ex quibus charta componitur? Certè nisi gratis affirmari non potest talis repugnantia, quod iam ampliùs ostendo: nam de facto potest multas ex illis vnionibus amittere, nullâ aliâ in earum locum succedente, quam ergo habet maiorem connexionem cum remanentibus? Secundò impugno solutionem, quandoquidem vnio est modus materialiter à subiecto dependens, debet saltem pro priori naturæ subiectum præcedere ad vnionem. Iam ergo pro illo priori naturæ, quo præcedit subiectum, intelligi non potest diuisibile seu compositum. Probo euidenter, quia ante vnionem non est compositio (vt necessariò tu debes fateri) ergo pro illo priori concipitur illud subiectum indiuisibile; ergo omnia quæ sunt in subiecto, sunt indiuisibilia: puncta enim vnionis sunt indiuisibilia; subiecta, vt dixi, sunt indiuisibilia, ergo omnia. Simili omnino argumento vtitur P. Hurtadus Disput. 13. Metaphys. à §. 32. contra aientes à quantitate prouenire materiæ partes: arguit enim pro priori naturæ ante quantitatem, &c. eo modo quo hîc nos contra illum, & dicit argumentum esse euidens; ergo & hîc ipsius sententia eodem argumento euidenter reiicietur. Con- 58
firmo fortiùs: demus per possibile, vel impossibile, ea subiecta relinqui pro posteriori naturæ sine eis vnionibus, illa essent verè indiuisibilia, & puncta, quia sine vnione non est compositio; ergo etiam de facto sunt in se indiuisibilia, & puncta, licet accidentaliter & denominatiuè ex vnione superaddita sint diuisibilia; sicut anima, quia ex se ante vnionem essẽtialiter est indiuisibilis, etiam post vnionem in se est indiuisibilis, licet cõstituat rem diuisibilem: quod adhuc verum foret, etiamsi anima esset essentialiter affixa tali vnioni, sicut hi volunt, affixum esse subiectum vnionis continuatiuæ ipsi vnioni. Ratio à priori 59
est, quia indiuisibilitas rei non tollitur per vnionem, hæc enim solùm directè opponitur separationi seu seiunctioni; ergo licet nihil sit in materiâ separatum seu seiunctum, quia nihil est non vnitum; ea tamen quæ vniuntur, tam in se sunt indiuisibilia, quàm si carerent vnione, licet totum ex eis resultans non sit indiuisibile, vt in exemplo hominis respectu animæ & corporis monstratum est. Aduerte, me semper consultò vti nomine *subiecti*, ne locum dem aduersariis ad nouas euasiones. Si enim dixissem *puncta*, respondissent mihi, me iam ibi supponere ea esse puncta, quod debuissem probare: si verò dixissem *partes*, statim clamarent, *pars iam dicit vnionem*; quod quidem licet, vt suprà ostendi ex animo rationali, falsum sit, do tamen illis, ne terminis confundamur. Voco ergo *subiectum*, & de illo probo esse debere indiuisibile, quod ex argumento præcedenti & confirmationibus euidens videtur.

SVBSECTIO TERTIA.

Vltimò hæc sententia reiicitur.

TERTIÒ argumentor: rogo enim, an in con- 60
tinuo post punctum vnionis ante aliud punctum veniat pars diuisibilis, an indiuisibilis. Si indiuisibilis, teneo intentum, scilicet ibi esse partes indiuisibiles, seu puncta: pars verò diuisibilis venire non potest, quod ostendo euidenter. In parte diuisibili essentialiter venit vnio, quia per eam fit diuisibilis; ergo ante vnionem non venit pars diuisibilis. Euidens est consequentia, quia si in ipsâ parte est vnio, ergo pars non est ante vnionem, ergo vniones non distant inter se spatio diuisibili,

uisibili, ergo indiuisibili; ergo totum spatium potest reduci in indiuisibilia, hoc est in ipsas vniones, & in vacuitates illas seu interiacentias indi-
61 uisibiles inter vnionem & vnionem. Confirmo & explico argumentum: fateor, vnionem non posse manere sine partibus, quia modus non potest à re separari: verùm demus per impossibile, manere omnia puncta, id est vniones sine partibus; rogo, Manerétne totum illud spatium plenum omnino vnionibus, an non? ad quam veritatem inuestigandam parum interest, casum absolutè esse impossibilem. Si maneret spatium plenum, ergo solis rebus indiuisibilibus potest impleri spatium diuisibile; ergo malè argumentantur contra Zenonistas, ponentes ea sola puncta in chartâ: malè inquam argumentantur, dum dicunt, à solis punctis non fieri maius; iam enim
62 ibi totum spatium impletur solis punctis. Si verò dicant, manere inter eas vniones vacuitates aliquas, adhuc rogo, an sint indiuisibiles; & tunc rursus teneo intentum, scilicet totum illud spatium ex solis punctis componi: implebatur enim illis vnionibus, quarum quælibet est indiuisibilis, & illis vacuitatibus, quarum quælibet etiam est indiuisibilis; imò clarius, ergo partes Mathematicæ, quæ implebant omnes eas vacuitates, etiam erant indiuisibiles. Si dicant eas vacuitates esse diuisibiles, contrà euidenter, Ergo fuerat in qualibet illarum vacuitatum pars diuisibilis, & sic erat sine vnione, quâdoquidem supponò mansisse omnes vniones quæ anteà erant, & ibi iuxta hanc solutionem nulla mansit; ergo nulla fuit, ergo fuit ibi pars diuisibilis sine vnione, quod omnino etiam per hos repugnat.

63 Dicendum ergo est necessariò, inter vnionem & vnionem non posse esse aliquid diuisibile, & consequenter, omnia esse indiuisibilia in eo continuo. Et confirmo rursus, quia licet ea separatio realiter repugnet, & nec per impossibile permitteretur mihi casus argumenti, de facto tamen habet eamdem vim: possum enim concipere locum in quo sunt hæ vniones, abstrahendo à subiectis, & tunc manet argumentum, an concipiantur vacuitates, &c. vt suprà. Maiorem vim habet argumentum hoc, imò & omnia præcedentia in tempore: cùm enim sit essentialiter successiuum, non potest concipi, quo modo existat simul pars habens prius & posterius; nam prius iam præteriit, quando aduenit posterius. Vnde multi, qui in continuo permanenti Zenonem reiiciunt, eum tamen in tempore & continuo successiuo sequuntur, quod verè valdè probabile videtur.

64 Video responderi, in instanti existere partes, ita tamen exiguas, vt semper minor & minor assignabilis sit. Sed contrà Primò, quia siue minores & minores illæ sint, & his nominibus quæstio confundatur, sunt tamen aliquæ, & illæ successiuæ; ergo simul existunt prius & posterius, quod repugnat: eo enim ipso non esset prius & posterius. Secundò, quis negabit, à Deo clarè cognosci quæ partes existant simul, quantumuis minimæ illæ sint? vel enim ea coëxistentia est realis, vel ficta. Si realis, debet à Deo produci & nosci: nihil enim reale poterit eius oculos latere, quantumuis illud facias minimum. Si verò velis dicere, eam coëxistentiam non esse veram & realem, sed fictam, ergo verè & realiter solæ existent partes indiuisibiles. Alia argumenta contra hanc sententiam vide Sectione sequenti.

SECTIO VI.

Duæ aliæ explicationes impugnatæ.

PROPTER hæc posset aliquis alius ponere in 65
continuo sola infinita puncta. Sed hic vno verbo reiicitur: quia si vnum punctum penetrat aliud, etiam infinita penetrabit, & consequenter non faciet maius. Deinde omnia alia argumenta, quæ contra Zenonem fiunt, eodem modo contra istos Auctores vrgebuntur, vt infrà ostendam.

Minùs clarè refutari possunt, qui dicunt in continuo solas esse infinitas partes sine vllis punctis. Sed hi Primò reiiciuntur, ex eo quòd partes illæ necessariò debent esse vnitæ; ergo debent habere vniones saltem indiuisibiles.

Posses dicere, etiam ipsas vniones esse diuisibiles in infinitum. Sed contrà, quia tunc illæ, vt vnirentur, indigerent aliis vnionibus, & sic omnia in infinitum confundentur.

Secundò impugnantur hi Auctores, & omnes 66
alij præcedentes. Demus, Deum vnâ vice diuidere continuum quantum diuisibile est, rogo an reduceretur ad puncta sola, an verò manerent partes diuisibiles. Si reduceretur ad punctum, ergo tandem in sola puncta deueniendum erit. Nec potest dici mansisse partes diuisibiles: si enim mansissent, non fuisset diuisum totum illud continuum, quantum diuisibile est, cuius contrarium supponimus.

Dices: Eo ipso quòd sit in infinitum diuisibile, non potest diuidi quantum diuisibile est. Fateor, infinitum successiuè non posse totum diuidi, ideò ego dico *vnâ vice*. Et certè, qui admittunt, posse à Deo infinitum in actu produci, non possunt hanc adhibere solutionem: vrgeo enim argumentum. Pono, productum à Deo cu- 67
mulum infinitum hominum, vel clariùs, qualitatem infinitè intensam; illa qualitas diuisibilis est in infinitos gradus non minùs quàm continuum, imò multò magis, quia in continuo non admittitur communiter infinitas simpliciter, quæ tamen esset in eâ intensione. Sic ergo argumentor: Si successiuè & per partes deberent illi gradus separari, tam non possent vltimò diuidi, quàm non potest continuum; at simul vnâ vice cur non poterit Deus omnes eos gradus inter se dissoluere, & cuilibet homini dare vnum, hoc certè à te non negatur, nec probabiliter potest. Iam ergo sic argumentor: Ergo similiter etiam Deus vnâ vice, vno tractu poterit omnem diuisionem possibilem in atomo facere; tunc autem redit argumentum suprà factum. Confirmo Pri- 68
mò, Deum posse diuidere quæ diuidere potest, est propositio identica, & summè vera. Faciat ergo hoc simul, quia possibili posito in actu, nullum sequitur absurdum; ergo non manebit continuum amplius diuisibile. Confirmo & explico Secundò ex doctrinâ, quam agentes de infinito Disputatione XIII. num 47. tradidimus, & eam tenent ferè omnes aduersarij, quando scilicet aliqua sunt possibilia, si inter se non dicant contrarietatem, posse simul existere, etiam naturaliter. Et hinc probatur, si Deus scientiâ simplicis 69
intelligentiæ cognoscit infinitos Angelos possibiles,

les, simul eos posse producere, quia inter se non repugnant. Vnde sic arguo: Diuisio vnius partis non repugnat cum diuisione alterius, neque vlla prorsus est diuisio, quæ repugnet alteri; ergo omnes diuisiones possibiles simul in atomo possunt fieri à Deo, etiamsi infinitæ sint: tunc autem necessariò deberent manere omnia ad indiuisibilia redacta, aliàs non essent factæ omnes diuisiones possibiles, cuius oppositum supponimus. Huic tam claro argumento non video quid respondeatur, nisi quod suprà diximus, repugnare, quantitatis partes manere sine vnione: sed hanc solutionem eo numero 54. euidenter reieci.

Tertiò hoc difficillimum argumentum contra istam sententiam sic formo: Deus videt omnes diuisiones possibiles circa hanc chartam, non solùm eas quæ simul fieri possunt, sed etiam eas quæ successiuè & diuisiuè; omnes eas ita Deus videt hodie, vt præter diuisiones, quas hodie Deus cognoscit, nulla ampliùs vllo modo sit possibilis, alioquin aliquid possibile non cognosceretur hodie à Deo, sed restaret ei cognoscendum cras, quod esset hæreticum, vel erroneum. Inde sic arguo: Ergo Deus cognoscit per eas diuisiones chartam redactam ad indiuisibilia. Probo euidenter consequentiam, quia si non cognosceretur charta per eas diuisiones redacta ad indiuisibilia, ergo restarent adhuc nouæ diuisiones chartæ cognoscendæ à Deo, præter illas quas de facto cognoscit, cuius contrarium iam suprà ostensum est. Sequela hæc vltima probatur: quia si charta cognitis illis diuisionibus adhuc non cognoscitur redacta ad indiuisibilia, ergo adhuc cognoscitur diuisibilis, ergo adhuc possibiles sunt aliæ diuisiones in eâ quas Deus priùs non cognouerat, quod est erroneum.

Confirmo. Deus format hoc iudicium: Si hæ diuisiones, quas ego hodie simul cognosco, simul existerent, nihil ampliùs esset diuisibile in hac chartâ, alioquin ego non cognouissem omnes, ergo per eas diuisiones cognoscitur charta resoluta in indiuisibilia, ergo à parte rei ipsa non constat nisi indiuisibilibus, vnitis tamen de facto inter se, & consequenter actu constituentibus rem diuisibilem. Quod argumentum videbitur alicui demonstrare intentum, habetque vim in omni sententiâ circa vnionem. Siue enim hæc sit distincta, siue non, possunt tamen partes illæ inter se separari. Habet etiam vim contra eos qui actu partes negant in continuo: nam hi non negant diuisiones possibiles, & cognitionem Dei de illis. Ex quo capite ego hîc argumentatus sum.

Fortè responderet quis, Deum non videre omnes diuisiones possibiles, quia non sunt omnes, non ergo mirum si non videantur. Hæc tamen solutio, quæ solo nomine vult fugere difficultatem, clarissimè reiicitur: nam siue dicendæ sint omnes, siue non, ego hoc dico, ita cognoscit Deus diuisiones possibiles circa hanc chartam, vt præter eas, quas hodie in hoc momento cognoscit, nulla alia sit possibilis, & hoc ego voco meritò cognoscere omnes: nam si præter eas quæ cognoscuntur, nulla restat, quid ergo desideratur ad omnes? quis enim vmquam prudenter dixit, Præter homines, quos ego nosco, nullus supereſt, & tamen non nosco omnes. Certè hic tamquam nugator rideretur, quia si non omnes, ergo aliquis non cognoscitur, quod tamen negat. Neque ad hoc refert, eos esse finitos aut infinitos, quia si præter eos infinitos nullus alius restat, ergo omnes cognoscuntur.

Dices cum aliis: Cognoscuntur omnes disiunctiuè, non tamen collectiuè. Ita aliqui viri docti discurrunt in scientiâ Dei de creaturis futuris per æternitatem, & in possibilibus. Miror tamen valdè, eos putare se aliquid per hoc minuere de vi argumenti, nec eos videre clarè confusionem terminorum. Aliud enim est, Non videt Deus vnam creaturam coniunctam cum alterâ, quod eis libenter nunc permitto; aliud verò, cognitionem de vnâ non esse simul cum cognitione de alterâ, & Deum non habere cognitiones, vt sic dicam, collectiuè de omnibus: hoc enim à nullo Catholico negari potest. Deus enim & quæ hodie & quæ cras & quæ perendie futuræ sunt, cognoscit determinatè hodie; & potest eas suo conceptu aut nomine designare: & vno verbo, præter eas quas hodie nosci, nihil ei restat possibile cognoscendum, & consequenter hodie collectiuè cognoscit omnia, licet ea non cognoscat collecta. Et sic vim habet meum argumentum.

Secundò principaliter tota Aristotelis doctri- 70
na videtur impugnari: quia quis poterit sibi persuadere in subtilissimæ acus cuspide minutissimâ esse tot partes, vt faciendo diuisionem, & vnam extra aliam ponendo, possit Deus tegere totum mundum, & infinita spatia possibilia; certè hoc videtur valdè admodum difficile creditu. Sequela autem probatur, quia illa atomus vel cuspis est diuisibilis in profundum in infinitum, in alias tam extensas, licet non tam profundas; ergo semper habebit Deus æquè extensas cuspides quas addat, & quibus cælum tegat, & omnia spatia imaginaria.

Tertiò, ponere à parte rei partes, vniones & 71
contactus indeterminatos, videtur esse repugnantia in terminis, quia omnia quæ à parte rei existunt, sunt determinata, & possunt suum nomen habere. Vagum enim & indeterminatum, vt omnes ferè fatentur, est denominatio proueniens ab actibus intellectus confusè, & non magis hoc quàm illud affirmantis. Vnde vlteriùs fit, vt in ordine etiam ad Deum debeant multæ propositiones in hac sententiâ concedi, quæ summam habent difficultatem: quales v. g. sunt, quòd non sciat Deus vnde incipiat charta, quæ sit vltima eius superficies, cùm tamen illam creauerit, & verè aliqua sit, vltima illa scilicet, vltra quam non protenditur vlteriùs charta: deinde, quomodo & in quâ parte se tangant manus hæc & charta in quâ scribo; quòd non possit immediatè vnum Angelum post alium creare, & quantum debeat ibi expectare, & similia absurda, quæ videntur sequi ex eis principiis.

Quartò, quia necessariò videntur admitten- 72
dæ partes indiuisibiles, de quo Sectione 7. eis autem admissis, vt probaui suprà Sectione 4. frustrà videntur admitti aliæ infinitæ partes diuisibiles.

Quintò, quia argumenta, quæ contra Zenonem fiunt, eamdem videntur habere vim contra infinitas partes & puncta, licet propter multitudinem terminorum non ita percipiatur eorum efficacia, de quo infrà. Vt quid autem dabitur solutio, quæ fortè à respondente non intelligitur solùm

solùm eo animo, ne se conuictum fateatur? Melius est in tali occasione clarè fateri, se ignorare solutionem, non enim ab homine alienum reputandum est.

Sextò & vltimò quis obiiciet, ex hac sententiâ oriri tantam confusionem circa inceptionem & desitionem rerum, vt vix duo ex aduersarijs inter se conueniant in hoc puncto. Sed de hoc infrà propriam instituemus Sectionem.

SECTIO VII.

Quæ probent in continuo puncta Mathematica adstruenda.

73 AD probandum hæc puncta indiuisibilia in continuo, multiplicari solent multa argumenta ex Mathematicâ. Primum ex corpore perfectè sphærico rotato super perfectum planum, quia illud corpus, si perfectè sphæricum sit, non potest tangere planum, nisi solùm in lineâ indiuisibili. Sed hæc facilè negantur ab aduersarijs; & cùm à nobis eiusmodi corpora perfectè rotunda non videantur, nec in quibus partibus tangantur, ideò difficulter eos poterimus redarguere.

Hîc aduerto, nonnullos, qui talia puncta nolunt admittere, posteà cõtra Zenonistas insurgere ex Mathematica, eò quòd omnis linea debet posse diuidi in duas partes omnino æquales, & claudatur duobus punctis: vbi iam omnino supponunt puncta & lineas, &c. Si ergo hæc puncta & lineæ sunt à Mathematicis demonstrata, vt ipsi obiiciunt Zenonistis, quomodo ea hîc omnia negant? Numquid ipsis est liberum eam demonstrationem Euclidis negare quando volunt, &
74 quando volunt eam admittere? Neque hanc difficultatem euadunt, qui puncta tamquam vniones collocant, vt fusiùs contra hos Auctores ostendam inferiùs.

Sed his omissis, sic probo ea puncta. Primò contra recentiores, ponentes puncta finita in continuo, non tamen adeò indiuisibilia ac à nobis ponentur infrà: nam vel illa puncta talia sunt, vt nequeant diuinitus tangi secundùm aliquid, quin secundùm totum. Quod si dicas, teneo intentum, scilicet ea indiuisibilia non habere aliquid & aliquid, quæ nos puncta Mathematica dicimus. Si verò dicas, ea puncta habere aliquid & aliquid, siue partes realiter distinctas, licet inseparabiles inter se; Contrà, quia vel quælibet pars illius puncti componitur ex aliis partibus,
75 vel non. Si non componitur, ergo iam saltem partes illius puncti, erunt indiuisibilia stricta Mathematica, licet ipsum quod tu vocas punctum, non sit indiuisibile; & consequenter iam erunt indiuisibilia Mathematica in continuo. Si verò etiam partes puncti componuntur ex aliis partibus, ergo dicis cum Aristotele, esse in continuo infinitas partes, à quo videris abhorrere. Vel tandem si dicis, posse deueniri in partes non compositas, venies tandem ad retia, & in puncta Mathematica consenties. Quòd autem inter se separari possint vel non, parum interest ad præsentem difficultatem, ideoque non tecum de hoc iam contendam.

76 Deinde contra antiquos Auctores, solùm ponentes in continuo infinitas partes, & negantes omnia puncta, sic argumentor (& aduerte his argumentis vrgeri etiam immediatè antè impugnatos recentiores.) Nam quando duo corpora tanguntur, solùm tanguntur secundùm superficiem indiuisibilem versus profunditatem; ergo dantur indiuisibilia versus profunditatem, ergo etiam versus omnem partem. Prima consequentia est euidens. Secunda probatur, quia si non repugnant indiuisibilia versus vnum latus, nulla potest nec probabilis ratio reddi, cur repugnent versus omnia. Antecedens ostenditur: nam si duo 77
corpora tangerent se plus quàm in superficie indiuisibili, necessariò penetrarentur inter se; omnis autem penetratio corporum, etiam secundùm indiuisibile, est impossibilis naturaliter, vt fatentur omnes; ergo est impossibile naturaliter tangi corpora, nisi in superficie indiuisibili. Probo sequelam, quia non potest lapis attingere v. g. interiorem partem lapidis, nisi penetret exteriorem, quæ est inter lapidem tangentem, & inter partem interiorem tactam alterius lapidis, vt ex se manifestè constat; ergo si lapis tangeret plus quàm superficiem indiuisibilem lapidis versus profunditatem, necessariò penetrarentur inter se; ergo solùm tanguntur in superficie indiuisibili; dantur ergo indiuisibilia rigorosa in continuo.

Vt prædicti argumenti terminos intelligas, ad- 78
uerte, indiuisibile simpliciter dictum stare pro indiuisibili versus omnes partes: ex indiuisibilibus talibus primò componitur linea indiuisibilis versus latitudinem & profunditatem, diuisibilis tamen secundum longitudinem, conflatur enim linea ex pluribus punctis posito vno post aliud, ex pluribus lineis componitur superficies diuisibilis versus longitudinem & latitudinem, non tamen versus profunditatem; denique ex pluribus superficiebus, quarum vna sit supra alteram siue mediatè siue immediatè, de quo iam non disputo, componitur corpus vndequaque diuisibile; argumentum ergo probauit, corpora solùm tangi in prima superficie indiuisibili, vt inde inferret dari lineas, & puncta indiuisibilia, quod clarum videtur. Solutiones aliquas de contactu rei diuisibilis, indiuisibiliter tamen, abundè refutaui suprà à num. 49.

Hoc argumento conuicti nonnulli dixere, da- 79
ri quidem in tabulâ v. g. superficiem indiuisibilem versus partem exteriorem, illam autem esse diuisibilem interiùs, & in illâ indiuisibili à parte anteriori fieri contactum, & in eâ produci lumen, &c. Sed hæc sententia in terminis sibi repugnat: quia rogo, Illud quod tangit lux, estne realiter distinctum ab eo quod non tangitur ex parte interiori? Si distinctum, cùm sit indiuisibile, iam absolutè ibi datur linea & superficies simpliciter indiuisibilis, quod contendo. Si verò est idem, in primis quomodo, quæso, potest eadem res indiuisibilis tangi secundùm aliquid, & non tangi secundùm aliud? Hi Auctores relabuntur in sententiam sæpè à nobis impugnatam de prædicatis duobus contradictoriis simul respectu eiusdem rei, per quæ videtur destrui omnis Philosophia.

Respondent, non valere, *Pars tangit corpus a-* 80
liud in superficie vltimâ, & non tangit illud in superficie interiori, ergo illæ superficies distinguuntur: sicut non valet dicere, *sessione sedeo, figurâ non sedeo, ergo sessio distinguitur à figurâ.* Sed hæc so-

luto

lutio nulla est: & quidem in exemplo allato mutat terminos, quia non est verum, *nullâ figurâ sedeo*, sed solùm, *aliquâ figurâ non sedeo*, ex quo rectè infertur, ergo aliqua figura distinguitur realiter à sessione: at ostendendo eam figuram, quæ est idem realiter cum sessione, falsum omnino est, dicere, *hac figurâ non sedeo*, sicut falsum est, ostendendo animalitatem hominis, dicere, *hac animalitate non discurritur*. Solutio verò non minùs clarè impugnatur, quàm exemplum: quia tam contradictoria sunt *tangere vt quo* & *non tangere vt quo*, quàm *tangere vt quod* & *non tangere vt quod*; ergo sicut tu fateris, id quod tangit *vt quod* necessariò debere esse distinctum realiter ab eo quod non tangit *vt quod*; ita etiam debes fateri, id quod tangit *vt quo* esse realiter diuersum ab eo quod non tangit *vt quo*. Neque video, ad distinctionem realem quid faciat esse *vt quod*, vel *vt quo*, si sunt prædicata contradictoria.

81 Secundò principaliter impugno solutionem, quia in terminis inuoluit contradictionem, dum dicit, eam partem interiorem quæ non tangitur, esse idem cum eâ indiuisibili quæ tangitur, & aliunde dicit, eam esse diuisibilem: repugnat enim cum re indiuisibili, qualis ea superficies est idemtificari aliquid diuisibile: tunc enim à parte rei vna eademque res erit diuisibilis & indiuisibilis, quæ sunt contradictoria. Si enim est idem cum eâ secundâ; ergo ratione illius est diuisibilis, quia nihil est diuisibile à seipso; ergo non tam pones ibi partem diuisibilem seu compositam, quàm indiuisibilem, inflatam tamen, de quibus infrà.

Aliter possent respondere suprafacto argumento, & sequentibus, per contactum à parte diuisibili, indiuisibiliter tamen minori & minori in infinitum. Sed hæc satis suprà Sectione 4. à num. 37. reieci.

82 Secundò sic argumentor pro iisdem punctis ex continuo successiuo, id est ex tempore: hoc enim habet in se instantia indiuisibilia, ergo & continuum permanens habebit puncta indiuisibilia. Consequentia est certa etiam apud aduersarios, à paritate rationis. Antecedens verò probatur, quia Angelus v. g. producitur in instanti indiuisibili. Cùm enim indiuisibilis sit, nequit in tempore diuisibili produci, alioquin prius vna pars, deinde altera produceretur, quod repugnat: caret enim Angelus partibus. Idem argumentū est in productione animi rationalis. Dan-
83 tur ergo instantia indiuisibilia in tempore. Ex hoc secundo argumento tertium sic efformo pro eadem sententiâ. Angelus in eodem instanti primò potest operari, vt negat nullus; demus ergo ab illo moueri corpus aliquod, necessariò illud solùm acquireret in eodem instanti spatium indiuisibile nouum, amisso alio spatio indiuisibili. Nam corpus in vno instanti non potest fieri præsens de nouo, nisi indiuisibili spatij; successio enim repugnat in instanti: simul autem repugnat, corpus illud fieri præsens spatio diuisibili, quia ad hoc requiritur, vt in eo instanti sit simul præsens illis duabus partibus spatij, seu vt occupet ille lapis duo spatia sibi adæquata, quod naturaliter repugnat; ergo in eo instanti solùm factus est lapis præsens de nouo indiuisibili spatio, datur ergo eiusmodi indiuisibile spatium.

84 Obiicies: Si dantur puncta in re materiali, erunt materialia & non erunt, quod repugnat. Erunt, vt supponimus; & non erunt, quia res materialis debet esse diuisibilis, ergo talia puncta repugnant. Respondeo, negando sequelam, quia res materialis constituitur non per diuisibilitatem, sed per ordinem ad quantitatem, de quo alibi. Vel saltem si aliquid de diuisibilitate vis habere, dic ea esse materialia, quia sunt constitutiua extensionis, in quo differunt à rebus spiritualibus, sicut tu dicis de punctis vnionis.

Roget quis Primò, vtrùm prædicta puncta reperiantur in omnibus formis materialibus & in materiâ. Respondeo reperiri; nam punctum quantitatis non potest esse nisi in materiæ puncto, & punctum materiæ non potest habere nisi punctum formæ substantialis, aut accidentalis.

Roget Secundò, vtrùm ea puncta possint esse 85
continuatiua, terminatiua, & initiatiua, id est, vtrùm in principio, medio & fine reperiantur puncta indiuisibilia. Respondeo affirmatiuè, quòd sint terminatiua. Probatum est exemplo contactus corporum, quo etiam probatur, esse initiatiua: nam illa superficies, quâ tanguntur corpora, potest esse & vltima respectu alterius oppositæ sibi, & potest esse prima. Vltima, si incipiatur ab oppositâ ad hanc; prima, si ab hac ad oppositam. Quòd autem in medio sint eiusmodi puncta, suadetur etiam inde, quia si diuidas per medium lapidem, poterit tangi per medium ab alio corpore secundùm superficiem indiuisibilem; ergo in medio lapidis dabatur superficies indiuisibilis. Idem clariùs cernitur in tempore, 86
quia instantia possunt esse & initium temporis & finis: vt si Deus produxisset tempus in eodem instanti in quo Angelum, & simul cum ipso Angelo illud posteà annihilaret: tunc enim tempus illud inciperet in instanti, & in alio desineret, in medio autem haberet instantia, quia etiam in medio potuit Deus Angelos producere, sicut modò producit in medio temporis animas rationales in instanti.

Aduerte cum P. Suarezio suprà Sectione 9. aliquando à D. Thomâ & Aristotele negari puncta in continuo actu, & solùm concedi in potentiâ: quibus verbis non negant puncta actu distincta, sed actu separata, id est, actu carentia vnione; quod verum est, quia omnes partes continui dum in illo sunt, actu vniuntur.

SECTIO VIII.

Sententia Zenonis examinatur.

SÆPE dixi, Zenonem docere quodlibet conti- 87
nuum ex finitis punctis vnitis inter se resultare, & iuxta magnitudinem vel paruitatem continui plura vel pauciora puncta continere. Quæ sententia videtur inde confirmari: sicut enim ex pluribus arenis resultat aceruus maior vel minor, iuxta multitudinem arenarum, ita etiam videtur dicendum, quamlibet arenam componi seorsim ex punctis arenæ inter se vnitis, & iuxta horum multitudinem arenam esse maiorem vel minorem. Fiunt tamen contra illam grauissima argumenta, licet aliqua vtcumque videantur posse admittere solutionem.

SVBSECTIO PRIMA.

Primum argumentum Philosophicum discutitur.

88 ILLVD est: Indiuisibile additum indiuisibili, non facit maius; ergo non potest continuum ex solis indiuisibilibus componi. Consequentia est certa. Antecedens autem probatur, quia vnum indiuisibile secundùm se totum tangit aliud, ergo penetrat illud. Patet hæc consequentia, quia repugnat, manum v. g. secundùm se totam tangi à lapide, quin lapis totam manum penetret, ergo nec vnum indiuisibile poterit tangere totum aliud, nisi illud penetret.

Posset quis respondere, negando primùm Antecedens, licet enim punctum tangat totum aliud, non ideò debet penetrare illud. Quod ostenditur Primò ex contactu vnius manus cum aliâ: licet enim tangantur in primâ superficie, adhuc tamen in illâ non se penetrant, naturaliter enim repugnat penetratio etiam duarum superficie-
89 rum indiuisibilium quantitatiuarum. Ratio à priori videtur esse, quia vt aliqua duo tangantur, præcisè requiritur vnum esse iuxta aliud: vnde rectè possunt duo indiuisibilia tangi quin se penetrent, si vnum sit iuxta aliud, etiamsi non sit intra illud; & tunc quòd tangat secundùm se totum, non arguet penetrationem. argueret quidem aliquam penetrationem, si essent res diuisibiles, quia pars interior non posset tangi ab altero corpore, nisi hoc anteriorem partem penetraret, ob quam rationem nequit manus diuisibilis tangi secundùm se totam à lapide, quin lapis manum penetret vsque ad superficiem vltimam exclusiuè. Et hinc fortè oritur occasio erroris circa illud principium: arguunt enim malè à re diuisibili ad indiuisibilem. Cùm ergo punctum sit indiuisibile, nec habeat aliquid exterius, & aliquid aliud interius, rectè potest tangi totum ab alio puncto, quin se penetrent.

90 Secundò posset responderi, hoc argumentum esse etiam contra Aristotelem: quia si vnum indiuisibile additum alteri non facit maius, ergo nec infinita facient maius; ergo non soluitur difficultas ex eo quòd ponantur puncta infinita, vt aliqui dicunt. Item nec soluitur per partes proportionales, quia vel quælibet illarum facit maius cum altera, vel non. Si facit maius, pro finito continuo sufficient partes finitæ, nec opus erit ponere infinitas; si verò non faciunt maius quia se penetrant, ergo licet infinitæ ponantur, adhuc non resultabit maius, quandoquidem se penetrant.

91 Replicabis adhuc: Si duo puncta se deberent penetrare (vt possunt diuinitus) nihil maius haberent, quàm se tangere vndequaque: sed de facto ita attinguntur, ergo necessariò debèt se penetrare. Respondebit quis, etiamsi illa duo puncta se penetrarent, non ideò tactura plus de seipsis, quàm si non se penetrarent; penetratio enim cum puncto non consistit in eo quòd totum tangatur, sed in eo quòd tangens & tactum correspondeant eidem omnino puncto spatij imaginarij; ad contactum verò sufficit si sint ita vicina, vt inter vtrumque nihil possit poni, quod longè minus est, quàm esse in eodem loco, vt ratio naturalis dictare videtur: sicut ob eamdem rationem, licet superficies prima indiuisibilis manus secundùm se totam tangat lignum, vel lapidem, non tamen illud penetrat, quia non est in eodem loco cum illo, sed in altero illi contiguo, inter quæ loca nihil potest interijci.

Vt autem hanc doctrinam confirmaret quis, 92
posset sic discurrere. Consideremus per possibile vel impossibile vnicum punctum vel materiæ, vel quantitatis, vel si huius non vis, saltem ipsius vnionis, vel Angelum in puncto existentem: istud punctum, vel Angelus, vel vnio hîc in medio cubiculo existens, quantumuis sit indiuisibile, respicit Orientem, Occidentem, Septemtrionem, Meridiem, &c. vnde D. Augustinus lib. 2. de Libero arbitrio cap. 8. pulchrè dixit, *Quantulumcumque illud corpusculum sit, habet sinistram, dextram, inferiorem, superiorem*, &c. & hæc omnia vicentur per se nota. Licet enim non habeat intrinsecam dextram, vel sinistram, quia indiuisibile est; quod tamen attinet ad extrinsecam dextram vel sinistram, lumine naturæ videtur certum. Vlteriùs, si ad istud punctum aliquis 93
ex Oriente accedat, & ex Occidente alius, quis negabit, illos duos posse ad se accedere, ita tamen vt punctum illud solû relinquant in medio, & nihil aliud mediet? Dicetque quis, vel se valdè errare, vel hoc possibilissimû & clarissimum esse. Ecce in hoc casu duo illi, qui ex Oriente & Occidente ad punctum illud accesserunt, sunt ambo contigui puncto, neuter tamen est in loco ipso puncti, & propterea neutrum tangit aliud, sed interponitur inter vtrumque punctum: quod clariùs perciperetur, si poneretur vna superficies extensa indiuisibilis, vel saltem fingatur ad explicandam rem, certè nullus ab Oriente ad Occidentem poterit rectà transire, nisi penetret eam superficiem: poterit autem 94
vnus manere ex parte Orientis, alter ex parte Occidentis, ita tamen vt eam superficiem habeant in medio, non verò sint in loco illius; ergo illi erunt contigui puncto, & non penetrabunt illud, sed erunt extra illud. Vnde constat, debilem valdè esse argumentationem eorum, qui semper inculcant, *Tangit totum, ergo penetrat illud.* Constat inquam hanc esse debilem consequentiam: nam contactus non est per modum informationis, quòd res tacta debeat in se recipere tangentem; si enim hoc esset, proculdubiò requireretur penetratio: sed consistit in eo, quòd habeat illam extra se, licet iuncta, vnde nec apparenter quidem sequitur penetratio. Et multò magis displicent illi, qui admittunt punctum posse à corpore tangi sine penetratione, non tamen ab alio puncto. Vt enim alibi dixi, corpus tunc deberet totum punctum tangere, & consequenter totum punctum penetrare, licet hoc non penetraret vice versâ totum corpus, quia hoc est maius quàm punctum: quæ duo hi non distinxere: ergo vel punctum tangens punctum, non illud penetrat, vel penetrabit illud etiam corpus diuisibile. Et hoc modo recentiores, qui saltem puncta vnionum admittunt esse indiuisibilia, & in vniuersum in omni contactu, & propinquitate duorum corporum inter se, debent explicare difficultatem hanc, quæ, si quid sentiam dicere debeo, nulla est: & si aliæ non essent, sententia Zenonis posset fortè defendi, & videretur eo modo compositio continui tam clara, quàm

quàm compositio hominis ex materiâ & formâ. Adhuc tamen paulò pòst difficilem ponant replicam contra hanc solutionem.

Iam quid aliqui, vt hoc argumentum (quod suprà contra ipsos retorquetur in contactu duorum corporũ) à se excutiant, dixerint, audiamus.

95 Nonnulli oppressi hac instantiâ, respondèrè Primò, in eo contactu penetrari duas primas superficies. Sed hi impugnantur facillimè, quia (vt iam dixi) repugnat omnino penetratio duarum rerum quantitatiuarum. Quòd si concederetur primas superficies posse penetrari, negari non posset, posse etiam penetrari totum corpus. Sed age, concedamus illis eiusmodi penetrationem, ab eis adhuc quæro, vtrùm secundæ superficies illorum corporum à primis tangantur quin penetrentur, an non. Si dicant, tangi sine penetratione, idem etiam poterunt dicere de primis: si verò dicant tangi, cum penetratione tamen, inde infero, Ergo etiam penetrabuntur secundæ; & argumentũ rursus faciam de tertiis, &

96 consequenter de omnibus. Vnde quotiescumque duo lapides tanguntur, omnino penetrabuntur. quod quàm falsum sit, nullus non videt. Nec poterit negari, tangi secundas superficies à primis, quia si penetrantur primæ, ergo prima superficies, manus tangentis v. g. ponitur in eodem loco cum primâ corporis tacti, v.g. lapidis; ergo sicut prima superficies lapidis attingit interiorem sui superficiem aut partem, ita etiam superficies manùs penetrata cum superficie primâ lapidis attingit secundam lapidis, & ob tuam etiam rationem illam penetrabit: & sic de reliquis omnibus.

97 Dices Secundò, eas partes non tangi totaliter, ideò non se penetrare. Sed contrà euidenter: nam quod ego tango in lapide, totum tango. quod enim non tango, realiter distinguitur ab eo quod tango, quia habent prædicata contradictoria, quæ per te arguunt in creatis distinctionem realem; ergo in eo quod verè & non denominatiuè tangitur, non est aliquid quod tangatur, & aliquid quod non tangatur, quia hoc iam eo ipso non tangitur, & erit distinctum ab eo quod tangitur; & tamen manus mea tangens murum, non solùm non penetrat id quod non tangit, sed nec id quod distinguitur à non tacto, seu, vt clariùs dicam, non penetrat totum quod tangit: & hoc, vt iam dixi, prout distinctum est à non tacto, tangitur totaliter, quia nihil dicit quod non sit tactum.

98 Neque hanc instantiam fugiunt, qui superficies indiuisibiles negant, tam propter rationem paulò antè factam, quia negari nequit, vel in tactu meæ manus cum muro penetrari manum ab illo, si tango rem diuisibilem, vel si indiuisibilem, iam concedis indiuisibilia: imò, ea debent concedi, etsi tangat rem diuisibilem; quia illam quam in re & quà tango, totam tango, vt anteà dixi. Sed adhuc vrgeo: Hi Auctores ibi ponunt puncta quæ sunt vniones, iam sic argumentor: Ego tangens chartam, tango, vel sum immediatus (ne facias mihi vim in verbo *tango*) vnioni continuatiuæ, vel terminatiuæ (prout eam volueris vocare) chartæ; ergo sum cum illâ in eodem loco. Patet euidenter, quia saltem illa vnio, quæ est indiuisibilis, non potest non tangi tota, vel non potest manus non esse immediata toti, vnde tu infers penetrationem; ergo penetratur manus ab vnione, ergo à parte in quâ est vnio. Fit ergo ibi penetratio non minùs quàm in sententiâ Zenonis.

SVBSECTIO SECVNDA.

De cæteris argumentis Philosophicis iudicium.

SECVNDVM Aristotelis argumentum contra Zenonis sententiam: Quia continuum debet esse semper diuisibile, & constare partibus infinitis. Huic facilè aduersarij respondebunt, negando Antecedens, nisi aliunde probetur. 99

Tertium: Quia puncta, vt constituant lineam longam, debent esse continua vel contigua inter se; sed neutrum potest esse, ergo. Minor, quæ sola eget probatione, suadetur ex eodem Aristotele 4. Physicorum cap. 3. quia continua sunt, quorum vltima sunt vnum; contigua verò, quorum vltima sunt simul: sed indiuisibilia non habent vltima, aliàs diuidi possent, ergo nec possunt esse continua nec contigua. Neque hoc argumentum vrget: inprimis enim, non videtur esse bona explicatio continui & contigui ea, quæ in probationem assumitur. nam continua sunt ea, quæ ita vniuntur inter se, vt vnũ sit extra aliud; contigua verò, quæ licet sint proxima localiter, carent vnione: punctum autem potest esse iuxta aliud, vel vnitum, vel non vnitum; vnde potest esse continuum vel contiguum. Deinde, quia, licet quodlibet punctum, eò quòd sit indiuisibile, non habeat primum vel vltimum, linea tamen ex illis resultans potest habere primum & vltimum, vnde potest esse continua: quodlibet autem punctum seorsim nec continuum nec contiguum est. Adde, & teneri Aristotelem ei argumento respondere: nam superficies vltima continui, quæ indiuisibilis est, non habet vltimum respectu sui; ergo non poterit terminare continuum nec contiguum, contra ipsum Aristotelem. 100

Quartò: Quia ex non quantis non potest resultare quantum; ergo ex punctis, quæ sunt non quanta, non potest resultare continuum quantum. Insto Primò contra hoc argumentum: Paulus enim non est duo homines, nec Petrus est duo homines, ergo ex Petro & Paulo non resultat binarius hominum. Mala consequentia: ergo, licet quodlibet punctum non sit quantum, ex illis tamen potest resultare compositum quantum. Adde, quodlibet punctum esse quantum, licet habeat quantitatem indiuisibilem. Vel si non sit dicendum quantum, pertinebit ad quæstionem de nomine, de quâ num. 54. & 55. 101

Quintò argumentantur recentiores aliqui: Quia tempus habet veram & realem vnionem partium, ergo non componitur ex solis punctis. Patet consequentia, quia puncta temporis non existunt simul, ergo non possunt verè vniri. Antecedens probatur, quia si tempus non includeret vnionem, non esset verè compositum. Antecedens huius argumenti est multò difficilius ipso consequenti, quia (vt ostendi Sectione præcedenti) in continuo successiuo magis videtur repugnare simultaneitas partium: res enim successiuæ, vt tales, non existunt simul, ergo non potest tempus includere veram vnionem partium; quapropter recentiores non nulli doctissimi, licet in continuo permanenti concedant partes distinctas à 102

punctis, eas tamen negent in tempore. Malè ergo ex tempore arguitur ad continuum permanens.

103 Confirmatur: nec enim solùm componunt tempus partes proportionales, sed etiam partes determinatæ; annus v.g. componitur ex mensibus, mensis ex diebus, &c. Sed nec vnus mensis potest vniri cum altero, nec vnus dies cum alio, &c. quia non simul existunt, ergo tempus non est verè compositum. Quòd si tunc recurras ad partes proportionales circa mediam noctem, per quas dicas fieri continuationem vnius diei cum alio; iam hoc suprà satis refutatum est. Nunc dices, quandoquidem tempus nihil aliud est quàm motus cælorum? clariùs ostendi non continuari, quia in motu locali necessariò omnes fateri te-

104 nentur, illum non continuari. Si enim quando est præcedens vbicatio, acquirerem nouam, sequeretur, dum moueor, in eodem instanti me respondere maiori spatio quàm quando quiesco, quod omnino improbabile est: nec enim per motum localem corpus rarescit. Et vt meliùs intelligatur, pone exemplum in Angelo continenter se ab vno sibi adæquato spatio in aliud mouente, certè illæ actiones non vniuntur simul, aliàs deberent esse simul, & consequenter etiam earum termini coëxisterent, & Angelus simul naturaliter esset in duobus locis sibi adæquatis; ergo motus, & omne ens successiuum, vt tale, caret vnione.

105 Sextò: Quia quælibet linea clauditur inter duo puncta; sed linea constans solis duobus non clauditur inter duo, ergo non est linea, & aliunde est linea, vt supponimus. Respondebunt aduersarij inprimis negato Antecedenti de omni lineâ, & concesso de lineâ constante pluribus quàm duobus punctis. Deinde fortè dicerent Zenonistæ, malè efformari hoc argumentum à recentioribus, negantibus puncta terminatiua & initiatiua. Quomodo ergo linea clauditur duobus punctis? quia licet habeat vniones, illę non magis sunt in vltimâ parte, quàm in paululum interiori. imò hi recentiores dicunt non esse assignabilem vltimam partem.

SVBSECTIO TERTIA.

Nouum aliud argumentum ab vnione punctorum.

106 SEPTIMVM argumentum inde desumitur, quòd vnio debet esse in vtroque extremo per ipsam vnito: at si ponantur in continuo puncta, & vnum extra aliud, non poterunt vniones in eis recipi, quia nequit vnio esse in duobus locis; ergo non vnientur ea puncta, quod apertè falsum est. Recentiores vtentes hoc argumento sunt hi, quos Disputatione IV. sect. 2. reiecimus, eò quòd in compositis essentialibus duas ponunt vniones, vnam in materiâ, aliam in formâ. contra quos hæc solùm dico: cur non licebit Zenonistis idem de vnione punctorum dicere (casu quo vna non posset esse in duobus locis) & non poterunt vnam in vno puncto aliam in altero ponere?

107 Deinde contra hoc argumentum est instantia in eorum sententiâ de compositione continui, quia illa vnio indiuisibilis, si non potest esse in duobus punctis, nec poterit esse in vnâ parte diuisibili, quæ maior est quàm duo puncta, quantumcumque posteà ab ipsis diminuatur per vocem minoris & minoris in infinitum. Respondeti ergo absolutè potest, puncta continui vniri duplici vnione partiali, vnâ existente in vno extremo, aliâ verò in alio. Ratio est, quia res materialis non existit naturaliter in duplici loco etiam inadæquatè, id enim proprium videtur rei spiritualis iam existentis, & nec quidem omnis, ergo non possunt per vnicam vnionem indiuisibilem vniri duo puncta; suppono enim, vnionem debere esse in vtroque extremo, cùm non sit maior ratio de vno quàm de alio.

Rogabis Primò, vtrùm possint illa duo puncta 108
vniri per vnicam vnionem partialem existentem præcisè in vno puncto vt in subiecto, respicientem verò aliud tamquam terminum, an verò necessariò duæ requirantur. Respondeo, posse quidem manere vnita, imperfectè tamen: vnde vt perfectè vniantur, vtraque requiritur.

Rogabis Secundò, vtrùm vniantur inter se ipsæ vniones. Affirmant aliqui, quia vnio non solùm vnit sua extrema, sed etiam seipsam cum extremis, & cum alterâ vnione partiali. Negant alij, quia possunt existere illæ duæ vniones in rerum naturâ quin vniantur inter se; ergo non vniuntur, neque seipsis, neque vnione superadditâ, quia daretur processus in infinitum; ergo nullo modo vniuntur. Probatur Antecedens (in quo 109
solùm est difficultas) quia si punctum A. v.g. ex vno latere sit vnitum cum puncto B. ex alio verò cum puncto C. ecce in puncto A, quod est medium, datur duplex vnio, alia cum B, alia cum C. Demus auferri punctum C. & consequenter vnionem, quæ puncto A. vniebatur cum C. adhuc tamen manet vniones quibus puncta A & B inter se vniebantur, & non manent vnitæ cum puncto C. ergo non vniebantur seipsis cum puncto C. Ni fallor, in hoc argumento committitur aliqua æquiuocatio. Primò, quia nullus contendit, quamlibet ex illis vnionibus seipsâ adæquatè vniri cum alterâ, sed præcisè dicitur rationem vnionis adæquatè consistere in vtraque simul sumptâ, sicut similitudo non consistit in quolibet extremo solo, sed in vtroque simul sumpto; ideoque non potest inferri, *Petrus solus potest esse quin sit similis; ergo similitudo aliquid est superadditum Petro & Paulo.* valeret quidem, si 110
Petrus & Paulus simul esse possent sine similitudine. Similiter in præsenti non valet inferri, Vnio puncti A. sola sine vnione puncti B. non vnitur cum illâ, ergo hoc, quod est vniri, distinguitur ab vtraque; ad hoc enim debebat supponi posse vtramque existere quin vnirentur, hoc autem nequaquam supponitur eo argumento. Secundò, hîc loquimur de vnionibus quibus punctum A & B inter se vniuntur, tu autem facis argumentum de illis respectu alterius vnionis, quâ vnum ex illis punctis vnitur cum alio diuerso, respectu cuius illæ duæ priores vniones omnino per accidens se habent. Vt enim A & B inter se vniantur, quid quòd A vel B vniatur cum alio puncto?

Dicendum ergo putarem Primò, duas vniones 111
quibus idem punctum A cum diuersis punctis vnitur, non vniri inter se, quia illæ licet sint in eodem subiecto, habent tamen se disparatè, vt paulò antè dixi. Quod confirmo: in quantitate vel in materiâ est duplex vnio, vna quâ vnitur

cum

cum albedine, altera quâ cum dulcedine; quia tamen illæ se habent disparatè, nullus dixit eas vniones vniri inter se. Ratio à priori esse potest, quia si extrema vnionum non vniuntur inter se, neque ipsæ vniones: quia ergo albedo & dulcedo non vniuntur, nec etiam vniuntur earum vniones, etiamsi omnes sint in eodem subiecto. Ita similiter quia punctum C & D non vniuntur inter se, sed cum puncto A, ideò earum vniones licet sint in puncto A, non vniuntur inter se.

112 Secundò dicendum est, vniones, quæ vniunt punctum A & B, etiam inter se vniri, Primò, quia vniones sequuntur naturam extremorum: Secundò, quia sic perfectiùs continui vnitas saluatur, si & extrema & vniones sint inter se vnitæ; vniuntur autem seipsis, quia ambæ simul nequeunt nec diuinitus existere nisi inter se vniantur, sicut in Thomisticâ sententiâ duæ relationes per seipsas & non per aliquid sibi superadditum se respiciunt, eò quòd ambæ non possunt existere nisi respiciantur. Loquor casu quo in continuo essent sola puncta.

SVBSECTIO QVARTA.

Aliqua argumenta Mathematica.

CLARIVS Zenonis sententia impugnatur variis è Mathesi desumptis argumentis, quæ iam proponam. Et licet fortè aliquis (vt statim videbimus) contendat ea fieri posse etiam contra sententiam Aristotelis, nihilominùs tamen, quia partium infinitudine Aristotelici se obtegunt, potiori iure fiunt contra Zenonem, etiam si aliqua possint vtcumque explicari.

113 Primum sit: Dicitur enim demonstratum ab Euclide, posse diuidi omnem lineam in partes omnino æquales; sed si linea constaret punctis finitis, v. g. tribus, non posset diuidi in partes æquales, quia punctum non habet duas medietates; ergo dicendum est, omnem lineam constare punctis infinitis. Facilè negabitur id ab Euclide demonstratum, aut posse demonstrari: neque enim videtur linea posse exigere, ex suo conceptu esse diuisibilem in partes æquales omnino. Deinde retorquebit quis argumentum contra Aristotelem, supponendo quæ suprà dixi, vnum infinitum esse maius alio. Ponamus ergo lineam quantumuis infinitam, quæ in duas medietates omnino æquales diuidi possit, auferat Deus ab illâ lineâ vnicum punctum, iam tunc non manet diuisibilis in duas medietates omnino æquales, nam punctum illud ablatum debet tolli ex vna medietate solùm; neque enim potest pars illius tolli ex vnâ medietate, & alia pars ex alterâ, quia pun-
114 ctum non habet partes: ergo illa pars vnde est ablatum, manet vno puncto minor quàm alia, nam ante ablationem illius puncti erant omnino æquales; ergo iam linea illa, quantumuis infinita, non est diuisibilis in duas medietates omnino æquales. Hæc instantia est contra ponentes partes & puncta.

Qui verò solùm ponunt partes, possunt se in illis quantumuis paruis inuoluere, & difficultatem confundere. Verùm aliunde hoc argumento hi ipsi vrgentur: quia si ipsi non admittunt puncta indiuisibilia, quomodo ergo ponent lineam indiuisibilem, quod dicunt ab Euclide demonstratum? Magis ergo ij ab Euclide distant, qui talem lineam, quæ in duas æquales aut in inæquales diuidi possit, non admittunt, quàm qui lineas admittit, de aliquibus tamen docet, non posse in duas partes omnino Mathematicè æquales diuidi.

Neque euadent instantiam, qui solas vniones 115
indiuisibiles ponunt: nam in eorum sententiâ post vnionem est pars, quâ iam destruitur tota rectitudo lineæ, per illam enim partem acquirit ea linea gibbum vnum in infinitum diuisibilem: melius autem videtur esse, ponere lineam ex quinque punctis, quàm totam gibbosam. Et fortè in hoc magis Zenonistæ Euclidi conformantur.

Secundum argumentum sit: Quia sequitur, duos circulos, quorum vnus intra alium contineatur, esse omnino æquales, quod apertè falsum est. Sequela probatur, quia à centro illorum circulorum possunt duci lineæ rectæ ad omnia puncta circuli superioris: sed illæ lineæ possunt imò debent transire singulæ per singula puncta circuli interioris; ergo tot habet puncta circulus exte- 116
rior quot interior, quandoquidem tot lineæ transeunt per circulum interiorem, quot per exteriorem. Nec potest dici, duas lineas in circulo interiori quasi coincidere in vnum punctum, in exteriori autem esse separatas, ideoque non sequi, tot esse puncta in circulo interiori quot in exteriori: non, inquam, id dici potest, quia sequeretur aliquam ex illis lineis esse obliquam, quod falsum est.

Dicet quis, illud habere eamdem vim contra Aristotelem, ac contra nos; siue enim concedantur partes finitæ, siue infinitæ, non dubium quin plures partes habeat circulus exterior quàm interior; nam si tot præcisè haberet, non esset maior. Rogo ergo, vtrum tot lineæ distinctæ possint deduci à centro per circulum interiorem, quot per exteriorem. Si tot, ergo habet tot partes ac exte- 117
rior, quod apertè falsum est: si verò non possunt duci tot, ergo iam aliquæ lineæ quasi confunduntur in circulo interiori, & consequenter reddunturobliquæ, sicut contra Zenonem arguebatur. Neque per partes indeterminatas euaditur, quia etiam hæ debent necessariò esse pauciores in circulo vnius annuli, quàm in circulo cæli empyrei. Et mirandum est, quòd prudens aliquis velit persuadere vel sibi vel aliis, tot siue lineas, siue quodcumque aliud, posse distinctum locum habere in vnâ paruâ litterâ C ac in toto empyreo cælo. Si autem hoc argumentum quidquam probat, sanè id videtur probare: quia à puncto Poli per circulum sibi immediatum debent tot lineæ distinctæ transire, quot habet tota cæli circumferentia, prout arguens contendit. Ergo negandum omnino est tot lineas distinctas posse per secundum circulum transire, quot per exteriorem. Quod am- 118
pliùs declaro: siue loquamur de partibus determinatis, siue de indeterminatis, siue de punctis, siue de punctorum vnionibus, nullus videtur posse probabiliter negare, in circulo totius cæli empyrei plures esse partes determinatas & indeterminatas, &c. quàm in cortice vnius nucis auellanæ, vel in vnius aciculæ capite; ergo ipso lumine naturæ videtur euidens, non posse à circulo capitis aciculæ tot distinctas lineas trahi, quot à totius empyrei cæli circulo, aut ab vno infinito

circulo: & siue continuum constet punctis solis, siue partibus, hæc veritas est omnino extra controuersiam. Si ergo non possunt tot lineæ distinctæ à circulo illo paruo trahi, ergo non possunt tot lineæ transire distinctæ per illum aciculæ circulum, quot possunt oriri à cælo; ergo debent aliquæ concurrere in eo circulo exteriori aciculæ
119 etiam ante centrum. Hæc secunda consequentia est euidens ex primâ, quia si tot possent distincta simul intrare, possent & incipere, ergo si non possunt tot trahi quot à cælo, nec poterunt tot intrare quot trahuntur à cælo.

Idem confirmatur: Si ponamus corpus infinitè rotundum, rogo, cùm à circulo vltimo illius corporis possint infinitæ lineæ determinatæ & distinctæ procedere, an etiam illæ medio vngue ante centrum possint etiam transire distinctæ? Quod si concedas, necessariò infertur, illum medij vnguis circulum esse simpliciter infinitum, eò quòd in illo habent distinctum locum infinitæ lineæ simpliciter: si verò dicas, non posse omnes lineas ibi esse distinctas, tunc dicam, ergo fiunt curuæ,
120 sicut contra Zenonem arguebatur. Confirmo Secundò ratione à priori: centrum dicitur & est punctum illud in quo conueniunt omnes lineæ, ac sunt idem; circumferentia autem seu circulus vltimus est extremum in quo omnes lineæ incipiunt, & inter se distinguuntur illæ omnes lineæ; ergo quò minùs distant à centro, eò minùs illæ lineæ inter se distinguuntur; & consequenter non est putandum, immediatè post centrum in parte vnius aciculæ subtilissimæ illas omnes lineas æquè inter se distingui, ac distinguuntur in vltimo circulo exteriori: distinguerentur autem eodem modo, si ibi omnes essent vna extra aliam. Quò ergo magis accedunt ad circulum exteriorem, quia magis recedunt à puncto in quo omnes erant idem, & magis accedunt ad punctum in quo omnes distinguuntur, eò magis inter se distinguuntur, & minùs vna cum alterâ
121 conuenit. Neque hoc potest iudicari absurdum, imò contrarium videtur imperceptibile, tot scilicet res materiales posse habere distinctum locum sine penetratione intra vnam nucem auellanam, quot intra totius cæli empyrei vastissimam capacitatem. Pro solutione posset supponi vnum punctum non posse tangi nisi vel à sex vel à quatuor aliis punctis, v.g. ab Oriente, Occidente, Meridie, Septemtrione, & parte superiori, & ab inferiori: ex hac suppositione, quæ certa videtur, infertur, à centro ad circulum exteriorem non posse deduci nisi tantùm quatuor vel sex lineas distinctas inter se vsque ad punctum centri excluiuè, quia illud punctum est initium commune illarum linearum. Quòd si velis præter has quatuor vel sex lineas aliam deducere ad circulum exteriorem, necessariò debet illa coincidere cum aliquâ ex primis quatuor, non solùm in puncto vltimo seu in centro, sed etiam in puncto immediato ipsi centro, quia non est via quâ illa linea perueniat ad centrum, nisi transeundo per ali-
122 quod ex quatuor punctis circumdantibus adæquatè centrum. Eodem prorsus modo dicendum est, si circulus interior habeat viginti puncta v. g. præcisè posse per illum transire viginti lineas distinctas: quòd si exterior circulus habeat triginta puncta, non poterunt vllo modo duci triginta lineæ distinctæ per circulum interiorem, sed necessariò decem illarum debent transire per decem puncta aliarum viginti. Neque hinc sequitur, illas esse obliquas: quia licet transeant per eadem puncta, possunt tamen rectâ tendere in suum terminum; neque enim quia duæ lineæ in modum crucis coincidant in medio in vno puncto, ideò sequitur eas esse obliquas; ergo licet illæ lineæ ductæ à circulo exteriori concurrant in interiori in vno puncto, non ideò sequitur, illas futuras obliquas, sed poterunt esse rectæ, quia non habent breuiorem viam, quâ possint pergere ad centrum.

Aduerte, si in circulis à nobis factis doctrinam 123
hanc explanare conemur, exurgere non modicam difficultatem: quia cùm à nobis non possint atramento vel alio modo pingi puncta quæ non habeant medium, semper videtur posse à quolibet puncto circuli exterioris duci linea omnino distincta ad punctum interius, & eo ipso quòd duas lineas coniungas in vno puncto circuli interioris, apparent obliquæ propter rationem dictam. Verùm cùm puncta Mathematica omnino sint indiuisibilia, neque habeant medium, rectè intelligitur quâ ratione sine obliquitate possint duæ lineæ ductæ à circulo exteriori coniungi in vno puncto circuli interioris ante centrum, etiam sine obliquitate; quia non est vlla alia via rectior quâ possit iri ad centrum, nisi per illud punctum stans ante centrum, vt paulò antè dixi.

SVBSECTIO QVINTA.

Reliqua argumenta è Matheſi perpenduntur.

TERTIVM argumentum: Quia sequeretur, li- 124
neam diametralem quadrati, quæ ducitur ab angulo ad angulum oppositum, non esse maiorem quàm lineam rectam à costâ ad costam illius quadrati, quod apertè est falsum. Sequela probatur, quia per singula puncta illius lineæ diametralis ducitur linea à costâ in costam, ergo tot sunt lineæ à costâ in costam, quot sunt puncta diametri; ergo tanta distantia est à costâ ad costâ, quanta ab angulo diametri ad alium. Huic argumento responderi potest sicut præcedenti, scilicet, non per quæcumque puncta diametri posse duci lineas distinctas à costâ in costam, quia linea illa diametralis non descendit rectâ inferiùs, sed aliquantulum inclinat se, estque media inter lineam quæ rectâ descendit à costâ superiori in inferiorem, & inter illam quæ nullo modo descendit, sed rectâ transit à costâ in costam, vnde cum 125
vtraque communicat, habetque aliqua puncta quæ infrà descendunt, & aliqua quæ non descendunt, sed sunt ad latera; vnde necesse est, vt linea ducta à costâ in costam, aliquando transeat per duo puncta diametri. Neque hinc sequitur, lineam illam diametralem esse vndosam & obliquam; quia cùm illa linea simul descendat & simul accedat ad oppositum latus, debet habere aliqua puncta linea recta versus aliud latus, & altera versus partem inferiorem; nequit enim descendere viâ mediâ, nam inter duo puncta coniuncta non datur locus medius; sed vel debet esse supra vnum punctum, vel supra aliud adæquatè. Fateor, sicut suprà dixi, si pingantur hæc duo 126
puncta modo à nobis explicato, linea videbitur vndosa vel obliqua; quia cùm puncta quæ nos ponimus

ponimus, habeant medium, quantumuis velimus illa indiuisibiliter pingere, inde fit vt semper visui appareat via media, quâ rectiùs possit linea duci, re autem verâ linea constans punctis etiam eo modo positis, non videtur vndosa.

Quartum argumentum: Quia sequeretur, lineam intercelusam inter latera pyramidis, esse maiorem ipsâ basi pyramidis, quod est omnino falsum. Sequela probatur: demus v. g. quamlibet lineam pyramidis constare sex punctis, basim autem solùm tribus, à quolibet puncto lineæ pyramidalis deducetur linea ad aliud punctum op-
127 positum, & vna est maior alia vno puncto: quò enim magis à primo puncto pyramidis ad basim descenditur, eò magis eius latera inter se distant; & consequenter lineæ traiectæ ab vnò latere in aliud, quò inferiores, eò longiores; ergo sexta debet esse sex punctis maior quàm prima, vel vltem debet constare sex punctis; ergo est maior quàm basis constans tantùm tribus. Hoc argumentum, quod cum præcedenti planè coincidit, simul cum illo retorqueri posset contra Aristotelem: quia, licet constent illæ lineæ partibus & punctis infinitis, negari non potest, lineam longiorem constare pluribus quàm minorem, & diametralem pluribus quàm costam, & lineam pyramidis quàm basim; vel ergo in sententiâ Ari-
128 stotelis tot lineæ etiam infinitæ possunt duci à costâ in costam, quot puncta habet linea diametralis, vel non. Si non, ergo iam reddis eamdem solutionem quam pro Zenonistis dedi: si verò possunt tot duci, ergo tam longa est costa ac diameter, quod est falsum. Eodem modo retorquetur argumentum de pyramide, vt facilè apparet; cui eodem modo responderi posset ex præcedentibus, scilicet non quamlibet lineam ductam ab vno puncto lineæ pyramidis ad aliud oppositum, esse maiorem quàm superiorem lineam; quia cùm illæ lineæ simul inferiùs descendant, & elongentur inter se, inde est, vt habeant aliqua puncta rectâ lineâ versus inferiorem partem, & alia versus latera, linea autem inferior, quæ ducitur à punctis quæ non ad latera sed inferiùs po-
129 sita sunt, non est longior quàm sit superior linea; quia illa puncta inferiora non magis distant inter se, quàm superiora. Quòd si obiicias, lineam illam lateralem non esse rectam, sed vndosam: responsum est iam in præcedenti, nequaquam id sequi, imò non posse aliter, nisi prædicto modo, duci lineam collateralem pyramidis.

Quintum: Quia si basis pyramidis habeat sex puncta, non poterit duci per medium pyramidis linea ad punctum illius, quod videtur falsum. Sequela probatur, quia inter sex puncta non datur medium: vel enim debet duci linea à tertio puncto, aut quarto, quorum neutrum est medium; inter tertium autem & quartum non potest poni linea, ergo non poterit duci per me-
130 dium perfectè. Concedit Zenonista sequelam, negat tamen in illâ aliquod absurdum contineri: vnde enim vel leuiter potest probari, posse duci Mathematicè per medium cuiuslibet pyramidis lineam quando pyramis non habet medium. Sicut supra duo puncta indiuisibilia non potest poni aliud punctum in medio attingens partem vnius & partem alterius, quia cùm punctum non habeat partes, debet poni adæquatè supra vnum vel supra aliud, non autem in medio: ita similiter ex basi pyramidis constante sex punctis, non potest duci linea à medio: quod ideò videtur difficile, quia in punctis à nobis depictis semper datur medium, eò quòd hæc puncta non sint in- 131
diuisibilia, vt sæpè notaui, id autem non contingit in ipsis punctis indiuisibilibus continui. Alia argumenta de tarditate & velocitate motus, & de raritate & densitate infrà adducemus.

SVBSECTIO SEXTA.

Argumenta Theologica.

NON defuere, qui Zenonis sententiam in Concilio Constantiensi damnatâ putauerint: in eius enim Sessione 15. inter alias propositiones Wicleffi hæc refertur: *Linea aliqua Mathematica componitur ex duobus aut quatuor punctis immediatis, aut solum ex punctis simpliciter finitis.* Post quam propositionem subditur: *Prima pars est error in Philosophiâ.* quæ vltima verba contendunt nonnulli esse Concilij damnantis, vt errorem in Philosophiâ, sententiam Wicleffi, quæ est Zenonis.

Respondent nonnulli, qui stant à Zenone, il- 132
la verba, *prima pars est error*, esse ipsius Wicleffi damnantis Zenonem, Concilium autem potiùs liberare sententiam Zenonis à calumniâ hæretici.

Posset hoc reiici, quia censura hæc repetitur sæpè contra propositiones Wicleffi, ergo non est illius. Sed facilè huic impugnationi respondetur, semel tantùm poni hanc censuram, in quadam aliâ propositione; si autem esset Concilij, debuisse in omnibus repeti. Vnde satis probabilis est hæc solutio, & quidem in Zenonis fauorem. Nulli autem absolutè fauet: nam ea propo-
sitio non continetur inter illas, quas Martinus V. 133
Concilij confirmator retulit ex Wicleffo & Hussio, Sessione 45. vbi eorum errores damnauit; imò nec in toto corpore Concilij, in quo agitur contra hos hæreticos, prædicta propositio inuenitur; non ergo damnata est à Concilio. Fateor, in Appendice additâ Concilio reperiri prædictam propositionem & eius censuram; verùm illa Appendix desumpta est ex codice cuiusdam Colonien-
sis Canonici, quem codicem Typographus fate- 134
tur esse mendosum, ideoque non in omnibus editionibus reperitur. Adde, Primò eam propositionem eiusque censuram lectam fuisse in Concilio, non tamen à Patribus de illis actum, quia non erat de illorum instituto de opinionibus Physicis disputare, quia, vt ait P. Valentia Tomo 3. disputat. 3. distinct. 1. punct. 7. §. 41. in materiâ purè Philosophicâ nequit Pontifex aliquid definire. Adde secundò cum Bellarmino Con-
trouersiarũ lib. 2. de Concilij auctoritate, cap. 19. circa finem, Concilium Constantiense non legitimè congregatum, quia nullius Pontificis auctoritate nitebatur. Licet autem approbatum fuerit posteà à Martino V. non tamen quantum ad prædictam censuram propositionis Wicleffi de Continuo, vt dictum est.

Potest Secundò obiici Augustinus Tomo 1. lib. de Quantitate animæ, cap. 11. & 12. vbi hæc habet: *Siquidem hoc est quod nullam diuisionem patitur, & punctum vocatur, cum medium tenet figuræ, sicut principium lineæ est.* & infrà: *Ab ipso*

incipit linea, ipso terminatur, deinde vndecumque linea secari potest, per ipsum secatur. E quibus verbis conatur non-nemo inferre, D. Augustinum pro Aristotele stare.

135 Suprà à numero 45. ostendi, Aristotelem non stare pro hac sententiâ: & quidem ex hoc eodem loco citato posse probari, Augustinum solùm agnoscere puncta in lineâ, vndequaque enim diuiditur, semper (inquit) diuiditur per puncta; ergo videtur sentire non esse partes à punctis distinctas, alioquin aliquando per illas continuum diuideretur. Denique licet Augustinus poneret partes & puncta, de infinitate tamen illarum nec verbum, vnde non est ex Augustino Aristotelis sententia persuadenda.

SECTIO IX.

Examinatur sententia de punctis finitis, inflatis tamen.

NONNVLLI recentiores, qui sola finita puncta in continuo agnoscunt, nouam quamdam viam inière, vt argumentis suprà factis responderent.

Dicunt ergo, difficultatem huius materiæ satis apertè ostendere, à nobis ignorari aliquod principium, ratione cuius in eâ non possumus clarè incedere. Inquientes autem, quale illud sit, concludunt, punctum indiuisibile materiæ posse occupare spatium diuisibile, & ex naturâ suâ esse indifferens, vt iam maius iam minus occupet, vt de Angelo indiuisibili docet communis sententia: adduntque, non esse contra conceptum rei materialis, posse vnum punctum occupare duo spatia; nam materialitas solùm constituitur per impenetrabilitatē vnius partis cum aliâ, non autē per hoc quòd punctum existat in solo puncto
136 spatij. Positâ autem hac opinione, arbitrantur se plane omnibus difficultatibus satisfeciſſe. Ego autem paulò fusiùs quàm soléo, volo ostendere, illos non nisi vnico argumento, & quidem ægrè satisfacere, præcipua verò nullatenus solui, insuper ipsos in terminis implicare. quod dum præsto, simul ampliùs eorum mentem explicabo.

SVBSECTIO PRIMA.

Huius opinionis prima impugnatio.

HÆc sententia, quam aliqui ex his recentioribus à se inuentam gloriantur, est in se satis antiqua, eamque iam dudum reiecit Hurtadus Disputat. 13. Physicâ à §. 25. & omnes ferè alij recentiores, vt improbabilem illam omiserunt; quam sic Primò impugno: nam vel in spatio imaginario eo modo quo est, admittunt hi Auctores tandem puncta omnino indiuisibilia, vel non, sed perpetuò illud spatium magis &
137 magis diuisibile docent. Si dicant hoc secundum, tenent in re sententiam Aristotelis, cum hac solâ differentiâ, quòd infinitudo partium, quam Aristotelici ponunt in ipso continuo, hi ponunt in spatio, dando vbicationes in infinitum diuisibiles formaliter vel virtualiter, in minores & minores. per hoc autem nullo modo euadunt difficultates Aristotelicorū: hæ enim ex infinitudine siue spatij siue rerum ipsarum proueniebant, scilicet, quòd in subtilissimo acus foramine possint esse infinita corpora, vnum extra aliud, & quòd Deus non possit ibi tot ponere, quin plura & plura esse possent, & tamen sine penetratione, quò redeunt omnia argumenta suprà facta contra Aristotelem.

Confirmo & explico: in eo loco, quem vnum punctū occupat, possunt in horum sententiâ esse plura & plura in infinitum puncta, si quodlibet haberet minorem vbicationem: iam ergo rogo hos Auctores, Vnde inferunt, tantùm ibi esse 138
vnum punctum occupans, quod occuparent mille, vel etiam infinita, & non potiùs dicunt cum Aristotelicis esse infinita, quodlibet cū loco sibi adæquato? Nec est ad punctum præsens excogitabilis differentia, quid scilicet magis faciat ponere vnum punctum æquiualens in extensione infinitis possibilibus, quàm ponere infinita, quodlibet præcisè vni æquiualens, cùm, vt ipsi fatentur, videatur esse contra rationem rei materialis, concedere illi capacitatem occupandi maiorem locum quàm ipsa sit. Meliùs ergo Aristotelici ponunt infinita in infinito spatio, quàm hi vnum occupans spatium infinitum.

Si verò dicant hi Auctores, spatium imaginarium, quod occupat vnum punctum, esse diuisibile in puncta tantùm finita sex, vel quatuor, vel centum, adhuc clariùs reiicientur, quia tunc de illis punctis spatij erit difficultas eadem, quomodo scilicet punctum additum puncto faciat 139
maius, & ibi possunt formari omnia argumenta de pyramidibus, circulis, &c. Tandē clariùs, quia quod dicit de vno puncto occupante spatium imaginarium capax decem punctorum, potest saluari æquè facilè ponendo decem puncta, quodlibet in loco indiuisibili, iuxta proximè dicta de infinitis in ordine ad spatium diuisibile in infinitum.

Subodorati fortè hoc argumentum, dixère, spatium imaginarium nihil planè esse, & vbicationes esse in se omnino independentes à spatio, non secùs quàm sit albedo & nigredo; ac sicut inter albedinem & nigredinem possunt esse infinita accidentia, ita intra hanc & illam vbicationem posse esse infinitas, vnam aliâ minorem, nec aliud à se per eam infinitatem intendi.

Ego his Auctoribus libentissimè concedo, 140
spatium imaginarium in se nihil esse, & vbicationes in re esse entia absoluta; & ita docui agens de hac materiâ. Verùm hoc nullo modo poterunt hi Auctores mihi negare, nos, vt explicemus eam diuersitatem vbicationum, item quæ sit hæc vel illa distantia inter corpora, quæ sit maior vbicatio quæ minor, planè non posse pedem mouere sine isto spatio imaginario: quod benè Hurtadus in præsenti obseruauit. Si enim nō concipio spatium & puncta fixa, vnde infero, vbicationem hîc & Romæ esse diuersas essentialiter? ego enim eam diuersitatem nō video oculis, sicut video diuersitatem albedinis & nigredinis. Quod 141
sic declaro: si ego dicerem me hîc Pragæ habere hodie vbicationem quam ante quinque annos Romæ habui, insurgerent hi, contra me statim, & dicerent, hoc esse in terminis implicatorium; & quidem benè dicerent. Sed rogo rursus, quomodo id vel apparenter possent probare, ostendereque non potuisse hodie in me hîc eam, quam Romæ habui, reproduci saltem diuinitus, nisi recurrendo ad spatium imaginarium cui præcisè

conci-

concipiebar præsens dum essem Romæ, spatium quidem diuersum ab eo cui iam Pragæ præsens sum hodie; ergo sine isto spatio imaginario non potest in hac materiâ quidquam dici à nobis, qui non videmus diuersitatem earum vbicationum in se. Secundò idem ostendo, quia ipsimet
142 sibi in terminis contradicunt. Primò enim pro fundamento suæ opinionis supponunt, rem indiuisibilem posse esse in spatio imaginario diuisibili; vnde infero, Ergo iam omnia explicant in ordine ad diuisibilitatē vel indiuisibilitatem spatij, neque aliter possunt quidquam dicere; posteà verò, cùm premuntur argumento de ipso spatio, illud planè reiiciunt, & faciunt vitiosum circulum, dum vbicationum diuisibilitatem in ordine ad spatij diuisibilitatem explicant. Hanc verò spatij diuisibilitatem dicunt non esse aliud, quàm diuisibilitatem vbicationum, seu vbicationes ipsas possibiles; ideoque spatium solùm dicunt esse virtualiter diuisibile, quo sutant se euasisse. Verùm si res parum consideretur, nihil planè dicunt.

143 Vrgeo Primò, si auferimus spatium tamquam mensuram nostram (quidquid illud sit) vnde colligunt, hanc esse vbicationem minorem, illam verò maiorem? Quomodo illi dicunt maiorem velocitatem motus consistere in eo quòd quodliber punctum v. g. deserat totum spatium quod occupabat, & acquirat vnum aliud illi æquale; tarditatem verò in eo, quòd non deserat totum spatium quod antè habebat, sed partem illius? Quomodo enim hi in hac doctrinâ possunt sibi cohærere? Si enim ibi nomine spatij vbicationem ipsam modalem intelligant, certè etiam tardissimum mobile relinquit totam vbicationem antiquam, & acquirit aliam nouam, non secùs ac velocissimum: nam cùm ipsi dicant etiam tardissimum mobile in quolibet instanti moueri, & vbicationes ipsæ nō sint mobiles, necessum est vt omnes in vtroque pereant; ergo debent explicare velocitatem motus per hoc quòd tardum mobile retinet aliquid de spatio imaginario antiquo, & aliquid acquirit, aliàs est planè impossibile id explicare. Si ergo penitus eliminent spatium, quomodo hæc iam dicunt?

144 Vrgeo Secundò: Quomodo possunt isti explicare penetrationem duorum corporum, nisi in ordine ad vnum spatium imaginarium? Vide quæ Subsectione 3. de Tempore imaginario contra hos eosdem dicam.

Fortè respondebunt, ideò duo corpora esse penetrata, quia non possunt inter vtrumque interponi aliæ vbicationes, in quo non recurritur ad spatium imaginarium. Sed contrà euidenter Primò, quia duæ vbicationes contiguæ habent, ne inter illas possint aliæ interponi, & tamen non sunt penetratæ, ergo in eo non consistit penetratio. Contrà Secundò, rogo, Quid est interponi eas vbicationes, nisi produci in spatio intermedio. Nec explicabunt hi, etiamsi omnia sursum deorsum inuertant; cur vbicationes, quæ sunt in aëre incluso intra muros cubiculi, sint interpositæ inter has vbicationes murorum, illæ verò vbicationes aëris ex alterâ parte existentis non sint interpositæ, nisi recurrendo ad intermedium spatium imaginarium.

145 Fortè respondebis Secundò, penetrationem duorum corporum consistere in eo, quòd sint ibi duæ vbicationes similes, sicut si essent duæ albedines; distantiam verò cōsistere in diuersitate vbicationis, & maiorem distantiam in maiori diuersitate sine ordine ad spatium imaginarium. Hæc solutio tam clarè reiicitur, quàm præcedens. Primò enim pono duas vbicationes omnino inæquali distantiâ à me, vnam à dextris, aliam à sinistris; illæ habent respectu meæ vbicationis æqualem diuersitatem ab alterâ, ergo quòd vna sit à dextris, non potest explicari à te per differentiam illius à mea, sed per ordinem ad spatium imaginarium hoc vel illud. Secundò idem ostendo: in hoc casu semper fit comparatio cum aliquâ vbicatione & per ordinem ad diuersitatem, cùm illâ declaratur distantia maior vel minor; rogo ergo de illâ eadem vbicatione, quomodo declaretur essentia illius, nisi in ordine ad spatium. non enim licet eam rursus declarare in or- 146
dine ad alias, quia fieret circulus vitiosus ab vnâ ad alteram. Tertiò eamdem solutionem penitus reiicio: nam vbicatio animæ, & vbicatio materiæ & Angeli (pone omnes in eodem loco penetratos) non sunt vbicationes eiusdem speciei, quasi essent duæ albedines, sed magis differunt inter se illæ tres quàm duæ vbicationes eiusdem materiæ, vna hic, altera in loco immediato. Iam ergo, quandoquidem reieci similitudinem specificam, quæso dicas, vnde prouenit, quòd illæ tres faciant penetrationem, istæ autem duæ non faciant penetrationem? Potéstne hoc aliter explicari, nisi in ordine ad idem spatium imaginarium vel diuersum? Ratio à priori, nam per vbicationes dissimiles in se potest fieri penetratio, & per similes non fieri, non enim videtur probabile, vbicationes, quas habent partes chartæ, omnes esse inter se diuersæ speciei, etiamsi vna sit extra aliam; vel saltem loquamur de eis quas idem punctum chartæ habet, dum successiuè 147
mouetur; sed quidquid de hoc vltimo sit, primum est certum, cum diuersis etiam genere vbicationibus fieri penetrationem, vbi non potest recurri ad similitudinem earum, sed ad idem spatium. E quibus euidenter constat, spatium debere poni in ordine ad nos tamquam primam regulam distantiæ, penetrationis, extensionis, dilatationis, coarctationis, &c. nec in ordine ad nos id posse explicari per infinitas vbicationes ibi possibiles: nam in sententiâ horum vbique possunt esse infinitæ, cum eâ tamen differentiâ, quòd in vno loco in se sint maiores, in alio minores. Iam autem de eâ minoritate est tota difficultas, quomodo possit vna maior alterâ dici, nisi in ordine ad spatium aliquod quod ibi concipiamus; explicare autem spatium rursus præcisè per has vbicationes, planè est per circulum vitiosum nihil dicendo rem confundere.

Si autem spatium formaliter diuisibile admit- 148
titur, siue verum & reale, siue fictum, saltem in ordine ad nos tamquam prima regula, iam hi Auctores relabuntur in omnia argumenta, quia in eo spatio concipiuntur lineæ, puncta, superficies, &c. & debent illud explicare vel per finita puncta sine inflatione vllâ, vt Zenonistæ; vel debent recurrere ad Aristotelicam sententiam, quia, vt suprà dixi, eadem est quoad hoc difficultas in ipso spatio, quæ in corpore illud replente. Tandem dico contra eam solutionem, quidquid de hoc sit, adhuc restare eam difficultatem, quòd in subti-

subtilissimo acus acumine possint poni infinita puncta, vnum extra aliud, vt suprà dicebam numero 137.

SVBSECTIO SECVNDA.

Impugnatur ea opinio, dum ostenditur diuinitus posse dari minimam omnium vbicationem.

DISPVTATIONE XIII. à num. 11. suprà ostendi, possibilem esse creaturam omnium perfectissimam, item & omnium infimam; è quo sic argumentor: Suppono eas omnes vbicationes possibiles, quas hi ponunt minores & minores in infinitum, & sic arguo: Deus potest producere omnium minimam; atqui illa erit necessariò in spatio indiuisibili etiam virtualiter, vt hi loquuntur, ergo potest dari vbicatio etiam virtua-
149 liter indiuisibilis. Demus ergo, tales vbicationes dari à Deo omnibus punctis; iam rogo, an illa puncta cum eis vbicationibus faciant maius, an verò non. Si dicas facere, pone ergo de facto tales vbicationes indiuisibiles, quæ proculdubiò magis erunt proportionatæ ipsis punctis indiuisibilibus, & explica ceteras difficultates eo modo quo illas in eo casu explicares. Quòd si dicas, eas vbicationes indiuisibiles non facturas extensionem, argumentor euidenter contra te, Ergo etiam quæ de facto sunt, non facient vllo modo extensionem. Probo euidenter consequentiam: istæ in tantum faciunt extensionem, in quantum vna æquiualet illis minoribus multis, do tibi etiam infinitis; ergo si omnes illæ simul sumptæ non faciunt vllam extensionem, neque occupant locum diuisibilem, non poterit vna præcisè æquialens illis facere eam extensionem, ergo per has vbicationes inflatas nihil singulare præstas.

150 Duo mihi in hoc discursu probanda restant, cetera enim videntur manifesta. Vnum est, si produceretur vna vbicatio omnium minima, illam responsuram, nostro modo concipiendi, spatio indiuisibili; hoc autem ipsimet aduersarij concedunt, & ratio euidenter ostendit: nam si responderet spatio diuisibili, posset esse alia correspondens minori, & consequenter, hæc non esset minima, vt supponimus. Alterum quod restat probandum, est, posse dari talem vbicationem minimam omnium, & hoc præterquam quod sequitur ex dictis vbi suprà de creaturâ omnium infimâ possibili, sic nunc manifestè probo argumento, quo in hac materiâ sæpè vtor, & est euidentissimum: Deus potest producere minimam vbicationem quam potest. Hæc propositio, quia nimis vera, est enim ferè identica, parum abest ab ineptâ, sumo aliam æquè veram: si Deus producat id quod potest, non sequitur vlla repu-
151 gnantia. Da ergo illum producere in hoc puncto materiæ minimam quam potest, atqui illa erit necessariò omnium minima, ergo Deus potest producere omnium minimam. Consequentia est euidens. Maior iam est probata. Minor verò clarè ostenditur: nam si illa non esset omnium minima, ergo esset possibilis alia minor; atqui illa possibilis potuisset à Deo produci, ergo hæc quæ de facto est producta, non est minima quam Deus potest, cuius contrarium supponitur.

Confirmo Primò: Nihil planè impedit, vt dicat Deus, *ego volo huic puncto dare minimam quam possum vbicationem.* quæ enim in hac voluntate, habente pro obiecto facere id quod potest, reperietur repugnantia? Certè nulla; ergo potest producere omnium minimam. Confirmatur Secundò: Ferè hoc modo argumentandi hi ijdem Auctores ostendunt, possibile esse infinitum in actu, quia Deus potest simul velle crea- 152
re omnes, quas simul potest, & quia, nisi perueniendo vsque ad omnes possibiles, non occurrit multitudo, in quâ Deus sistat; ideò dicunt, non solùm infinitos Angelos, sed omnes etiam possibiles simul posse produci. Eodem ergo modo sic argumentor, Nisi perueniendo ad vbicationem planè indiuisibilem seu omnium infimam, non potest sisti in aliquâ, infra quam Deus non posset aliam minorem producere, ergo dicendum est, posse eam producere & omnes illas simul, & etiam infimam omnium solam. Confirmo tandem, quia potest Deus omnes eas vbicationes simul producere, sicut dicis posse omnes creaturas possibiles produci, etiamsi non sit in eis suprema & infima. Hinc infero, Ergo inter illas omnes scit Deus, quæ & à quâ excedatur, ergo de omnibus potest dicere determinatè, ista est minor, descendendo per omnes: ergo cùm ille descensus Dei fiat in instanti, debet percurrere omnes, & sic tandem eo instanti sistit in vnâ, de quâ nescit, non habere post se aliam minorem. Quæ difficultas 153
clariùs percipitur in eis vbicationibus actu existentibus, & quæ omnes possunt suis nominibus designari, & Deus de illâ noscere, quæ habeat post se, quæ supra se. Nec potest dici, esse contra rationem infiniti, habere vltimam & primam; iam enim ostendimus hoc esse falsum; & sumendo hominem tamquam infimum, & Gabrielem tamquam supremum, posse inter duo hæc extrema esse infinitas creaturas rationales, quarum infima sit homo, & suprema Gabriel. Malè ergo ex infinitate earum vbicationum volunt hi inferre, non esse ibi possibilem infimam & supremam. Nec potest etiam dici, vbicationem, eò quòd sit creatura, posse habere aliam se imperfectiorem seu minorem: hoc, inquam, dici 154
non potest; probat enim, etiam respectu aggregati creaturarum omnium posse esse aliam imperfectiorem, quia etiam illud aggregatum est creatura; ergo potest habere aliam se imperfectiorem, quod est apertè implicatorium. Nec video ex quo principio desumatur, esse de conceptu creaturæ, habere aliam se imperfectiorem, quasi, etsi per impossibile vna sola esset possibilis, vel omnes essent æquales, non ideò essent creaturæ, Nónne hoc cuilibet euidens apparebit?

Secundò in hac eadem materiâ displiceat valdè, quòd hi dicunt, non solùm non esse possibilem vnam vbicationem omnium infimam, sed nec esse possibilem vnam immediatam alteri in magnitudine, sed quacumque producta post vbicationem A. posse alias & alias in infinitum interiici inter eas duas. Hæc inquam mihi semper imperceptibilia visa sunt: cùm enim vbicationi A. v. g. vna sola ex minoribus sit immediata, (nam duæ inæquales inter se, non possunt illi esse immediatæ) & aliunde sit aliqua, ergo vnica. Secundò, posito vnam esse, dicere, nec Deum eam 155
producere posse, imò nec eam cognoscere, est incredibile. Et hoc est vnum ex argumentis quod

in

in Aristotelis sententiâ summam habet difficultatem (vt suprà dixi) & propter hoc ipsum ferè hi recesserunt ab Aristotele. Iam autem eamdem ipsi ponunt difficultatem in vbicationibus possibilibus. Et certè si semel in possibilibus admittatur respectu Dei ea ignorantia, & indeterminatio tactus vnius cum alterâ, non video quomodo efficaciter ostendatur non reperiri in continuo, & vt etiam suprà dixi num. 138. connaturaliùs diceretur ita de facto contingere.

SVBSECTIO TERTIA.

Impugnatur ea sententia ab inconsequentiâ in duratione.

156 CVM hi Auctores frequenter repetant, eodem modo de duratione quo de vbicatione discurrendum esse, in præsenti tamen valdè deerrunt hanc consequentiam: inquiunt enim, repugnare durationem etiam virtualiter diuisibilem, sed omnes esse indiuisibiles formaliter, & instantaneas simpliciter. Rationem reddunt, quia si duratio esset diuisibilis virtualiter, posset esse in aliquo instanti ea duratio, in quo eam Deus non posset annihilare: si enim possibilis esset aliqua duratio indiuisibilis æquiualens pluribus, eo ipso quòd ea existeret, necessariò deberet perseuerare vsque ad finem termini, & consequenter toto illo tempore non potuisset destrui, quod est contra dominium Dei.

Hinc iam, quæso, videas hos Auctores, qui dicunt, tempus imaginarium, sicut locum realem, esse planè nihil nisi solas vbicationes & durationes possibiles: & qui suprà non volebant in ordine ad spatium imaginarium metiri vbicationes, iam hîc in tempore reali ponere instantia indiuisibilia, & ex eis argumentari ad probandum, non posse esse durationem virtualiter diuisibilem, quia scilicet in aliquo instanti imaginario esset verum, Deum non posse annihilare eam vbica-
157 tionem. Quibus ego respondebo, instans illud nihil planè esse ex eorum sententiâ, nisi solam durationem: quòd autem durationem, ex suppositione quòd existat, non possit destruere, quid contra dominium Dei?

Dices fortè Primò: Quia citiùs potuit destrui. Sed contrà, quia rogo te (& non recurras ad tempus imaginarium) quid est illud *citius*? Pone vnicum Angelum existentem cum tali duratione, si secludas tempus imaginarium, quomodo in eâ duratione inuenies citius & posterius magis quàm in albedine & nigredine, quibus tu frequenter vbicationem & durationem assimilas?

158 Dices Secundò: Illud *citius* est, quòd potuerit esse alia duratio breuior. Sed contrà, quia rogo, Ex quo probas, illam aliam durationem esse breuiorem, nisi vtramque compares in ordine ad instantia imaginaria, & dicas quia vna durat tribus v.g. altera vno. Quòd si hæc instâtia ad explicandum tollas, planè non est excogitabile, quid sit illud citius vel tardius. Contrà Secundò, quia si in tuâ sententiâ hoc totum explicatur per maiorem vel minorem perfectionem durationis sine punctis temporis, rogo, sicut non est contra dominium Dei, quòd si hominem producat, non possit illum tam imperfectum facere essentialiter quàm lapidem, sed necessariò debeat esse perfectior; cur erit contra dominium Dei, quòd durationem A. si eam producat, non possit facere tam imperfectam sicut durationem B. sed æqualenter & huic, & durationi etiâ C? Nihil enim 159
aliud est, in tuâ sententiâ, illam esse longiorem alterâ, nisi esse perfectiorem: nec à te recurritur ad instantia, quibus durationes illæ respondeant. Certè hoc non magis repugnat, quàm non posse Deum vbicationem A. facere ne æquiualeat aliis duabus vbicationibus minoribus, vt tu dicis: quo tamen non obstante, à te admittitur vbicatio extensa, sine præiudicio dominij Dei. Vides ergo, distinctionem tuam inter vbicationes & durationes planè esse sine fundamento.

Confirmo totum hoc ad hominem contra hos Auctores, quia ipsi admittunt, posse in Deo videri omnes creaturas possibiles, vel saltem visionem beatam posse supra se reflectere, & videre, se duraturam per æternitatem; ergo non repugnat aliqua entitas, quæ semel producta non possit etiam per æternitatem destrui; illa enim visio cùm essentialiter sit vera, si semel existat in vnico instanti, & dicat se duraturam per æternitatem, necessarium est, vt per æternitatem duret; ergo non est
contra dominium Dei, quòd aliqua creatura se- 160
mel existens debeat in æternum durare; Deus enim, dum se determinauit ad eam producendam, etiam se determinauit ad conseruandam illam per æternitatem, ideoque est suppositio consequens voluntatem Dei; multò ergo minùs repugnabit vna duratio, quæ per medium ictum oculi duret: ergo iam ex hac parte debes in duratione admittere illam diuisibilitatem in infinitum, & quòd, cùm omnia vnum immediatè post aliud sequantur, nihil tamen ita sequatur, vt in infinitum alia & alia non potuerint esse priora & priora, quod planè videtur imperceptibile, vel saltem est sententia Aristotelica, quam fugis.

SVBSECTIO QVARTA.

Ostenditur, in hac sententiâ non satisfieri argumentis, & præsertim illis de rarefactione & motu rotæ.

DIXI num. 136. ab his Auctoribus vni tan- 161
tùm argumento, ex his quæ contra Zenonem fiunt, satisfieri; sed & doleo me hoc dixisse, quia nec quidem vni satisfaciunt ipsi magis quàm alij. Argumentum de quo id dixi, est, quod è raritate & densitate desumitur, & de quo ex professo Sectione sequenti, cui planè videbitur alicui in hac sententiâ abundè fieri satis, dicendo, easdem partes olei v.g. rari habere vbicationes maiores, ideoque occupare maius spatium; easdem verò, quando oleum est densum, habere alias minores, & sic minori loco respondere. Hæc hucusque clara, verùm aliunde euidenter ostendo, non satisfieri huic difficultati. Suppono enim tamquam rem omnino certam, non esse necessarium in rerum naturâ, vt si aliquod corpus rarescat, eo ipso aliud ei æquale condensetur. Quis enim dicet, si butyrum calore ignis vel Solis dissoluatur, & rarescat, eo ipso iam alibi in aliquo alio angulo corpus aliud eiusdem magnitudinis condensari? Quis enim hoc illis ibi nuntiauit? 162
aut quomodo dissolutio hîc butyri operata est in distans condensationem? Idem est, quando quis pro-

proiicit in ignem stupam, quæ accensa rarescit; quis prudens dicet, eo ipso alibi procul vnum corpus densari, quod tamen, si stupa non fuisset proiecta, non densaretur?

Dixi, *alibi procul*: nam ibi circa ignem omnia potiùs rarescunt ex maiori igne. Idem quando homini vitreæ cucurbitæ imponuntur: idem quando accenditur candela aut ignis, &c. non enim potest quis vel apparenter dicere, tunc eo ipso alibi fieri condensationem, & æqualem omnino Mathematicè. Quid quando magna silua accenditur, & omnia calore dilatantur, vbi inueniunt hi aliam æqualem siluam quæ condensetur? vel erítne propterea aër alibi frigidior & densior? sed de hoc fusiùs infrà Sectione sequenti, vbi solutio quæ dari poterat præcludetur.

163 Hoc ergo posito sic argumentor: Non potest ea maior raritas explicari per tuam maiorem inflationem punctorum, ergo per eam non satisfacis difficultati. Probo Antecedens: non enim illa puncta possunt magis intumescere quàm anteà, nisi vel alia tantumdem constringantur, quod iam supponimus non fieri; vel antè fuerit vacuitas aliqua, quod repugnat; vel iam de facto hæc puncta eumdem occupent locum cum aliis, seu penetrentur cum illis, quod repugnat. Hoc eodem argumento vsus sum olim contra hos eosdem Auctores, qui antequam in hanc sententiam de inflatione punctorum inclinarent, explicuerunt difficultatem de raritate per vacuitates aliquas, contra quos argumentatus sum: Quando omnibus pensatis est maior densitas in rerum naturâ quàm anteà, debent esse plures vacuitates quàm anteà, vt per se in hoc modo dicendi est
164 euidens: atqui non possunt esse iam plures vacuitates, nisi vel pars aliqua materiæ perierit, vel aliquæ partes penetratæ sint, quod repugnat. Sed de hoc videro Sectione sequenti; hìc satis contra turgida puncta in ordine ad rarefactionem, quæ etiam possent impugnari, eò quòd Angelus se dilatans eodem modo rarescaret, & se coarctans condensaretur sicut corpus, sed quia hoc pertinet ad quæstionem de nomine, non facio hìc magnam vim.

Circa secundum argumentum de velocitate motus sic hi difficultatem explicant: dicunt enim, si quadrans horæ v. g. habeat, vt habet in eorum sententiâ, finita instantia. Ponamus illa esse quatuor (pono pauca claritatis gratiâ) in quolibet instanti mouetur testudo, & in quolibet aquila, sed hæc est differentia, quòd testudo ex spatio ad quod mouetur, & quod est infinitum virtualiter, solùm acquirit vnam exiguam partem, & aliam
165 æqualem amittit ex antiquo; aquila verò amittit plus de antiquo, & acquirit etiam multò plus de nouo. Vnde inferunt, naturaliter posse esse motum summè velocem, si scilicet totum spatium antiquum relinquat, & aliud ei æquale de nouo acquirat. non posse autem naturaliter esse motum summè tardum, quia semper est minus & minus quod possit relinquere. Denique inferunt, de potentiâ absolutâ posse esse semper motum velociorem & velociorem in infinitum, quia potest semper magis & magis occupare de loco. Hinc ad argumentum de motu rotæ respondent, semper omnes rotæ circulos exteriores & interiores moueri: sed exteriorem plus relinquere de spatio antiquo, & plus acquirere de nouo; interiorem verò circulum minus acquirere de nouo, & minus amittere de antiquo. Vnde non sequi- 16
tur, rotæ partes discontinuari prout videtur sequi, casu quo pars interior quiescat, motâ exteriori, de quo infrà. Hæc doctrina iam à me suprà vniuersaliter fuit reiecta, eò quòd nisi ponantur puncta in ipso spatio imaginario, non potest ea maior velocitas explicari, neque quid sit relinquere plus spatij, quid minus, quandoquidem vbicationes semper totæ mutentur. Secundò iam specialiùs in hac solutione displicet, quod de motu summè veloci in infinitum de potentiâ absolutâ docet: ostendo enim, nisi homo continuè rarescat semper, etiam diuinitus esse motum summè velocem. si enim moueatur vnum punctum æquè extensum ac aliud vltimum, ad totum locum illius quod immediatè sequitur vt planè ei succedat, erit motus summè velox; nec facere Deus potest in instanti, vt punctum A æquè extensum cum 167
puncto B. saltet vltra punctum B. nisi vel illud punctum inflando, vt dixi, vel eo non occupante totum medium, sed sine medio, quod iam non pertinet ad motum localem: ergo etiam diuinitus potest esse motus summè velox.

Confirmo & explico. Pone centum lateres sibi lineâ rectâ contiguos, non potest Deus facere vt alter later eis æqualis in centum instantibus occupet, nisi centum illos lateres vnum in quolibet instanti: quòd si in vno instanti occupat vnú & aliquid amplius, iam inflabitur later, neq; hoc pertinebit ad motum localem; ergo hic, vt talis, habet terminum etiam diuinitus, quod ab his negatur.

Vltimò displicet (& quidem hoc præ ceteris) quòd putent, se respondisse rotæ argumento, quod tamen euidenter falsum est, vt iam ostendo, supponendo, quod est omnino certum, puncta exteriora rotæ, non quia exteriora sunt, ideò magis esse inflata aut extensa, vel occupare maiorem locum: Secundò, ea puncta, licet velociùs mo- 168
ueantur, non propterea tamen inflari magis. Ponamus autem tertiò, Deum naturaliter mouere rotam motu summè veloci naturali, vt scilicet punctum B. circuli exterioris relinquat totũ suum antiquum locum, & succedat adæquatè in locum vbi erat punctum A immediatum, hoc enim potest fieri naturaliter. Aduerte tamen, argumentum meum non pendere ab hac suppositione, sed eamdem vim habere in omni motu: quia tamen clariùs intelligitur in isto casu, ideò illum pono, applicari autem omnibus aliis potest.

His positis sic argumentor: Quando punctum B circuli exterioris transit ad totum puncti locum A eiusdem circuli, in interiori circulo punctum aliud B. non transit ad totum locum puncti A eiusdem interioris circuli, quia in eo instanti non mouetur punctum interius B. tam velociter, quàm exterius punctum B. Hæc omnino certa. Vnde infero, ergo B interius non manet 169
totum sub B exteriori sicut anteà erat, sed partim sub eo B. & partim sub C. quod erat post B. & adæquatè successit in locum B exterioris. Probo euidenter sequelam, quia B exterius reliquit totum suum locum, B autem interius non reliquit totum, sed partem retinuit, ergo ratione huius partis quam retinuit, iam non est sub B exteriori, sed sub C. quod successit in totum locum exterioris B:

rioris B : anteà autem totus locus B interioris erat sub B exteriori, ergo quâ parte simul desertiit locũ B cum superiori, manebit sub illo ; quâ verò
170 parte hæsit, manebit sub C. ergo iam est sub diuerso puncto quàm anteà, nempe sub C, & consequenter iam est totius rotæ punctorum interiorum cum exterioribus approximatio mutata, & causata eorum discontinuatio. Idem argumentum fit, etiamsi non mutent exteriora puncta suum adæquatum locum, dummodò plus mutent quàm inferiora : vnde eruitur à priori ratio huius rei, quia scilicet, si puncta exteriora plus de nouo spatio acquirunt quàm interiora in eodem instanti, perinde est ac dissolutionem, ac si pro illo instanti interiora penitus quieuissent, exteriora verò acquisiuissent solum illud in quo excedunt quando simul mouentur ; atqui si vel quieuissent in vno instanti, facta esset ea discontinuatio, ergo etiam si non quiescant, sed moueantur, dummodò non tam multum noui spatij vnum acquirat quàm aliud ; quia, vt dixi, discontinuatio non fit propter quietem, sed propter maius
171 spatium acquisitum. Imò in sententiâ horum est maior difficultas : quia punctum superius acquirit non solùm punctum, sed infinitum quid plus de spatio quàm inferius.

Videas ergo hos malè putasse, se respondisse difficultati de motu rotæ ; putarunt enim, totum mysterium esse in quiete punctorum, cùm debuissent considerare, non in quiete, sed in spatio distantiore acquisito per puncta exteriora consistere.

Addo hic contra hos, malè probare spatij cuiusque diuisibilitatem in infinitum, eò quòd si non esset in infinitum diuisibile, sequeretur, circulum exteriorem alicuius rotæ moueri posse summè velociter : vnde si illa rota fieret maior, non posset eâdem velocitate moueri, quod est
172 absurdum. Hoc, inquam, argumentum istorum nullum planè est, quia, vt paulò antè ostendi, si non detur rarefactio noua in motu, qualis non datur in motu rotæ, necessariò omnes tenemur dicere, esse posse motum summè velocem, quando scilicet punctum A. transiret ad totum locum puncti sequentis, neque diuinitus ablatâ rarefactione posse esse velociorem : ergo hoc quod inferebãt pro absurdo, est ipsa veritas, ergo argumentum nullum est. Dicendum ergo in eo casu, si ei rotæ aliquid adderetur amplius, in eo casu interiores partes debere minùs velociter moueri quàm anteà ; illam autem additam, mouendam eadem velocitate quâ vltima antiqua mouebatur. Vides iam præcipuum argumentum contra puncta finita de motu rotæ non dissolui per hanc inflationem punctorum, ad quid ergo eam ponemus?

173 Aliud argumentum Aristotelis, quòd punctum additum puncto non faciat maius, soluitur ab his per hoc quòd vnum punctum non tangat adæquatè aliud, ideò non penetratur cum illo. Sed hæc solutio planè nulla est : quia si de tactu puncti & vbicationis loquantur, falsum dicunt ; nihil enim est in puncto & vbicatione illius, quod non tangatur ab altero. Si verò dicant, quòd non sit in loco adæquato illius, tunc insurgo, Ergo iam tu explicas hoc per ordinem ad partes loci, prout suprà dicebam ; eo autem dato, iam in ipso loco manet tota difficultas, an penetretur cum illâ primâ parte loci, an nõ, &c. Secundò absolutè impugno istam sententiam, quia, vt ostendi suprà, potest veniri ad vbicationem indiuisibilem ; & licet de facto id esset falsum, eò quòd (vt hi dicebant) de conceptu omnis creaturæ est, posse habere aliam & aliam se imperfectiorem, certè ex
174 conceptu vbicationis vt talis non prouenit hoc : vnde si in aliis creaturis possit esse infima, hîc etiam esse posset. Demus ergo hoc impossibile, quod non destruit casum nostrum, & ex illo sic argumentor : Ponantur puncta omnia cum vbicatione tali infimâ in spatio vnius digiti ; rogo, an primum punctum deberet tunc penetrari cum secundo, & cum tertio etiam consequenter, & sic cum omnibus aliis, an non, sed posset primum tangere secundum sine penetratione. Si hoc secundum dicas, tenet Zenonista intentum, scilicet, sine inflatione punctorum sufficienter responderi argumento. Si verò dicas primum, sic
175 argumentor, & quidem euidenter : Ergo etiamsi sequentia puncta in eo spatio habeant finitas vbicationes, quas tu ponis æquiualentes illis infinitis minimis, fiet eodem modo penetratio illa. Probo clarè consequentiam, quia si prima vbicatio penetretur tunc cum infinitis sequentibus, ergo penetrabitur cum alterâ æquiualente omnibus illis. Patet, quia omnes illæ idem occupant quod ista sola ; ergo si penetratur cum illis, etiam penetrabitur cum istâ, quo nihil potest esse clarius.

Ex his etiam constat, alia omnia argumenta Mathematica de pyramide, quadrato, &c. non posse ab his solui : quia si ea puncta ponerentur ibi per infinitas vbicationes minimas, esset idem, ac ponere per sex æquiualentes illis : at si vbicationes essent indiuisibiles, non soluuntur argumenta (vt hi dicunt) ergo neque iam.

Secundò, quia etiam in his vbicationibus inflatis non potest explicari, cur vna non transeat per totam aliam, cùm hæc sit indiuisibilis, nisi recurrendo ad partes spatij. Si autem in spatio ponuntur partes & puncta, ex illis satis potest concipi formata pyramis, & ibi omnia argumenta planè habent totam suam vim.

Tandem hi Auctores agentes de contactu per- 176
fecti globi in perfecto plano, & de contactu etiam duarum superficierum, iterùm respondent cum sententiâ Aristotelis negante ea puncta, & solas partes admittente ; ideò dicunt fieri contactum in re subtilissimâ, non tamen tali vt non possit fieri in minori & minori ; item, vnam superficiem esse immediatam alteri, nihil tamen in eâ esse primò immediatum : quæ omnia sunt quæ videntur euidentia contra Aristotelem, scilicet, quòd duo quæ existunt inter se vnum post aliud, non possint ambo esse immediata alicui, sed necessariò vnum tantùm ex illis futurum immediatum. quod sic explicui : Aliquid est immediatum non duo, ergo vnum. Vide ibi dicta.

Quod verò hi addunt, non esse mirum, aliquod totum esse immediatum alteri, & nihil esse in eo toto quod sit immediatum vt in complexo omnium creaturarum, quod est immediatum Deo, nulla autem creatura est illi immediata ; hoc, inquam, falsum est, & propter hoc argumentum ostendi, debere esse vnam omnium perfectissimam, quia Deo non sunt immediatæ omnes creaturæ, neque duæ (& ponamus omnes species

177 esse inæquales) ergo vna. Patet euidenter consequentia, quia euidens est hæc sequela, *sunt immediatæ, & non omnes, ergo aliquæ.* Rursus, non duæ in plurali, quia duæ inter se inæquales non possunt esse immediatæ, ergo vna. Certè si hoc non est clarum, non scio quid sit. Sed de hoc & in hac Sectione & alibi fusiùs egi, & etiam suprà. Nunc verò addo, hinc euidenter constare, hos Auctores difficultates Aristotelicorum non norasse, sed mutasse, eas ex punctis ipsis ad vbicationes punctorum transferendo, quod est ridiculum.

178 Negant præterea hi, pyramides desinere in puncto Mathematico spatij, & dum volunt respondere argumentis Mathematicorum, maiorem incurrunt eorum inuidiam, auferunt enim illis lineas etiam in ipso spatio indiuisibiles quoad latitudinem, superficies, &c. quod tamen vnicè Mathematicus curat, qui in his abstrahit à materiâ, & in spatio ipso imaginario ea omnia considerat. Hæc adhuc fusiùs poterant vrgeri, sed hæc sufficiant.

Vidisti, quàm parum iuuet hæc sententia ad respondendum argumentis, & in se quot habeat difficultates, præter illam de istâ virtute se extendendi aut coarctandi in punctis materialibus: quam licet non putem rei materiali repugnare, vix tamen adducar, vt credam eis rebus, quæ de facto sunt, conuenire, & posse Angelum partes vieri, non introductis corpusculis, coarctare vel extendere.

179 Fusiùs hanc sententiam perstrinxi, quia iam pridem à nonnullis inuenta, & reiecta, nouissimè ab aliis ingeniosis recentioribus, qui tamen priùs eam abominabantur, illustrata est: sed de his dici potest, *Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustiâ cibi mei sunt*: & verè *præ angustiâ*; magnæ enim angustiæ hos ad hanc sententiam impulerunt. Verùm quia mihi via hæc per punctorum inflationem non dilatari sed eo anguſtiari videtur, nolo eam vllo modo intrare.

SECTIO X.

Argumentum è raritate & densitate petitum dissoluitur.

180 DIFFICVLTAS hæc communiter in libris de Generatione agitatur; sed quia compositionem continui videtur tangere, ideò oportuit eam in præsenti, breuiùs tamen quàm aliqui soleant, explanare. Ergo nonnulli ex his qui sententiam Aristotelis sequuntur, sic insurgunt contra Zenonistas: Eadem quantitas v. g. olei & aquæ, &c. quando est rara, occupat maius spatium quàm quando est condensata, vt oculis patet: sed si illa quantitas constaret punctis finitis, v. g. viginti aut triginta, non posset id fieri, quia viginti puncta olei v. g. non possunt plus quàm viginti puncta spatij occupare, quia non possunt esse nisi quodlibet in vno loco; nec minus, quia nec possunt penetrari; ergo siue condensentur siue rarefiant, semper occupabunt idem spatium; ergo dicendum est, continuum non constare ex punctis, & partibus finitis.

Ante solutionem ostendo, argumentum eamdem difficultatem habere in sententiâ Aristotelis ac in Zenonisticâ: siue enim partes & puncta finita sint, siue infinita, lumine naturæ notum est, easdem partes & puncta non posse nunc occupare plus spatij quàm anteà, nisi vel anteà aliquæ essent penetratæ inuicem, vel nunc aliquæ sint in 181
duobus, vel inter illas interiiciantur aliquæ vacuitates aut alia corpora; nec est perceptibilis quartus alius modus, quo possit fieri ea maior dilatatio etiam diuinitus; ergo per infinitatem partium non soluitur difficultas. Confirmo: pone infinitos homines in rerum naturâ, rogo, Num quia infiniti sunt, poterunt iam maius spatium occupare, iam minus, nisi vel aliqui penetrentur inuicem, vel aliqui in duobus locis ponantur? Certè quisque facilè respondebit, id omnino repugnare; ergo infinitas partium non soluit difficultatem præsentem. Et tandem multi etiam ex Aristotelicis fatentur, hanc esse difficultatem insuperabilem, & solùm explicari benè in sententiâ de corpusculis (de quâ infrà) ergo ex hoc capite non arguitur benè contra Zenonem. Veniamus iam ad difficultatis solutionem.

SVBSECTIO PRIMA.

Variæ sententiæ referuntur & reiiciuntur.

PRIMÒ dixere nonnulli, in rarefactione deperdi quantitatem præcedentem, & aliam maiorem produci; è contrario verò in condensatione produci aliam minorem, maiori deperditâ. Hæc sententia omnino caret probabilitate, Primò, quia ridiculum est aquam accipere quantitatem, & ab igne eam rarefaciente, & à frigore eam comprimente; quia impossibile est, calorem & frigus, cùm inter se opponantur, habere virtutem ad producendam quantitatem eiusdem speciei, & multò magis, quòd idem ignis opponatur vni quantitati, & producat alteram eiusdem speciei. Secundò, quia illa maior quantitas non potest subiectari in materiâ præcedenti, quia quælibet pars materiæ iam habebat quantitatem, duæ autem partes quantitatis non possunt poni in eodem loco, imò si ponerentur, non facerent corpus illud magis extensum: si verò quantitatem ponas sine subiecto, repugnas rationi naturali, docenti, accidens esse non posse sine subiecto; ergo per maiorem & minorem quantitatem nouissimè productam explicari nequit raritas aut densitas.

Sed neque potest vllo modo dici, simul cum 183
quantitate plus materiæ produci, nulla enim causa naturalis est productiua materiæ primæ, quæ solùm per creationem producitur, nec eiusdem annihilatiua in condensatione.

Cum hac sententiâ coincidit alia Scoti, Bassolis, & aliorum, docentium, in rarefactione non deperdi quantitatem præcedentem, sed acquiri de nouo aliam partem quæ deperditur in condensatione. Hanc impugna argumento nuper facto, quia vel illa quantitas noua manet sine subiecto, & hoc repugnat naturaliter; vel penetrat aliam partem quantitatis iam priùs residentem in materiâ in quam noua quantitas ingreditur, & hoc repugnat propter impenetrabilitatem ipsius quantitatis: tandem, quia hoc admisso, adhuc non resultat maior extensio per eam nouam quantitatem, quandoquidem penetrat præexistentem.

Tertia sententia est P. Suarezij Tomo 1o. in 184
3. Partem,

3. Partem, disputatione 28. sect. 1. P. Fonsecæ 5. Metaphysicæ cap. 13. sect. 4. ad 2. Soti 4. Physicorum, & in Logicâ cap. de Quantitate, & in 4. Sententiarum distinct. 10. quæst. 1. art. 2. & aliorum apud Conimbricenses de Generatione quæstione 17. art. 3. quibus ipsi subscribunt, qui censent, in rarefactione & condensatione nihil prorsus amitti aut acquiri quantitatis, sed solùm dari quemdam modum nouum, quo eadem quan-
185 titas occupet maius aut minus spatium. Hæc sententia omnino displicet, relinquit enim difficultatem in omni suâ vi: quod enim hîc quæritur, est, quis sit modus ille, vel quâ ratione materiam reddere possit occupantem maius spatium. Deinde posset etiam Angelus, dum idem iam maius iam minus spatium occupat, rarescere & condensari: si enim condensatio non dicit maiorem partium vnionem, sed præcisè idem iam minorem locum occupare quàm anteà, totum hoc conuenit Angelo; ergo verè condensatur, dum se ad minorem locum reducit. Secundò, vt meliùs difficultas huius opinionis percipiatur, suppono, duas partes corporis non posse penetrari inuicem, quantumuis indiuisibiles sint; item nec vnam partem corporis posse esse in duobus locis etiam minimis, nisi ipsa pars habeat duas alias partes, quarum vna ponatur in vno loco, alia in altero. Hoc admittunt Auctores cum quibus nunc agimus.

186 Ex his duobus principiis sic impugno prædictam sententiam: Partes quantitatis ante condensationem non erant penetratæ, sed vna extra aliam in loco sibi adæquato: sed quantumuis nouum modum in condensatione acquirant, non potest quælibet poni in loco minori, quia non potest esse, nisi in loco adæquato sibi; nec possunt duæ poni in eodem loco, quia penetrarentur; ergo non possunt occupare nunc minus spatium quàm anteà; nec ad hoc conducet punctorum & partium infinitas (vt suprà ostensum est) ergo non soluitur vllo modo ab his Auctoribus præsens difficultas: ideoque huic argumento aliqui Auctores, cùm hanc replicam contra se indissolubilem dicant, posteà respondent, eas partes dici posse constipatas: sed quis hoc non videat esse ridiculum? quid enim τὸ *constipatas* magis, quàm
187 penetratas significat?

Alij quartò dixere, rarefactionem fieri per dilatationem corporis versus vnam dimensionem, & per compressionem versus aliam, manente eadem materiâ & quantitate. Fateor, rectè posse idem corpus extendi versus vnã partem, v.g. versus longitudinem, si versus alteram comprimatur: id tamen in rarefactione non contingere certum est: dilatantur enim corpora versus omnem dimensionem, vt patet in aquâ bulliente; è contrario in condensatione versus vtramque partem comprimuntur; ergo non soluitur ab his Auctoribus præsens difficultas.

188 Sed neq; huic difficultati satisfacere qui puncta inflata admittunt, ostendi Sectione IX. Subsectione 4. quæ non debent hic repeti.

Tandem alij negantes, idem punctum posse occupare duo loca, dixerunt, in corpore raro reperiri vacuitates aliquas, quas amittit in compressione, ideoque minorem occupat locum post compressionem quàm ante illam. Hæc sententia in primis ad hominem reiicitur, quia hi Auctores ideò præcisè negant in Physicis posse dari aliquod vacuum naturaliter, quia Deus pro quolibet puncto spatij aliud punctum materiæ produxit, quod eodem modo de partibus proportionalibus materiæ respectu partium proportionalium spatij intelligendum est, iuxta Aristotelis sententiam: & cùm duo nequeant penetrari, fit inde, nullum posse manere vacuum. Imò addunt, Deum creasse nouam materiam cum nouâ quantitate, loco Corporis Christi Domini, Beatissi- 189
mæ Virginis, & aliorum, qui simul cum corporibus cælos conscenderunt. Hæc autem omnia apertè repugnant vacuitatibus his quas in præsenti admittunt; neque in eorum sententiâ vlla est ratio, cur repugnet vacuum etiam magnum: imò congelato flumine omnes vacuitates, quas in se habebat, in vnum collectæ, deberent efficere naturaliter magnum vacuum. Nec possunt respondere, impediri influxum cæli per illud magnum vacuum, tum quia hæc ratio ab illis reiicitur, tum quia per corpora collateralia possunt influxus communicari; tum denique, quia non est cur per breue tempus non possit esse lapis, vel aliud corpus, sine eiusmodi influxu cæli, vt suprà dixi.

Explico ampliùs hoc argumentum: quia 190
quando tempore hiemali ratione summi frigoris flumina, oleum, aliique liquores, aër, & omnes aliæ res comprimuntur, iuxta hanc sententiam omnia hæc corpora reducuntur ad multò minus spatium quàm habebant tempore æstiuo, & totum illud vacuum, quod erat sparsum per omnia hæc corpora, debet in vnum coniungi, ergo tunc faciet vnam maximam vacuitatem, quæ etiam per hos repugnat, vt ostendit experientia: dum enim plana tabula simul eleuatur ex aquâ, attrahit secum aquam, ne detur per breuissimum tempus vacuum aliquod, & quidem exiguum valdè inter tabulam & aquam; ergo multò minùs patietur natura tempore hiemis magnam illam vacuitatem, quæ ex compressione omnium corporum necessariò debet in vnum coniungi: è contrario autem, quando tempore æstiuo totus aër dilatatur, non videtur manere spatium pro tot vacuitatibus, quot per rarefactionem corporum debent de nouo relinqui. Et vt clariùs per- 191
cipiatur efficacia huius rationis, suppono (quod videtur certum) posse in rerum naturâ absolutè & simpliciter esse aliquando maiorem raritatem quàm anteà; neque enim, si totus mons accendatur, & dilatetur aër, ideò in aliâ parte mundi debet comprimi tantus aër quantus hîc dilatatur, non enim datur causa, à quâ comprimatur alibi ille aër. Ratio à priori est, quia raritas prouenit à calore, densitas verò à frigore: non est autem necessarium, vt si in hoc cubiculo ab igne accenso detur maior calor quàm anteà, eo ipso detur in alterâ parte maius frigus quàm anteà; ergo non quia tunc ex illo calore detur rarefactio, debet alibi dari tanta condensatio ex frigore, poterit ergo aliquando contingere, vt absolutè & simpliciter sit maior nunc rarefactio quàm anteà. Tunc sic argumentor: Anteà, quo tempore cor- 192
pora erant magis densa, non dabantur tot vacuitates per te, post rarefactionem verò maiorem iam dantur plures quàm anteà: rogo ergo, vbi inuenêre sibi locum illæ vacuitates nouæ & plures quàm anteà? non enim esse possunt, nisi vel

aliqua ex antiquis corporibus pereant, quod falsum est, vel magis condensentur, quod est contra suppositionem factam; vel nisi aliqua inuicem penetrentur, quod etiam repugnat. Non ergo potest ea condensatio per has vacuitates explicari.

Huic argumento fortè respondebis, negando suppositum, scilicet posse esse aliquando in rerum naturâ maiorem vel minorem condensationem, dicesque necessariò debere semper esse
193 eamdem. Ad rationem in oppositum respondebis, aërem in eo casu condensari non à frigore, sed ab aliâ causâ: pro quo fortè experientiam adduces, quando scilicet vas aliquod, habens exiguum foramen, aquâ impletur, & per fistulam aër vi quadam intus immittitur, statim aqua illa in altum saltat ex vase illo: cuius rei non potest alia esse causa, quàm aër compressus, qui posteà dum vehementi vi se dilatat, aquam in altum proiicit. Sed contrà, quia hæc solutio solùm est inuenta ad deludendum, est autem omni fundamento destituta: cùm enim calor sit causa naturalis dilatans aërem, quis sibi persuadebit, eum condensandum, quando silua aliqua accenditur, & consequenter aër redditur absolutè calidior. Secundò, hi recurrunt ad aëris raritatem, vbi nihil potest sensibus deprehendi, eò quòd nullo
194 modo aër videatur. Experientia autem adducta facilè explicatur sine condensatione aëris: dico ergo, ideò tunc ab aëre foras vehementer trudi aquam, quia cùm sit positus violentè sub aquâ, ipso naturaliter exigente esse supra, cùm primùm aufertur impedimentum, dum vi naturali vult in altum prodire, trudit foras aquam impedientem. Neque vlla est ratio, cur id ad violentam dilatationem debeat reduci; alioquin etiam teneris dicere, quando ob flammam accensam vicinus aër iuxta tuam sententiam condensatur violentè, statim cùm primùm flamma extinguitur, etiam cum violentia dilatandum, & violentè trusurum vicina corpora; quod falsum omnino est.

Svbsectio Secvnda.

Vera sententia.

195 Dicendvm ergo est cum Ocamo Opusculo de Eucharistiâ, Gabriele in Canone, Lectione 45. Vallesio 4. Physic. textu 84. & in Controuersiis ad tyrones quæst. 27. & multis recentioribus è nostrâ Societate, rarefactionem aquæ fieri per introductionem aliquorum corpusculorum aëris, aut aliorum, de quibus infrà; ratione autem illorum maiorem occupari locum à corpore raro quàm anteà, in condensatione verò foras expelli eiusmodi corpuscula, ideoque minorem locum occupare. Hæc sententia clarissimè explicat maiorem vel minorem rarefactionem, quin aliqua corpora penetrentur aut relinquant vacuum, quæ duo anteà ingerebant summam difficultatem. Probatur autem Primò ab impugnatione aliarum. Secundò, quia ex communi saltem apprehensione condensatio videtur dicere
196 maiorem partium vnionem. Vnde, vt suprà dixi, Angelus qui caret partibus, etiamsi iam maiorem iam minorem locum occupet, non dicitur rarescere aut condensari; atqui maior vnio partium non potest fieri, nisi quatenus expulsis corpusculis extraneis partes illæ magis vniantur. Tertiò ergo eam apertè probo experientiâ, quæ nos docuit, dari rarefactionem & condensationem, vnde eò efficacius est hoc argumentum: quando enim aqua calore bullit, habet quasdam bullas intus aëre plenas, & quò magis bullit, eò sunt maiores; illas autem bullas sensus manifestè percipit, & interiùs esse aërem, ita vt à nullo nisi cæco id negari queat; ergo ea raritas aquæ fit per intromissionem aëris in aquam, vel butyrum, vel liquorem quemcumque alium ita bullientem. Et miror aduersarios aliquos, cùm ibi admittant rigorosam rarefactionem, nõ tamen vidisse ibi manifestè intromitti aërem, & per illum eam rarefactionem fieri. Quòd si hoc viderunt, & notarunt, quomodo posteà dicunt, repugnare fieri rarefactionem per admixtionem corpusculorum? Si tantùm dicerent, in aliquibus casibus non pos- 197
se per corpuscula fieri, possent tolerari: verum, quòd dicant in omni casu id repugnare, non video quâ consequentiâ. Vel dicant mihi hi, qui magnam vim faciunt in eo, quòd si per admixtionem aëris posset fieri rarefactio, sequeretur, vtrem dum inflatur, item folles dum eleuantur seu aperiuntur, rarescere, quod est ridiculum. Dicant ergo mihi, quandoquidem aqua feruens rarescit per has bullas plenas aëre, vacuæ enim esse non possunt (vt ipsi fatentur) quid respondebunt ad instantiam de vtre, & quid de follibus, dum eleuantur seu aperiuntur? sed de hoc paulo inferiùs.

Ex hac tam euidenti experientiâ vlteriùs sic 198
discurro: Quando valdè aqua rarescit, habet magnas illas bullas plenas aëre vel atomis; & quando minùs rarescit, etiam habet alias minores, quas & nos ipsi videmus, & aliquando valdè exiguas; ergo, quando minùs rarescit, habebit alias, ita tamen paruulas, vt à nobis percipi facilè non possint. Probo euidenter consequentiam, quia sicut se habet magna raritas ad magnas bullas, & mediocris ad mediocres, ita minima ad minimas; neque video, quid huic consequentiæ desit, vel quæ inter vnam & alteram assignari possit differentia.

Secundò confirmo idem Antecedens: in omnium sententiâ, caro humana est rara propter poros, & quò magis homo exsiccatur, magis condensatur, quod ad defectum humoris, qui ex carne extrahitur, reducendum esse, nullus vnquam dubitauit; imò nulla est res, in quâ id non contingat, vt discurrenti patebit; vnde è contrario vitrum dicitur valdè densum, non aliam ob causam, nisi quia poros non habet: ergo densitas consistit in carentiâ illorum corpusculorum. Lignum quò plures habet poros, eò est magis ra- 199
rum: lutum condensatur euaporatione aquæ, coria, fructus, &c. Et quidem res mihi videtur non leui consideratione digna, quòd vix sit vllus ex Auctoribus etiam contrariis, qui, quando non agunt de raritate & densitate, non ponant in omnibus ferè rebus istos poros, in aliquibus plures, in aliis pauciores; etiam in ipso ferro admittunt vt ibi sint aliquæ scintillæ ignis; & posteà, quando veniunt ad hanc quæstionem, exclamãt contra nostra corpuscula (quæ aliud nihil sunt, quàm pori pleni aëre vel atomis) & dicunt esse ridicula, imperceptibilia, impossibilia, & quæ non contra illa congerũt? Ego solùm hoc illis respondeo,

ficis licet ponere poros in ferro, cùr non mihi li-
200 cebit in aqua? Et quis negabit mihi multò pau-
ciores poros esse in aquâ congelatâ quàm in fluidâ? Ex diminutione ergo illorum occupat gla-
cies minorem locum quàm aqua soluta, & hæc minorem quàm bulliens, quia hæc plures habet poros. Imò hinc desumo rationem à priori, cur res raræ patiantur se faciliùs ab aliis corporibus permeari, quàm condensatæ. Effunde vinum aut alium liquorem supra aquam condensatam, non permeat. quare? quia non inuenit poros per quos se insinuet, inuenit autem illos in fluidâ, ideò fa-
cilè se insinuat, & paulatim eos ampliùs adhuc dilatat, aër enim & alia corpuscula in eis poris existentia pelluntur faciliùs foras, quàm quando aqua sola est & pura. Video te etiam huius experientiæ rationem ad indissolubilitatem vnionis in aquâ congelatâ posse reducere. verùm hæc ratio statim apertè impugnabitur.

201 Secundò iuxta hanc sententiam clarè ego do rationem à priori, cur calor rarefaciat, & frigus comprimat (quam, qui ad nescio quam qualitatem productam recurrunt, non poterunt reddere) quia calor seiungit inter se partes, & inde dat locum vt intret aër vel atomi; frigus verò magis vnit. Quod confirmo euidenti experientiâ: quando hominis caput rasum aquâ calidâ abluitur, citiùs capilli prodeunt, quàm si frigidâ; & in vniuersum, quia calor aperit poros, quæcumque res quæ calidâ abluitur, redditur capacior vt alia corpora possint eam permeare: at, nisi illa dilatatio fieret per corpuscula, id non posset vllo modo intelligi, quia si res rarior tam est plena quantitate vnità quàm sit densa, tam est impermeabilis quàm densa, quia nulla alia res quanta potest quantitatem penetrare; at quando sunt pori pleni corpusculis, corpuscula ab aquâ vel ab alio subtili corpore facilè expelluntur, & sic dant locum vt corpus rarum permeetur faciliùs quàm
202 densum. Hinc etiam apparet, cur idem calor aliquando per accidens condenset, quando scilicet extrahit humores, qui in eo corpore continebantur, vt ex luto & omni massâ.

Fortasse respondebis his argumentis, quando aqua ita bullit, non rarescere propriè, nec carnem humanam, quâdo ex humoribus intumescit, &c. Sed contrà, quia licet fortè in aquâ, quando tam magnas habet bullas, quia est iam nimia separatio, non dicatur rarescere (quod ad quæstionem de solo nomine pertinet) quando tamen sunt minores, nullus negauit ibi raritatem; tunc autem etiam habet vim argumentum. Prætereà, quod dicis, manum non rarescere quando humore aliquo inflatur, nec densari quando exsiccatur; rogo, quam experientiam habes ad raritatem ponendam, nisi quòd eademmet res iam videtur maior, iam minor?

203 Dices, id esse verum, quando non videntur intrasse aliunde noua corpora. Sed contrà, quæso, vidistine, quando butyrum dissoluitur, non intrasse aërem, sicut quando tumescit manus intrant corpuscula? Sicut ergo non voles credere ea intrare in butyrum & aquam calidam, ita ego nolo credere ea non intrare, & tu teneberis mihi ostendere ea non intrare, quia ego dico aquam non minùs habere poros, quàm carnem humanam: addoque, quia hi sunt aliquando plures, aliquando pauciores, ideò aquam aliquando magis rarescere, aliquando minùs, sicut caro tumescit, inflatur vel rarescit, voca id vt volueris. Iam de re debes mihi positiuè ostendere, ibi non 204
esse tales poros, & dare disparitatem in re, quam certè non inuenies, quia, vt ex te ostendi, in ferro dantur tales pori: imò addo pro quæstione de voce, à nemine negari, carnem humanam rariorē esse in homine pingui, quàm in sicco & phthisico, & in luto omnes ponunt exemplum, dicuntque condensari vel frigore vel calore, vtroque autem casu amittit humorem, & consequenter corpuscula aquea.

Hinc constat, nostram sententiam non esse inuentam ab aliquibus consequenter ad sententiam de punctis finitis, vt malè aliqui putant; sed etiam admissâ Aristotelis sententiâ non posse aliter benè discurri. Vnde hanc nostram sententiam multi Auctores, qui partes & puncta infinita constituunt, expresse docuerunt, vt Ockam, Vallesius, & alij suprà relati: & alij fatentur, esse insuperabilem hanc difficultatem sine his corpusculis. Iam ergo hinc contra eos arguo: Cur ergo ea 205
fugiunt? an quia eos poros non vident? certè in aliis omnibus rebus eos admittunt, cur non benè illis sciunt vti?

SVBSECTIO TERTIA.

Explicantur aliqua in hac sententiâ, quæ in aliis maximam habent difficultatem.

ANTEQVAM videamus, vtrùm argumenta, quæ contra nos obiiciunt, sint difficiliora quàm quod nos contra ipsos fecimus, & appareat, meritóne voluerint magis eam confusam sententiam, quàm hanc nostram claram tueri, Obseruo, in solâ nostrâ sententiâ posse multa valdè difficilia explicari, quæ aduersariis non paruas creant molestias. Primum est, quomodo vnum corpus condensetur independenter ab eo quòd alterum rarefiat, & è contrario vnum rarefiat independenter ab eo quòd alterum condensetur, quod necessariò esse dicendum, suprà ostendi num. 191. In nullâ autem ex contrariis sententiis potest saluari, vt iam probo: quia dicere, si rarescit aër ex flammâ accensâ, statim debere aliud corpus ei æquale tantumdem condensari, videtur omnino falsum; vnde enim, quando intra cubi- 206
culum benè clausum stupa accenditur, & rarescit aër, vbi inquam est corpus quod condensetur? vel à quâ causâ, quandoquidem nullum tunc frigus producitur de nouo; sed in astantibus potiùs minuitur? Idem est è contrario quando extinguitur candela, & similibus. Quòd verò id ab omnibus aliis dicendum sit, ostendo manifestè: nam non potest materia stupæ occupare maiorem locum quàm anteà, nisi vel penetret alia corpora, quod repugnat naturaliter; vel illa corpora eidem locum cedendo, & se coarctando, quod debet fieri per condensationem illorum. Idem est, quando vinum condensatur; tunc enim, quia minorem locum occupat, necessariò relinquit vacuum, nisi alia corpora extendantur magis per rarefactionem ad implendum vacuum illud.

Hoc verò in meâ sententiâ facillimè vitari 207
ostendo: nam v. g. stupa rarescit attrahendo ad se aliquas partes aëris, tunc cetera corpora retinent suam extensionem; nam ab aëre esse aliquid

ablatum quod intret in poros, nec facit aërem remanentem rariorem nec densiorem, sed paulò minorem quàm anteà. Similiter è cõtrario, quando extinguitur ignis, vel condensatur aqua, eæ partes aëris quæ erant inclusæ, adduntur toti aëri, & illum in eadem raritate relinquunt, licet per additionem fiat paulò maior, quod longè aliud est à rarefactione.

Secundò intelligitur in meâ sententiâ, cur vacuum naturaliter repugnet: quia cùm quælibet pars materiæ habeat suum locum adæquatum, non potest minorem occupare prout requiritur ad causandum vacuum, nisi penetret aliam, quod repugnat naturaliter; suprà autem ostendi, aliunde non posse reddi rationem vllam solidam pro repugnantiâ vacui.

208 Tertiò intelligitur clarissimè in meâ sententiâ, quod in aliis omnibus est difficillimum, de quo tamen vix vllus dubitauit, cur scilicet corpora dura, ferrum, lapides, &c. etiamsi ferè ardeant, non tamen rarescunt: si enim rarefactio consistit in solâ maiori occupatione loci, sine amissione vnionis continuatiuæ, quid impediet, quæso, durities (quæ consistit in eo, quòd partes inuicem non separentur) rarefactionem magis, quàm eam non impedit mollities, cùm partes retentâ vnione possent iam plus iam minus spatij occupare; ad hoc enim, si nihil debet inter partem & partem interiici, vt tu vis, quid facit durities, seu retentio vnionum inter partes? In meâ autem sententiâ clarissimè redditur ratio, quia rarefactio non fit nisi dissolutâ inter aliquas partes vnione, & intrantibus, vt dixi, subtilissimis aëris partibus;
209 corpora autem dura, quia non amittunt vnionem, non possunt rarefieri, nisi quando vi nimiâ caloris redditur corpus fluidum; tunc enim, quia facillimè partes inuicem separantur, sunt capaces rarefactionis. Vides, vltra facilitatem sententiæ, quot & quanta alia benè & consequenter in eâ explicentur, quod est manifestum signum veritatis huius sententiæ, quæ ita cohæret cum aliis veritatibus, contra quam nullum contrarium argumentum per se, nec omnia simul possunt vllo modo præponderare, facillimè enim omnia soluuntur.

SVBSECTIO QVARTA.

Obiectiones solutæ.

PRIMA sit: Quia si rarefactio fieret per intromissionem corporum, ergo quando vter inflatur, rarefieret, quod est falsum. Hoc argumentum ostendi suprà debere solui ab his qui eo
210 vtuntur: iam nunc nego sequelam, quia rarefactio consistit in intromissione corpusculorum intra partes anteà vnitas, tollendo earum vnionem & imperceptibiliter, ita vt vix appareat ea discontinuatio; aër autem intromissus in vtrem non interponitur inter partes antè vnitas, quia vnum latus vtris non erat vnitum cum alio: deinde nec fit imperceptibiliter, denique nec fit ratione alicuius qualitatis productæ in vtre, prout requiri ad rarefactionem infrà dicemus. Hinc etiam intelliges, cur spongia non densetur quando comprimitur, nec rarefiat quando dilatatur; quia id non fit amittendo aut acquirendo nouas partium vniones, sed eodem modo quo vter inflatur, ipsa dilatatur.

Secundò arguunt: Quia in oleo liquido v.g. 211
nulla est pars quæ non sit rara, etiam quæ est inter porum & porum; ergo raritas non consistit in intromissione corporum. Nego Antecedens, quia pars carens poris occupat minimum locum quem naturaliter potest, ideoque est tam densa quàm naturaliter potest: vnde nego, omnes partes olei etiam minimas esse raras, quia verò pori sunt frequentissimi simpliciter, totum oleum dicitur rarum. Sed hìc statim excitabunt clamorem, Nulla est ratio, cur potiùs inter aliquas ponantur corpuscula, quàm inter omnes, omnes enim sunt eodem modo dispositæ. Sed contrà, tu admittis ibi poros (siue consistat in eis rarefactio siue non, hoc enim ad præsentes clamores parum conducit) rogo ergo te, Cur hi pori sunt magis in hac parte quàm in illâ? Vel non vides, hos poros esse mera corpuscula? Fortè nomen corpusculi tibi displicet, da illis nomen quod volueris. Ad 212
argumentum ergo primùm nego Antecedens, scilicet, non esse maiorem rationem de hac potiùs quàm de aliâ parte; non enim in omnia puncta æqualis & eodem temporis momento introducitur calor; vnde illæ discontinuantur, in quibus maior vel priùs introducitur calor. Secundò, etiamsi æqualis sit in omnibus calor, non ideò sequitur omnes discontinuandas; sicut, licet omnes partes aquæ feruentis sint æqualiter calidæ, non omnes habent illas paruas bullas quas suprà diximus: nam in ipsâ aqueâ telulâ eius bullæ non sunt aliæ bullæ seu corpuscula, quæ sunt inter telâ superiorem & inferiorẽ: item licet omnes partes vasis æqualiter habeant intemperiem vel frigoris vel caloris, non tamen omnes franguntur, sed duę vel tres, &c. Et in poris res est euidentior (vt dixi) cuius rei multa sunt exempla, in quibus eadem reddenda est ratio, scilicet à Deo vt causâ primâ determinari, quæ puncta discontinuentur quæ verò non.

Quartò arguunt: Quia videmus castaneas & 213
oua, si assentur, frangi, quia condensantur; ergo condensatio non fit in illis per expulsionem corporum, non enim potuerunt ea corpuscula foras egredi, quia cortices impediebant egressum; ergo solùm franguntur, quia post condensationem eædem partes occupant minorem locum, & consequenter causant vacuum; quod, quia natura non patitur, disrumpit cortices, vt ab alio corpore impleatur. Respondeo, eas frangi, quia qualitates igneæ intus productæ foras petunt egredi, ideóque sibi faciunt exitum frangendo cortices castaneæ & oui: quando autem coquuntur, non accipiunt tam calidas & siccas qualitates, quia temperantur ab humiditate & frigiditate aquæ; deinde per ipsum humorem dilatantur pori, ideò non franguntur. Imò ostendo euidenter, non frangi corticem propterea quòd interiùs detur vacuum (vt hi volunt) nam cortex ipse iam fractus (quando nullum est periculum vacui, ab aëre enim ambiente potest statim impleri) si ni- 214
miùm exsiccetur, frangitur, & saltat. Ratio ergo vniuersalis est, quia istæ tales res semper inter se copulantur aliquo corpore humido, quo abscedente rumpuntur: sicut murus sæpè agit rimas, quando vehemens calor illi applicatur, quia per illum extrahitur quidquid ibi corporis humidi erat. Et hinc apparet, cur cortex idem in aquâ, etiamsi incalescat, non tamen frangatur, quia

quia habet corpus humidum. Et hoc nota pro sequenti argumento.

Quintò: Quia vas plenum aquâ, & vndequaque opertum, rumpitur, si aqua intus congeletur; & ratio est, ne detur vacuum intra illud vas: ergo condensatio non fit per expulsionem corpusculorum. Patet, quia ipsa corpuscula expulsa ab aquâ, possent replere illud vacuum, & impedirent vasis fractionem; ergo condensatio in eo consistit, quòd eadem omnino puncta occupent iam minorem locum quàm anteà. Respondent nonnulli, ideò, quando est occlusum vas, 215 frangi, quia priùs congelatur summa pars aquæ, deinde inferior, & cùm per aquam congelatam nequeant sursum ascendere corpuscula inferiora, tandem vas frangitur, vt aliis corpusculis aduenientibus repleatur. Hæc solutio à nonnullis impugnatur, quia incredibile videtur, disrumpendum vas æreum priùs quàm gelu. Sed hac impugnatione reiectâ, quia negabunt aduersarij, id esse incredibile, sic ego solutionem impugno: quia si ea esset ratio cur frangeretur vas, frangeretur etiamsi esset apertum, quia etiam tunc congelatur primò pars superior aquæ, deinde inferior, quibus iam congelatis, licet apertum esset vas, non possent ascendere corpuscula quæ erant infra, & consequenter deberet frangi vas, sicut tu dicebas. Ratio huius impugnationis est, quia vas esse occlusum, impedit quidem ne ab extrinseco adueniant corpuscula, verùm vt descendant & ascendant, quæ sunt intra ipsum vas, non impedit; ergo si in ipso vase sunt sufficientia corpuscula quæ ascendunt ad replendum vacuum, siue vas sit apertum siue occlusum, eodem modo ascendent; ergo eodem modo vel frangetur vel resistet. Ruit ergo prædicta solutio.

216 Aliqui respondent, rumpi vas propter exhalationem aliquam igneam, quæ erat inclusa in aquâ, & quæ, dum aqua nimio frigore constringitur, conatur foras egredi per antiperistasin, vt autem sibi faciat locum, frangit vas occlusum; quando verò est apertum, non illud frangit, sed disrumpit gelu, & per os vasis egreditur foras. Probabilis mihi olim visa est hæc solutio, quæ confirmari potest ex dicendis infrà de antiperistasi, vbi ostendemus, ad præsentiam contrarij, alterum quasi nouas vires acquirere, & vehementiùs operari, ideoque in hieme excitari solere igneas exhalationes; re tamen meliùs considera-
217 tâ, non videtur posse sustineri, Primò, quia si id proueniret ab exhalationibus ascendentibus, sequeretur, quando rumpitur vas, etiam gelu ipsum rumpendum, quia exhalationes illæ non possunt ex parte interiore exire, nisi rumpendo priùs glaciem intra quam sunt; constat autem manifestâ experientiâ, manere totam aquam in formam cantharigram, & congelatam, disrumpi verò solum cantharum, ergo id non prouenit ab exhalationibus. Secundò, quia etiamsi illæ exhalationes ascenderent supra glaciem, cur nõ possent manere in illo spatio vacuo iuxta cantharos? Tertiò, quia si illa aqua iam congelata manens sine exhalationibus iterùm dissoluatur in alio cantharo, non statim acquirit exhalationes igneas; vnde enim illæ venirent tam citò, & tam intempestiuè? si verò rursus congeletur, rursus frangetur aliud vas, ergo non frangitur propter exhalationes igneas.

Respondeo ergo Primò, hoc mihi euidens esse 218
contra Auctores huius argumenti, vas non frangi ad vitandum vacuum. Quòd probo efficaciter Primò, quia in vase pleno butyro raro, vel oleo, & optimè occluso, etiamsi posteà oleum vel butyrum condensetur, non relinquunt vacuum: si enim relinquerent vacuum, rumperetur vas, natura enim ita abhorret vacuum relictum à butyro vel oleo, quàm ab aquâ, & tamen experientiâ constat, non rumpi ea vasa; ergo etiam aqua, licet condensetur, non relinquet vacuum. Secundò efficaciùs id ostendo, quia aqua non congelatur tota simul, sed priùs pars superior, deinde inferior; ex quo sic euidenter argumentor: Etiamsi congelentur superiores partes aquæ, non frangitur vas, quoadusque tota aqua congelatur (vt experientiâ constat) ergo quando frangitur, non est ad vitandum vacuum. Patet euidenter consequentia: quia si hæc esset causa, cùm primùm congelatur prima superficies, statim frangeretur 219
vas, quia etiam illa prima superficies condensata occuparet minorem locum, & consequenter relinqueret vacuum, licet non tantum quantum si tota aqua congelaretur; natura autem nec minimum vacuum patitur. Quomodo autem passa fuisset duorum digitorum vacuum, quod præcessit ante vasis disruptionem? decrescit enim aliquando aqua & ad tres digitos; ergo statim vt prima vel secunda superficies superior, vbi incipit gelu, congelaretur, deberet vas frangi, & tota aqua effundi, si ruptum fuisset propter quod tamen vacuum est contra experientiam: ergo non frangitur ad vitandũ vacuum, ergo puncta materiæ non occupant minus spatium densa quàm rara. Vnde non possum non mirari, tot Auctores hæc non aduertisse; & tam seriò hoc argumento specialiter contra nos vsos fuisse.

Respondeo Secundò, experientiâ constare, et- 220
iam vas apertum, imò testaceam peluim plenam aquâ, si congeletur, frangi, & perinde frangi vas apertum quàm tectum; ergo id non prouenit ex vacuo ab aquâ relicto, quia illud tunc possit benè impleri ab aëre ambiente.

Tertiò respondeo, frangi tunc vas testaceum ex eo, quòd nimio frigore partes ipsius inter se vniãtur, & necessariò faciant rimas: quia verò non est res fluida sed solida, statim frangitur, sicut vitrum solet frangi in igne, sicut partes etiam testæ in igne franguntur. Vide quæ paulò antè dixi in responsione quarti argumenti.

Sed replicabis: Ergo eodem modo deberet frangi olla testacea, etiamsi vacua maneret de nocte in hieme. Respondeo Primò, sæpè talia vasa etiam vacua ex nimio frigore frangi, sicut & ob idem fiunt in muris rimæ, & arbores finduntur, & in tectis ex scandulis clauiculi foras salta- 221
re aliquando contingit, compressis nimio frigore ipsis scandulis, & tamen ibi non est aqua inclusa. Secundò negatur consequentia, quia aër solus nõ est tam vehementer operatiuus frigoris in aliis materiis quàm in aquâ: vnde homo poterit ventum valdè frigidum pati, & non poterit aquam frigidam. quia ergo, quando vas habet aquam congelatam, ab eâ vehementiùs patitur quàm ab aëre, ideò à solo aëre non disrumpitur, sic verò à gelu intra ipsam incluso.

Dices, Aër ipse causat illud frigus in aquâ, ergo poterit & in testâ. Nego consequentiam, quia

etiamsi aqua congeletur ab aëre, est tamen magis frigefactiua quàm aër, sicut licet ferrum candescat ab igne, magis tamen comburit quàm ignis.

222 Sextò obiicies: Etiam ipsa corpuscula sunt capacia raritatis & densitatis, rogo an in illorum rarefactione alia corpuscula interiiciantur, an non. Si primum, abibitur in infinitum, quia de singulis eadem instituitur quæstio: si verò rarescunt sine aliis, idem dici potest de aquâ & aliis corpusculis. Hoc argumentum caret difficultate, & Primò ad hominem illud retorqueo: Aqua vel lignum habet poros: rogo, Ea corpuscula quæ sunt in eis poris, habent alios poros, an non? Si non habent, ego dicam, nec esse rara, sed omnino densa, quia densum est quod caret poris, vt sæpè dixi: si habeat, rogo, ex quâ materiâ, & an abeatur in infinitum. Quod tu responderis, dicam & ego, quia ea raritas est formaliter à poris. Respondeo ergo Primò, aliquando esse tam exigua illa corpuscula, vt ipsa non sint raritatis capacia.

Dices, Sunt corruptibilia, & extensa, ergo sunt capacia raritatis. Malum argumentum, sensationes materiales sunt corruptibiles, & tamen propriè non rarescunt: cognitio & amor est corruptibilis, numquid pinguescit vel macrescit amor? nónne corruptibilitas & extensio stare possunt sine raritate?

223 Secundò respondeo, posse esse capacia raritatis ab aliis corpusculis, v. g. tenues partes aëris ab atomis, has à minutioribus partibus aëris, quousque ad tam exiguas partes venias, quæ naturaliter non possint discontinuari, nec possunt retentâ vnione ex aliquo latere inter se admittere aliud corpusculum etiam indiuisibile, quo prorsus cessat totus tuus processus in infinitum.

Vltimò argues: Vitrea cucurbita, vulgò *ventosa*, attrahit carnem hominis ad se, quando ignis intra illam accensus extinguitur, quia aër est magis densus quàm ignis, ideò materia ignis in aërem conuersa minorem occupat locum quàm anteà, caro autem eleuatur ad replendum vacuum. Sed nego experientiæ rationem, quod inde euidenter suadeo, quia si caro eleuaretur ad replen-
224 dum vacuum, eleuaretur in instanti (natura enim nec per vnicum instans patitur vacuum) vel frangeretur statim ampulla: videmus autem, ferè intra medium quadrantem non eleuari penitus carnem; ideò ibi diu relinquuntur tales cucurbitæ; ergo non eleuatur ad replendum vacuum, ortum ex eo quòd aër densus minorem occupet locum quàm ignis, sed præcisè ideò eleuatur, quia per calorem aperti sunt pori carnis, & per illos intromittitur aër paulatim, & caro ascendit ad replendum locum relictum ab aëre. Vbi iterùm miror, ab his, qui hac experientiâ contra nos vtuntur, numquam eam rationem, quam contra illos attuli, fuisse consideratam.

SVBSECTIO QVINTA.

Aliqua dubiola soluta.

ROGABIS Primò, quæ corpuscula sint quæ intromittûtur in corpora rara. Respondeo, vix posse certam regulam tradi; nihilominùs dico, in aëre misceri atomos, exhalationes terreas, vapores; in aquâ, aërem, atomos; in lignis quæ humiditate rarescunt, introduci vapores humidos & aqueos, in igne aërem & vapores; qui licet magnum recipiant calorem, non ideò in ignem conuertuntur statim, vt patet in aquâ feruenti, quæ tamen non conuertitur in ignẽ. Et ratio est, quia habent alias 225
qualitates, ratione quarum resistunt igni etiam in minimâ materiâ, sicut puluiſculus adamantis, vel auri, vel argenti, ratione cuius resistunt; ideoq; ignis semper habet intra se plurima corpuscula, ratione quorum est rarus; esset autem densus, si omnino illis careret.

Sed dices: Aqua naturâ suâ petit carere corpusculis extraneis, ergo & petit esse densa, ergo & congelata, quod videtur absurdum; ergo dicendũ est, densitatem illius nõ consistere in carentiâ corpusculorum. Respondeo, difficultatem esse communem communi sententiæ, asserenti aquam esse frigidam in summo, ratione cuius frigiditatis exigitur congelatio & condensatio, siue hæc consistat in corpusculis, siue in quocumque alio. Secundò 226
respondeo, non esse idem raritatem & subtilitatẽ, neq; densitatẽ & congelationem; subtilitas enim consistit in eo, quòd partes facilè separentur inter se, quod rectè possunt habere etiamsi careant corpusculis extraneis, & inter se omnino proximæ sint, & densæ. Imò ita contingere in aëre, docet communis sententia: est enim maximè subtilis, vt patet experientiâ, & maximè densus, quia intra se exigua & pauca habet corpuscula, præsertim quãdo purus est. Item densitas consistit in eo, quòd partes occupent exiguum locum, quod subtilitati non repugnat; congelatio verò seu durities in eo, quòd difficulter cedant partes, & ab inuicem separentur, quod diuersum est à densitate. vnde dico, non quia aqua petat naturâ suâ esse densa, ideò debere esse congelata. Vtrùm autem naturâ suâ congelata sit vel liquida, dicam infrà in libris de Generatione, dum de eius frigiditate egero.

Rogabis Secundò, vtrùm raritas & densitas cõ- 227
sistant in ipsa extensione maiori aut minori corporum, an verò in qualitatibus à quibus illa extensio oritur. Quæstio est de nomine: probabilius censeo, consistere in ipsâ extensione: quia quando videmus corpus densum, id est occupans exiguum locum, inquirimus quę sit causa illius densitatis; ergo nomine *densitatis* non ipsam causam & radicem, sed corporum compressionem intelligimus.

Dices, Corpus Christi in Eucharistiâ est actu rarum, & tamen ibi nõ habet extensionem actualem, sed solùm exigentiam illius; ergo hæc exigentia, non verò ipsa actualis extensio erit raritas. Respondeo negando, Corpus Christi in Eucharistiâ esse actu rarum; nam rarum definitur ab Aristotele & ab omnibus, quod sub magnis dimensionibus parum habet materiæ: sed Christi Corpus in Eucharistiâ non habet parum materiæ sub magnis dimensionibus, ergo non est actu rarum; ergo raritas consistit in ipsâ actuali extensione, solùm ergo ibi actu petit esse rarum.

Rogabis tandem, quæ sit radix densitatis & ra- 228
ritatis. Respondeo, esse primas qualitates; calorem causam raritatis, frigus densitatis, humiditatẽ raritatis, siccitatem densitatis, si hæ duæ vltimę qualitates sint, de quo infrà: nec est necessarium, ponere aliquam qualitatem ab his distinctam, à quâ raritas vel densitas oriatur.

Sed quæ erit ratio, cur ignis condenset lutum, rare-

rarefaciat verò oleum, butyrum, &c? Respondeo facilè in nostrâ sententiâ, quia lutum erat rarum per admixtionem aquæ, quę exsiccatur ab igne, & per expulsionem illius manet lutum densum; butyrum autem vel oleum erant densa per expulsionem corporum à se ratione frigoris electorum, per calorem autem aperiuntur eorum pori, recipiuntque in se aërem, & alia corpuscula quibus rarefiunt.

SECTIO XI.

De velocitate & tarditate motus.

229 ALIVD argumentum contra Zenonis sententiam desumitur ex velocitate & tarditate motus: Quia si continuum componeretur ex solis punctis finitis, tantumdem spatij percurreret à testudine deambulante per dimidiam horam, quantum ab aquilâ per eamdem dimidiam volante, quod falsum est. Sequela probatur, quia in vnico instanti non potest magis minúsve percurri quàm vnum punctum spatij; ergo, si dimidia hora constat 30. instantibus v. g. tam aquila quàm testudo nec plus nec minus quàm 30. puncta spatij intra illam mediam horam percurrent.

Ego primùm arbitror hoc argumentum eamdem vim habere contra Aristotelem: quia licet puncta & partes sint infinitæ, in quolibet puncto aut parte non poterit minùs magisque percurri quàm vnum punctum aut vna pars spatij; ergo si per tot partes & instantia temporis, licet infinita, mouetur testudo ac aquila, tot acquirit partes spatij testudo ac aquila, infinitas autem partium habebit se per accidens ad præsentem difficultatem.

230 Confirmatur: suprà efficaciter ostendimus, non posse continuum, etiamsi constet infinitis partibus, nunc occupare maiorem locum quàm anteà, nisi vel anteà duæ partes essent in eodem loco, vel nunc vna ponatur in duplici loco, quorũ vtrumque repugnat naturaliter. Ita etiam in præsenti discimus, esse impossibile, vt in eodem tempore aquila fiat præsens pluribus partibus loci quàm testudo, nisi vel aquila sit præsens duplici spatio, quod repugnat; aut testudo in qualibet parte spatij maneat per duplicem partem temporis, interrumpendo motum per aliquas morulas, quod verum censeo, vt statim dicam. Verùm si id docetur in sententiâ Aristotelicâ, poterit etiam in

231 Zenonisticâ. Vrgeo hoc vlteriùs: pono enim infinitas partes cum punctis tamquam vnionibus, designa mihi quamcumque vnionem determinatam, v. g. A. illa non occupat nisi spatium indiuisibile, quia per te res materialis non potest occupare maius spatium quàm ipsa sit. Quando ergo illa mouetur, probo euidenter, quòd non possit immediatè nisi indiuisibile spatij acquirere, quia simul non potest esse in spatio diuisibili; ergo illa si moueatur nec plus nec minus acquirit, quàm indiuisibile; ergo si altera vnio in alio æquali corpore illi correspondens acquisiuit successiuè plura puncta quàm hæc, necessarium est vt pluries fuerit mota quàm hæc, quia singulis vicibus idem ambæ de nouo acquirunt. quòd si pluries fuit mota intra idem tempus, ergo altera aliquando quieuit.

232 Dices, Non quieuit, sed tardiùs mota est. Contrà, hæc sunt verba: ego enim ostendo, illam tarditatem in re solùm consistere posse in eis morulis, quia punctum, dum primò mouetur, non potest nec magis nec minus, quàm punctum spatij, acquirere; ergo ea tarditas in eo puncto vnionis non potest explicari, nisi per morulas.

Nec euades, si dicas, eam vnionem esse modum. Siue enim res sit siue modus, illa est in loco, & mouetur; ergo perinde fit in eâ argumentum ac in ceteris. Nec euadunt etiam, qui puncta & partes ponunt, quia eodem modo in illis punctis argumentum fit. Denique nisi obtenebrando rem terminis, ex se videtur manifestum, non posse eam maiorem velocitatem vel tarditatem per partium infinitatem magis quàm in punctis finitis explicari.

Igitur acquiesco Galeno lib. 1. de Dignoscendis pulsibus cap. 1. Vallesio lib. 3. Controu. Medic. cap. 8. & recentioribus communiter, qui licet sententiam Aristotelis de continuo defendant, arbitrantur tamen meritò, in eo differre motum velocem à tardo, quòd hic interrumpitur per nonnullas morulas, velox autem non discontinuatur. Vnde licet in vnico instanti nec aquila nec testudo possint acquirere de nouo, nisi vnicum punctum spatij, tamen in dimidiâ horâ plus acquirit aquila quàm testudo, quia hæc non mouetur, nisi per sex aut octo instantia illius dimidiæ horæ, aquila verò mouebitur per triginta. quò igitur plures dantur in motu morulæ, eò est tardior; quò pauciores, eò velocior: si autem nullæ dentur, erit summè velox. 233

Aduerte, teneri defendere hanc sententiam etiam eos qui admittunt puncta inflata, ad præsentem enim quæstionem impertinens est ea inflatio: neque enim quia velociùs moueatur aquila, quàm bos, in dimidiâ horâ, puncta aquilæ magis inflantur aut constringuntur; ergo illam occupare magis spatij, non prouenit ex eo, quòd magis extendantur eius partes, sed ex eo quòd minùs morentur. Quod notaui, vt videas eam inflationem punctorum non esse sufficientem ad 234
soluendum difficillimum omnium argumentum, contra puncta non inflata ex hac tarditate & velocitate motus efficiendum statim, quod fusiùs suprà ostendi à num. 166.

Primò obiiciunt aliqui contra has morulas, Quia numquam illas experimur. Pro quo supponunt, motum aquilæ quantumuis velocem, esse propè infinitè tardiorem motu Solis aut Saturni; ergo motus aquilæ habet admixtas plurimas morulas. quis autem videns aquilam volantem, potest cognoscere illam morari? imò neque id poterit affirmari in cursu hominis, qui tardior multò est volatu aquilæ; ergo tarditas motus non consistit in morulis. Respondeo, etiamsi morulæ plurimæ sint, esse tamen minutissimas, ideoque non posse percipi: sicut è contrario quando motus est minutissimus, vix percipitur, vt patet in motu indicis horologij, & in motu solaris radij. Secundò dico, quietem non ita immutare sen- 235
sum sicut immutat motus, ideoque non ita percipi morulas, sicut motum. Tandem dico, nihil aliud esse morulas percipere, quàm percipere, motum non esse ita velocem, sicut percipere corpus esse ibi, est videre vbicationem, etiamsi homo non putet se videre accidens, aut modum aliquè distinctum ab ipso colore: sæpè enim in his rebus sensus ratione corrigendi sunt. Adde, neque

ab

ab vllis posse tarditatem motus aliunde explicari, vt suprà ostendi.

Secundò obiiciunt: Quia lapis ingens descendens ad centrum non habet motum summè velocem, cum maiori enim velocitate mouetur Sol, & tamen lapis ille nullas habet morulas in motu; ergo huius minor velocitas non potest desumi ex
236 morulis. Probatur Minor, quia lapis ille non habet à quo retardetur, imò semper à propriâ grauitate deorsum impellitur, ergo numquam immoratur. Retorqueo Primò argumentum, quia papyrus, pluma, & similes res graues etiam impelluntur à propriâ grauitate deorsum, & tamen videmus eas aliquantum in aëre detineri; ergo non quia propria grauitas lapidis impellat eum deorsum, non poterit immorari aliquantulùm.

Posset quis respondere, detineri ab aëre, qui cùm sit corpus quod debet diuidi vt lapis descendat, dum resistit diuisioni, retardat descensum lapidis, licet non ita, ac retardat descensum calami aut papyri, quia non habent tantâ grauitatem
237 quantam lapis. Hæc tamen solutio à me dari non potest: ostendam enim Disputat. vltimâ de Generatione, Sectione 5. Subsectione 3. omnia grauia, etiam inæqualia, lapidem v. g. exiguum, & integrum molarem, æquè velociter cadere: inde inferam, aërem esse talis naturæ, vt nullo modo resistat diuisioni. Respondendum ergo est, etiamsi aër non resistat grauitati lapidis, illum non descendere summâ cum velocitate, quia non habet summam virtutem locomotiuam etiam ad suum centrum, ergo non mouebitur summè velociter: sicut non volat deorsum tam velociter ciconia, etiamsi grauior sit quàm columba aut alia auis leuior, quia non habet tantam pernicitatem. Ita licet non sit à quo retardetur motus deorsum, nihilominùs propter defectum in virtute motiuâ, non summâ cum velocitate descendit lapis ille deorsum. Et qui hoc exemplo vsus est, potuisset illud in exiguâ pilâ ponere, quia hæc tam citò descendit ac magnus ille Auctoris lapis. Quòd si roges, cur potiùs in hac parte quàm in illâ detineatur, cùm vtrobique sit eadem grauitas lapidis & resistentia aëris; facilè respondeo,
238 Primò, difficultatem esse communem: quia ignis, dum calefacit passum, non continuò introducit calorem (vt ostendemus infrà) sed aliquando cessat, & aliquando operatur: item papyrus leuis descendens ex alto, aliquando immoratur, etsi breuissimè, aliquando descendit: item dum lapis per aquam descendit in centrum, aliquando immoratur, vt ad oculum patet; cur ergo potiùs hîc quàm illic, cùm vtrobique sit eadem grauitas lapidis, & resistentia aquæ? Respondeo, sicuti in simili diximus suprà, dum frangitur vas ratione intemperiei, ad Deum pertinere determinationem indiuiduorum, & consequenter quâ parte immoretur lapis qui ex se petit immorari in aliquâ, eò quòd habet limitatam virtutem: vtrùm autem in hac vel illâ, pertinet ad Deum. Quod & ipsi aduersarij fateri tenentur, cùm nequeant tarditatem motus nisi per has morulas explicare. Et in exemplis suprà positis de plumâ & papyro, quæ manifestè aliquando hærent, res est manifesta.

239 Tertiò obiiciunt, & difficiliùs: Quia si in motu darentur eiusmodi morulæ, sequeretur, quando rota mouetur circulariter, partes interiores illius, quæ tardiùs mouentur quàm exteriores, immorari aliquando saltem in vnico instanti, dum exteriores mouentur; vnde vlteriùs fieret, omnes partes rotæ discontinuandas inter se, quod apertè falsum est. Pro secundæ sequelæ probatione pone in circulo interiori puncta A & B vnita, & supra ipsa in circulo exteriori immediato quatuor alia C. D. E & F ita vt C. D. sint vnita cum A; E autem & F. cum B. tunc sic argumentor: Quando circulus exterior mouetur, E transit ad locum vbi erat D. ergo vnitur cum puncto, cui priùs vniebatur D. in lineâ inferiori, quæ tunc non fuerat mota, D autem vniebatur cum C; ergo iam A vnitur cum E cum quo anteà non vniebatur, & punctum C, quod se mouit vlteriùs quie- 240
scente A, consequenter non vnietur cum illo ampliùs, & perpetuò in eo motu fiet vnionum destructio & productio: immotis enim interioribus punctis, si exteriora mutent locum, & vnum transeat ad locum alterius, necessarium est, vt aliter distent ab interioribus quàm anteà, & consequenter vt non vniantur cum interioribus sicut anteà.

Hoc argumento pressi nonnulli dixerunt, rotam discontinuari, dum mouetur. Sed inde falsitatis conuincuntur apertè, quia si à centro rotæ ad circumferentiam illius efficiamus aliquam lineam, quantumuis rota moueatur, semper linea illa manebit recta; ergo non sunt discontinuata puncta, supra quæ facta est. Suprà ostendi, in omni sententiâ de compositione continui hoc argumentum habere eamdem vim, quia non possunt explicari motus velociores & tardiores in vllâ sententiâ sine morulis: nunc autem in rotâ idem specialiter ostendo; nam centrum rotæ non mouetur, quando rota circulariter mouetur. vide 241
ergo quâ ratione possit vnum punctum rotæ lapideæ quiescere, & aliud illi vnitum moueri, quin discontinuentur.

Dices, Quia puncta illa mouentur supra ipsum punctum centri, vnde semper manent iuxta. Benè, idem ergo dic de aliis, scilicet ideò puncta circuli exterioris moueri, immotis punctis interioris circuli, quia illa mouentur supra & circum interiora. Video, hæc adhuc vrgeri argumento suprà facto, quod à nemine vidi solutum, sed nec illud soluere præsumo: cùm autem commune sit omnibus sententiis de continui compositione, non est cur propter illud aliquis à propriâ sententiâ discedat.

SECTIO XII.

De inceptione & desitione rerum permanentium & successiuarum.

MIRVM est quæ in præsenti dixerint aliqui, & quâ obscuritate non obtenebrauerint rem facillimam. Duos assignant modos incipiendi, & duos desinendi. Vnus incipiendi est 241
per *primum sui esse*, alius *per vltimum sui non esse*; desinendi verò alius est *per vltimum sui esse*, alius *per primum sui non esse*. Duo ex his modis sunt intrinseci rei, scilicet incipere per *primum sui esse*, & desinere per *vltimum sui esse*; quia tam primum instans quo incipit, quàm vltimum quo durat,

durat, intrinsecè pertinent ad durationem, eamq; componunt. Alij duo sunt extrinseci, quia *vltimum non-esse* & *primum non-esse* sunt extra durationem rei, quia sunt ea instantia, quæ vel immediatè præcedunt vel subsequuntur esse rei. Hæc doctrina potest aliis terminis communioribus & clarioribus explicari, ita vt *primum esse* rei & *vltimum esse* illius sint duo instantia in quibus inclusiuè durat res, *vltimum* autem *non-esse* & *primum non-esse* sint duo instantia exclusiua illius durationis.

243 His positis, acriter multi inter se digladiantur, dum explicant, quibus rebus conueniant prædicti modi incipiendi & desinendi: quâ in re vix duo inter se omnino conueniunt, vt vel inde liceat colligere huius doctrinæ difficultatem. Dicunt ergo nonnulli, entia successiua v.g. motum desinere per primum sui non esse, & incipere per vltimum sui non esse, non verò intrinsecè siue per primum sui esse, & vltimum sui esse. Rationem reddunt, quia licet verum sit dicere, *nunc non est motus, & immediatè pòst hoc erit* vel *immediatè anteà fuit*, non tamen est verum dicere, *nunc primò est motus*, vel *nunc vltimò est motus*: quia si id verum esset, inciperet & desineret totus simul, quod repugnat. entia verò permanentia, quæ tota simul producuntur, vt Angelus, anima, &c. dicunt incipere per primum sui esse, & desinere per vltimum sui esse. 244 Hæc illi. Sed hæc doctrina potest facilè falsitatis conuinci: & quidem entia successiua incipere etiam per primum sui esse, probo euidenter ex ipsorum doctrinâ: dicunt enim, hoc quod est incipere per vltimum sui non esse, consistere in eo, quòd verum sit dicere, *nunc non est motus, immediatè tamen pòst nunc erit*. Vnde infero, ergo est verum dicere, *immediatè pòst nunc erit*, ergo aliquando immediatè pòst erit verum dicere, iam de præsenti *nunc est* & immediatè anteà non fuit, quod est incipere per primum sui esse. Probo sequelam ex Aristotele benè docente, omnem propositionem vel de præterito vel de futuro resolui per suam de inesse, id est, de præsenti: neque enim potest dici, *Petrus fuit*, nisi aliquando potuerit dici *Petrus est*; ergo si nunc 245 potest dici *motus non est, erit tamen immediatè pòst hoc*, poterit postea dici, *nunc est motus, & immediatè ante non fuit*, quia hæc est propositio æquipollens priori, mutatâ tantùm futuritione in actualem existentiam; ergo etiam motus incipit per primum sui esse. Idem argumentum potest fieri, mutatis terminis, ad probandum, motum desinere per vltimum sui esse; item ad probandum, res permanentes incipere etiam per vltimum sui non-esse. Si enim verum est, *nunc est Angelus, & immediatè antè non fuit*, ergo immediatè anteà potuit de eo dici, *nunc non est Angelus, & immediatè pòst erit*, quod est incipere per vltimum sui non-esse, quia non potest esse de præsenti vera propositio affirmans præteritionem, si numquam ea præteritio, seu res quæ dicitur præterita, potuit de præsenti affirmari, vt lumine naturæ notum est. Quòd si dicas, non dari postea instans immediatum, in quo verum sit id di- 246 cere; Contrà Primò, ergo nec anteà potuit verè dici, *immediatè pòst erit verum dicere, nunc est motus*; quia si erit verum dicere, *nunc est & immediatè pòst hoc*, ergo sequetur tale nunc in quo id verè dicatur, alias ponis vnam propositionem de futuro, affirmantem futurum id quod numquam erit, & tamen eam dicis esse veram, quod est valdè mirabile.

Secundò impugno eam doctrinam, quia ex illâ sequitur, res permanentes incipere & non incipere per primum sui esse: pone enim formam cadaueris equini, vel ligni & ignis (si cadauerica regetur:) hæ formæ sunt permanentes, ergo & ignea desinit per vltimum sui esse, & lignea incipit per primum sui esse; ergo dantur duo instantia immediata, vnum post aliud, quo corruit tota doctrina quam impugno circa inceptionem. Vel si non dantur talia instantia immediata, malè dicis, res permanentes intrinsecè incipere, & desinere.

Tertiò potest impugnari ea doctrina, quia sicut forma equi v.g. est permanens, ita & eius carentia; ergo sicut incipit forma equi per primum sui esse, ita etiam eius carentia debet incipere per primum sui esse; primum autem esse carentiæ, est 247 primum non esse formæ, ergo etiam res permanentes desinunt per primum sui non esse (idem argumentū fit in successiuis, & earum carentiis.) Vnde rursus inferuntur ibi duo instantia immediata, vnum post aliud.

Prætereà dari instantia immediata, ostenditur ad hominem contra eos, qui Angeli vbicationem ponūt omnino indiuisibilem. Quando enim Angelus cōtinuò mouetur, in horum sententiâ numquam quiescit, abominantur enim hi morulas in motu, ergo acquirit perpetuò vnam vbicationem totalem distinctam ab aliâ (hîc non possiunt ad partes vbicationis proportionales recurrere) ergo acquisiuit perpetuò nouas vbicationes, in quarum qualibet solùm durauit per vnicum instans: quia si ampliùs durasset, iam fuisset morula, ergo fuerunt ibi instantia sibi continua, imò de facto fuere productæ ibi infinitæ vbicationes totales distinctæ & determinatæ, quod est valdè magnū absurdum, & ab ipsis meritò passim alibi negatur. Et certè hoc argumentum contra prædictos Auctores euidentissimum est.

Propter hæc aliqui dixere, non esse verum vni- 248 uersaliter, omnes res permanentes incipere & desinere extrinsecè, sed quando vna res incipit intrinsecè per primum sui esse, tunc contrarium illius debere desinere extrinsecè: ideò dicunt, quia forma hominis incipit intrinsecè, forma embryonis debet desinere extrinsecè. Sed hi, licet euaderent hoc secundum argumentum, tamen primum, quod suprà fecimus, non effugiūt: quia si de præsenti est verū dicere, *nunc non est embryo, & immediatè antè fuit*, ergo præcessit aliquod immediatum in quo potuit de præsenti dici *nunc est embryo, & immediatè pòst non erit*. Consequentia suprà probata est ex Aristotele, & iam ampliùs vrgetur, quia si instans habet aliquod sibi immediatum, de quo possit verè dici, *& immediatè antè* 249 *fuit*, ergo est aliquid quod habet tamquā sibi immediatum ipsum instans, repugnat enim me esse immediatum alicui, & illū aliquem non esse immediatum mihi, ergo fuit aliquid immediatum instanti; ergo quando illud extitit, fuit verum de præsenti, *nunc est embryo*, & *immediatè pòst non erit*, sicut posteà de præsenti verum est, *immediatè antè fuit, & nunc non est*, siue illud *immediatè antè* significet partem, siue instans: quia eo modo quo est immediatum, debuit habuisse veritatem

tem de præsenti, sicut eam habet de præterito. Secundò ratione etiam hi impugnantur: quia non potuit immediatè præcessisse res diuisibilis, nam vt talis dicit vnum post aliud; id autem quod est post, non est immediatum instanti quod ante alteram partem fuerat. Sed de hoc egi suprà.

250 Recentiores aliqui, hanc doctrinam vniuersaliter defendentes, hanc reddunt rationem proclivi, valdè tamen obscurè loquuntur; quia si calor desineret esse extrinsecè, sequeretur, in eodem instanti nec esse calorem nec frigus, eo scilicet instanti quo verum est dicere, *nunc est frigus, & immediate post non erit*. Verùm fateor me id non intelligere: quomodo enim est verum dicere, non esse calorem neque frigus in eo instanti, in quo est verum dicere, *nunc est frigus?* si enim est frigus, ergo non est carentia frigoris & caloris. Displicet etiam, quòd dicant, calorem non incipere intrinsecè: cur enim calor non incipiet intrinsecè magis quàm desinat intrinsecè? si enim illius partes excludunt eam inceptionem intrinsecam, quia non incipit totus simul, etiam impediet ne desinat intrinsecè, quia non desinit totus simul, nec magis incipit per partes, quàm per eas desinit.

251 Dicent fortè, ideò eum incipere extrinsecè, quia eius contrarium desinit intrinsecè. Sed de hoc est quæstio, cur contrarium, quod etiam habet partes, desinat intrinsecè.

Dicent fortè rursus, ne duo instantia sint vnum post aliud. Sed hoc arguens contendit. Deinde, transeat hoc, cur ergo magis adstruis inceptionem extrinsecam, quàm desitionem? nam in ordine ad tuum intentum idem erit, si è contrario dicas, incipere calorem intrinsecè, & desinere extrinsecè; ergo cuilibet pro libitu licitum erit mutare hos ordines, quo nihil absurdius.

Deinde addunt iidem: quæ desinunt secundùm se totas, desinere intrinsecè, ex quo ego sic infero: Ergo forma embryonis, quæ secundùm se tota desinit, desinet intrinsecè; & forma rationalis, quæ secundùm se tota incipit, etiam incipiet intrinsecè, licet inter se sint contrariæ, ergo non est verum, quando vnum contrarium inci-
252 pit intrinsecè, aliud incipere extrinsecè. Nec euaditur, etsi dicatur, has formas substantiales non esse propriè contrarias; non, inquam, euaditur, nam quoad expulsionem eodem modo se habent, ac si essent contrariæ.

Tandem multò magis displicet, quod iidem notant pro materiâ de Sacramentis, scilicet, per vltimum punctum, quod est primum non-esse Sacramenti, posse mediâ entitate physicâ Sacramenti physicè gratiam causari. Displicet inquam: si enim tunc verum est, iam non esse Sacramenta, tam non poterunt Sacramenta tunc causare physicè, quàm canis primo instanti, quo non est, non potest mordere, prout isti fidem alibi argumentantur contra Thomistas, aientes, res
253 in primo sui non-esse posse physicè operari. Fortè hi in aliquo alio sensu loquuntur. Hæc tamen propositio, vt sonat, est illorum sententia, *quando res primo non est, potest adhuc physicè causare*. nec Thomistæ amplius aliquid volunt: nam quando secundò res non est, expressè etiam ipsi Thomistæ negant, sicut & hi recentiores.

Alij tandem dicunt, omnia intrinsecè incipere & desinere. Sed hi clariùs ponunt vnum instans immediatum alteri illud, quod est intrinsecè vltimum formæ equi, & alterum quod est primum formæ caudaueritæ. Respondent tamen, sicuti duæ partes asseris se tangunt secundùm superficiem indiuisibilem exteriùs, interiùs tamen semper est diuisibilis, ita duas partes temporis se tangere secundùm indiuisibile, ipsas tamen esse diuisibiles. Sed hi refutati sunt num. 97. vbi ostendi, ibi esse distinctionem realem inter ea in quibus fit tactus, & ea in quibus non fit, seu vt ipsi dicunt, inter ea quæ *vt quo* tanguntur, & ea quæ *vt quo* non tanguntur, quod ex contradictione horum prædicatorum ibi ostendi. Secundò, quia hi docent, Deum successiuè vnum Angelum post alium sine interruptione posse producere, ergo solùm ponunt continenter instantia, vnum post aliud; in quolibet enim Angelus vnus producitur, & nihil interiacet, ergo dantur in tempore sola instantia vnum post aliud. 254

Ego fateor, non occurrere mihi solutionem aut viam quâ difficultatem hanc in Aristotelis sententiâ declarem, sicut suprà dixi, nec pro argumento de motu rotæ occurrere, in sententiâ verò Zenonis res est facilis, vt iam ostendo. Dicendum enim est, omnes res incipere extrinsecè per vltimum sui non-esse, & etiam intrinsecè per primum sui esse; item desinere intrinsecè per vl- 255
timum sui esse, & extrinsecè per primum sui non-esse: sicut linea & habet vltimum sui non-esse, id est punctum quod est immediatè ante ipsam; & primum sui esse, id est primum punctum quo componitur: item habet primum sui non-esse, id est, punctum quod est immediatè post ipsam; & habet vltimum sui esse, id est, punctum vltimò eam complens. quæ omnia in sententiâ Zenonis facillima sunt. Et ratio à priori est, quia ad primum esse antecedit non-esse, & vltimum, quia non-esse pænultimum non est immediatum primo esse; item vltimo non-esse non potest immediatè sequi nisi primum esse, & ad vltimum esse non potest sequi immediatè nisi primum non-esse; ergo omnes res debent incipere & desinere prædictis modis, nec possunt per vnum incipere & desinere, quin per aliud.

Neque hinc sequitur, motum incipere & de- 256
sinere totum simul, vt obiiciebant aduersarij; solùm enim incipit per puncta, quæ proprie non sunt motus, sed partes motus, ideoque dixi suprà, motum secundùm se totum non posse simul existere.

Hæc sunt, quæ in tam difficili materiâ pro vtraque parte mihi occurrunt dicenda. Et licet sententia Zenonis videatur clarior & facilior, & argumenta, quæ contra ipsum fiunt, possint vtcumque contra alias sententias retorqueri; nihilominùs tamen non licet à receptâ & communissimâ Aristotelis sententiâ recedere, tum ob auctoritatem, vt dixi, tum quia argumenta illa Mathematica minùs clarè Aristotelem vrgent. Quòd autem alia (vt suprà vidimus) in sententiâ Aristotelis difficilia valdè sint, & quæ à nobis solui non possint, non cogit nos hanc sententiam deserere: materiæ enim difficultas est talis, vt vbique aliqua nobis inexplicabilia occurrant. Malo autem apertè fateri me ignorare solutionem aliquorum argumentorum, quàm eam dare quæ fortè à nemine intelligatur.

LIBER

LIBER VII. PHYSICORVM.

In hoc libro egit Aristoteles de propinquitate inter causam & effectum, de quo nos latè Disputatione VII. *Sectione* 5.

LIBER VIII. PHYSICORVM.

In hoc libro contendit Aristoteles, dandam vnam primam causam omnium rerum, quæ sit Deus: sed de hoc alibi, vbi etiam agemus de eo principio, quo id probatur ab Aristotele, scilicet *omne quod mouetur, ab alio mouetur*: item agit de exordio mundi, quem contendit fuisse ab æterno, & quidem satis consequenter ad sua principia, scilicet Deum operari ex necessitate naturæ; sed de hoc Disputatione sequenti agemus. Videor, à P. Hurtado adscribi Aristoteli opinionem negantem Deum omnia creasse, sed in hoc puncto non sum de Aristotelis mente adeò sollicitus, vbi contra Fidem turpiter errauit.

DISPVTATIO DECIMASEPTIMA.

Vtrùm aliqua creatura fuerit vel potuerit esse ab æterno.

SECTIO I.

Mundus non fuit ab æterno, neque esse potuit.

1 Non fuisse, est de Fide, ex illo Geneseos 1. *In principio creauit Deus cælum & terram*; ergo cælum & terra habuere principium. De Angelis non fit mentio in hoc loco, probatur tamen ex illo Prouerb. 8. *Antequam quidquam faceret à principio, cum eo eram cuncta componens*, ergo fuit instans aliquod in quo nondum Deus quidquam produxerat, ergo & Angeli in tempore sunt producti. Eadem veritas definita est in cap. Firmiter, de summâ Trinitate & fide Catholicâ, vbi docetur, esse vnum Deum, qui vtramque ab initio de nihilo creauit creaturam, Angelicam & mundanam. Consentiunt huic veritati omnes Ecclesiæ Patres, & Catholici omnes. Argumenta pro Aristotele nulla sunt, quia cum Deus operetur liberè, etiamsi potuerit (de quo statim) non tamen tenebatur producere, nec vlla potest esse ratio naturalis quâ vel apparenter possit probari, debuisse esse ab æterno.

2 De possibili est grauis difficultas, vtrùm scilicet potuerit mundus esse ab æterno, ita vt non fuerit Deus prior illo. Sed in hac quæstione oportet in ipso mundo duo genera entium distinguere, vnum *permanentium*, de quo Sectione 2. aliud *successiuorũ*, vel quæ per generationes in specie se multiplicant, & de his agemus in hac Sectione.

Huius successionis possibilitatem ab æterno D. Thomas affirmat apud Hurtadum Disput. 18. sect. 2. negant multi ex antiquioribus & recentioribus, quos idem Hurtadus sequitur & refert §. 35. Nos duabus Conclusionibus rem totam decidemus.

Sit PRIMA. Non potuerunt esse ab æterno generationes substantiales v. g. hominum, leonum, &c. Probatur clarè, quia in serie eorum hominum v. g. tandem est deueniendum ad aliquem qui à solo Deo productus sit, quia non omnes illi homines à seipsis producuntur, est ergo aliquis qui à solo Deo productus. Vel ergo inter 3 productionem illius à Deo, & inter generationem alterius hominis ab illo factam, intercessit infinitum tempus, vel finitum. Si infinitum, ergo iam generatio illa non fuit ab æterno, vt contendo: si verò finitum, ergo nec primus homo à Deo solo productus, nec secunda generatio, fuerunt ab æterno: non quidem secunda, quia ante illam præcessit alius homo; non quidem primus homo, quia ab hoc ad secundum solum fuit finitum tempus; & secundus non fuit nisi in tempore, ab æternitate autem ad tempus necessariò debet interuenire infinitũ tempus, ergo ab æterno non potuerunt esse generationes substantiales.

Respondebis, hominem illum productum à Deo generasse alterum in primo instanti suæ productionis, vnde etiam illa generatio illius secundi hominis fuit ab æterno. Sed facilè hoc posticum occludo, quia generatio hominis non potest fieri in instanti, fit enim per emissionem seminis, per formationem fœtus, &c. quæ non potest esse in instanti. Contrà Secundò, do tibi Antecedens, 4 rogo, an ille secundus homo generauerit tertium in eodem instanti, an non. Si in eodem instanti, ergo illæ generationes non fuerunt successiuè in æternitate, quod nos contendimus, sed ab æterno omnes simul (vtrùm autem repugnent hoc modo generationes ab æterno, dicetur Sectione 2.) Si verò dicas, ab eo secundo non generatum tertium in eodem instanti, sed posteriùs, rogo vlteriùs, an post tempus infinitum, an finitum, & tunc redibit idem argumentum suprà factum de primo homine respectu secundi, ergo non possunt esse ab æterno generationes substantiales successiuæ.

SECVNDA CONCLVSIO. Generationes accidentales successiuæ, quæ non sint æquales in duratione substantiæ ipsi à quâ oriuntur, non possunt esse ab æterno. Probatur ob eamdem 5 rationem ob quam nuper ostendi non potuisse esse ab æterno generationes substantiales, quia inter productionem primi principij à quo oriuntur, & inter primam generationem debuit interuenire tempus, & consequenter non potuit

generatio esse ab æterno. Et ratio à priori est, quia repugnantia ea non oritur ex conceptu accidentis, sed ex interpositione inter vnam & alteram generationem, quæ eadem esset in eis accidentalibus. Si autem hæ generationes accidentales omnes immediatè ab eadem substantiâ producantur, nec requiratur substantia tempore præire ad operationem, tunc erit eadem difficultas de illis ac de permanentibus, de quibus Sectione 2.

Denique si generationes illæ accidentales vna oriatur immediatè à substantiâ, reliquæ ab ipsis accidentibus (sicut communiter docetur contingere in luce respectu Solis, scilicet lucem Soli immediatam ab ipso Sole produci, mediatam autem produci ab ipsâ immediatâ, & sic de reliquis:) si res hoc modo contingat, adhuc rursus
6 distinguendum est. Vel enim hæ generationes accidentales successiuè fiunt, & tunc non poterunt esse ab æterno ob rationem dictam, quia inter productionem illius quæ à Sole tantùm procedit, & inter secundam, debet intercedere tempus, vel finitum, & consequenter neutra erit ab æterno; vel infinitum, & tunc non sunt continuatæ ab æterno generationes illæ accidentales. Vel omnes eodem puncto producuntur, & tunc est eadem difficultas cum permanentibus, de quâ statim.

SECTIO II.

Vtrùm creatura permanens potuerit esse ab æterno.

LICET quæstio hæc facilis appareat nonnullis, ego tamen illam ferè æquè difficilem reputo ac compositionem continui: eius autem difficultas apparebit statim, si priùs aliorum rationibus dubitandi faciamus satis.

SVBSECTIO PRIMA.

Fit satis argumentis, quibus probari solet, non potuisse esse creaturam ab æterno.

PRIMVM sit: Quia illa creatura esset æqualis Deo in æternitate, quod repugnat. Sed hoc non vrget, quia etiam probaretur, non posse Angelum durare in æternum à parte post, ne Deo esset æqualis in æternitate, hoc autem est contra
7 Fidem. Respondeo ergo, illam creaturam longè abfuturam ab æternitate Dei, licet tamdiu duraret quamdiu Deus; id enim haberet creatura accidentaliter: item esset capax vt in tempore destrueretur, Deus autem à seipso essentialiter petit ab æterno durare, & in æternum sine capacitate destructionis.

Secundum sit: Quia omnis creatura debet produci ex nihilo, creatio enim est productio entis ex nihilo; ergo ante omnem creaturam debuit præcedere nihilum illius, & consequenter non potuit esse ab æterno. Sed & huic facilè respondeo, *tò ex nihilo* non significare idem ac *ex carentiâ antecedenti sui*, sed negari concursum subiecti, quod verum esset ab æterno.

Tertium sit: Quia illa creatura necessariò, & sine libertate esset producta à Deo, quod implicat. Sequela probatur, quia non fuit instans ante illius productionem, in quo Deus potuisset esse indifferens ad illam non producendam. Debile argumentum, quo etiam probatur, Deum ab æterno non habuisse actus liberos de creaturis in tempore futuris, quandoquidem non præcessit instans in quo Deus non haberet eos actus, ergo non fuit liber ad eos habendos. Hæc est obiectionis consequentia. Respondeo igitur, prioritatem
8 temporis non requiri ad libertatem, sed prioritatem naturæ; vnde in eodem instanti in quo est actus liber, potuit non esse, quia ad hoc solùm requiritur, vt quæ se tenent ex parte causæ, non habeant necessariam connexionem cum eo actu; & hinc fit, Angelum in primo instanti suæ creationis potuisse liberè operari: potuit ergo & Deus liberè producere creaturam, etiamsi in tempore non extitisset ante illam.

Quartum: Quia si producta fuisset creatura ab æterno, productæ fuissent infinitæ durationes. Quòd si etiam inæqualibet productus fuisset vnus Angelus, existerent modò infiniti Angeli, quod repugnat. Suprà ostendi, non repugnare infinitum in actu, ergo ex hac parte non repugnat, existere eos infinitos Angelos. Replicabis: Infinitum successiuè non potest produci, ergo non possent illi Angeli esse infiniti. Aliunde verò suppo-
9 nis, eos esse infinitos. Ergo sequerentur duo contradictoria. Propter hanc rationem recentiores aliqui dicunt, etiamsi ab æterno singulis instantibus imaginariis nouus Angelus fuisset productus, non extituros nunc infinitos Angelos, quia, vt dixi, infinitum successiuè non potest pertransiri. Sed hæc responsio displicet: nam infinitum benè potest infinito tempore pertransiri, sicut ipsum tempus est infinitum, & tamen pertransit; & in terminis implicatur, dum ex vnâ parte dicunt, si creatura fuisset ab æterno eam debuisse per infinitum tempus manere in operatione quàm primò habuit; & posteà negant pertransisse infinita instantia temporis. quomodo enim mansit in operatione per æternitatem seu infinitum tempus, si in eo tempore non sunt infinita instantia? Neque ad hoc requiritur, vt ea instantia sint realia, quia in ipsis imaginariis est eadem difficultas, quàm si infinita instantia pertransierunt; ergo si in quolibet fuisset distinctus Angelus productus, essent producti iam infiniti. Respondeo
10 ergo obiectioni, negando, infinitum non posse in infinito tempore percurri successiuè. Et in infinito durationis res est clarior: consistit enim in hoc, quòd versus eam partem, quæ dicitur infinita non possit assignari terminus; id autem esset in eo casu, non enim esset primum instans, à quo inceperit ea duratio.

Quintum: Quia si Deus produxisset creaturam ab æterno, non posset à Deo per æternitatem annihilari, quod videtur derogare dominio Dei. Sequela probatur, quia si post tempus finitum annihilaretur, cùm ea annihilatio non fuisset ab æterno, neque etiam fuisset ab æterno productio, quia ab annihilatione ad productionem solùm præcessisset tempus finitum. Respondeo, non repugnare dominio Dei, ex aliquâ suppositione sibi liberâ non posse destruere creaturam. vnde licet per æternitatem non posset eam annihilare, id non esset contra dominij eius perfectionem.

Sextum: Quia res quæ durauit ab æterno, vel
11 durauit per durationem indiuisibilem, vel per plures distinctas successiuas: neutro modo potest,

test, ergo absolutè non potest durare ab æterno. Consequentia est bona. Maior certa in sententiâ nostrâ, distinguente durationem à re durante. Minor probatur quoad primam partem de duratione indiuisibili, quia illa duratio debuit deperdi in tempore quàm primùm potuit, & eius loco debuerunt produci durationes successiuæ. Rogo ergo, Cur in instanti antecedenti non fuit deperdita? siquidem etiam suppositâ duratione Petri v.g. pro æternitate adhuc potuit non durare in instãti antecedenti ad destructionẽ illius durationis, quia in quolibet instanti signabili potuit Petrus, qui ab æterno erat productus, destrui; ergo illa duratio fuit destructa in instanti antecedenti, quia in primo, in quo potuit, debuit destrui, & aliunde non fuit destructa, cùm supponamus primò destructam fuisse in instanti sequenti. Hæc autem sunt manifestè implicantia.

12 Quoad secundam verò partem, quòd scilicet non duauerit per durationes successiuas instantaneas, inde probatur Primò, quia sequeretur, infinitum successiuè posse percurri, quod repugnat conceptui infiniti. Secundò, quia quælibet res semel producta ab æterno, debet per æternitatem durare, ergo etiam ipsa duratio ab æterno producta debuit durare per æternitatem, ergo non potest duratio successiua instantanea esse ab æterno, ergo nec per illam potest Petrus ab æterno durare. Hoc argumentum non caret difficultate. Nihilominùs respondeo, negando Minorem quoad secundam partem de duratione successiuâ: nam quoad permanentem videtur sufficienter probata prima pars argumento facto.

Ad primam ergo probationem secundæ partis respondeo, nullum esse inconueniens, si infinitum percurratur in tempore infinito, quale fuisset æternitas: imò siue producta sit creatura ab æterno, siue non, omnes admittunt elapsum fuisse tempus infinitum imaginarium à parte antè, ergo quantum ad hoc communis omnibus est difficultas. Vide, quæ paulò antè dixi contra aliquos recentiores.

13 Ad secundam probationem respondeo, rem illam, de quâ potest dici determinatè productam fuisse ab æterno, necessariò duraturam per æternitatem, vt ostendi suprà; nego verò, inde sequi, durationem aliquam durasse per æternitatem, quia de nullâ affirmari potest productam fuisse in æternitate, ita vt ante ipsam non fuerit alia. Potuit ergo Petrus ab æterno durare per successiuas durationes distinctas, quo manet satisfactum argumento. Quædam replica, quæ contra hoc fieri potest, ponetur infrà à num. 17.

Septimò posset aliquis argumentari: Demus hominem ab æterno productum, ille numquam primò posteà potuisset mouere manum, quia quocumque instanti assignato, potuit citiùs; ergo numquam primò potuit. Secundò idem vrgetur in stupâ igni ab æterno applicatâ; rogo enim, quando illa posteà comburetur: assignato enim quocumque instanti, potuit citiùs & citiùs, & cùm aliunde debuit comburi cùm primùm potuit, sequitur primò incepisse in instanti A v.g. & simul anteà, quod repugnat. Sequela patet, quia in instanti A primò cœpit, vt ponimus, & ante illud potuit, ergo & incepit, quia incepit cùm primùm potuit; ergo incepit antè & non incepit antè, quod omnino repugnat.

Hoc argumentum ferè coincidit cum sexto, 14
&, vt dixi, habet magnam difficultatem: verùm patitur manifestissimam instantiam in ipso Deo. Demus enim quòd Deus liberè ab æterno se determinauerit producere aliquid cùm primùm possit, in quo non est repugnantia, quia si potest tunc, benè poterit creare; rogo ergo, quando de facto illud creauit, da quodcumque instans v.g. A iam sic argumentor: Signato illo instanti adhuc potuit in antecedenti, ergo in illo creauit. Patet, quia creauit quàm citiùs potuit, & potuit ante A, ergo antè, ergo creauit antè & non creauit, vt supponimus, sicut suprà tu arguebas de igne stupæ applicato: nec maior est quoad hoc difficultas in igne, quàm in Deo; ergo hoc argumentum non vrget nos. Specialiter ei absolutè respondeo, non posse assignari vllum instans primum, ante quod non potuerit Deus primò creare: & hoc esse formalissimè conceptum æternitatis, quod ab omnibus debet admitti, siue possibilis ab æterno creatura sit, siue non.

SVBSECTIO SECVNDA.

Quid sentiendum sit in hac quæstione.

PROBABILIVS censeo, potuisse ab æterno pro- 15
duci creaturam aliquam, quæ per durationes successiuas durauerit. Probo id Primò, quia nulla videtur esse repugnantia in eo, quòd Deus eam creaturam ab æterno produxerit: imò videtur necessariò dicendum, potuisse. sicut enim, dum de infinito disputauimus, ideò diximus posse illud à Deo produci, quia quolibet numero producto, adhuc potuit Deus in eo instanti alium maiorem producere, & illo producto alium maiorem, & sic in infinitum; ita similiter in præsenti cognoscit Deus, se ante mille annos potuisse producere Petrum, & ante alios mille, & sic in infinitum: cumque gradatio hæc fiat in instanti, non est cur negetur à Deo cognosci totum tempus à parte antè, & se in quolibet illorum potuisse Petrum producere. Et vt difficultas clariùs percipiatur, rogo, an Deus sistat per cognitionem in aliquo instanti ante quod non cognoscat se potuisse producere Petrum, vel non sistat? In primis non potest dici quòd sistat, quia verè ante illud instãs potuit à Deo produci Petrus, ergo & id ab 16
ipso cognoscitur, nihil enim possibile ignoratur à Deo; ergo dicendum est, in nullo sistere, ergo cognoscit omnia instantia æternitatis, & in quolibet illorum se posse Petrum producere; potuit ergo illum ab æterno producere. Secundò idem probatur benè ab Hurtado, quia causa & effectus possunt esse æquales in duratione, vt patet in Sole respectu lucis, in essentiis respectu passionum; ergo potuit Angelus esse in duratione æqualis Deo. Tertiò, sicut Deus ab æterno liberè est determinatus ad producendum Petrum, ita vt actus ipse liber fuerit ab æterno, etiamsi potuerit non esse, cur similiter non potuit liberè ab æterno Petrus ipse produci, etiamsi contingenter existeret? non enim maior est difficultas in ipso Petro, quàm in volitione liberâ de illo: quæ volitio vt suum terminum producat, non indiget morâ vllâ temporis. Ergo dicendum est, potuisse esse ab æterno creaturam permanentem. Hæc est sententia communissima inter Doctores, quos vide apud Hurtadum Disput. 16. Physicâ, Sectione 1.

17 Verùm, licet opinionem hanc probabiliorem reputem, est tamen contra illam difficillimum vnum vel alterum argumentum, quod quia etiam fit contra æternitatem à parte post (vt constabit statim) censeo illud esse fallax, licet à nobis, in quo hæc fallacia consistat, minimè cognoscatur: ideoque arbitror non sufficere ad negandum, potuisse esse creaturam ab æterno, alioquin esset cõtra Fidem. Argumentum ergo sic ego efformo, & sumo omnes durationes successiuas, quas in æternitate habuisset Petrus si ab æterno durasset, & argumentor sic: Datur aliqua duratio prima illarum, ergo non fuit ab æterno. Consequentia est euidens, quia æternitas à parte ante non potest habere primum instans suæ durationis. Antecedens, in quo est difficultas, probo; quia non omnis duratio illius collectionis habet aliquam priorem se, ergo est aliqua quæ non habeat aliam priorem se, ergo & quæ sit prima; illa enim
18 est prima quæ non habet aliam ante se. Probo Antecedens, quia est impossibile, vt omnes illæ habeant priorem se, quæ tamen sit è numero omnium; sicut est impossibile, vt omnes homines, quantumuis infiniti, producantur ab hominibus, si non potest dari mutua causalitas: & ideò est recurrendum ad aliquod principium inproductum, nempe Deum; ergo similiter non poterunt omnes durationes antecedi à durationibus in ipsis omnibus inclusis, cùm repugnet mutua antecessio durationum; ergo debebit esse aliqua quæ non antecedatur ab aliis, illa autem erit prima.

Vt argumenti vis clariùs percipiatur, sumo omnes illas durationes vsque ad hodiernam inclusiuè, quâ terminata est existentia Petri, & sic argumentor: Non possunt omnes hæ durationes habere aliquam priorem se seu antecedentem, ergo aliqua est non habens antecedentem, ideoque prior. Probo Antecedens: plures sunt durationes quæ subsequuntur quàm quæ antecedunt; hæc enim vltima subsequitur aliam, reliquæ omnes & subsequuntur & antecedunt, ergo plures sunt quæ subsequuntur quàm quæ antecedunt; ergo vel vna antecedit immediatè duas, quod est impossibile, quia post vnam durationem tantùm immediatè succedit altera; vel aliqua deber remanere sine aliâ antecedenti ipsam, quod est meum intentum.

19 Patet consequentia, quia quantumuis quæ possunt subsequi & antecedere, sint infinitæ, si tamen plures sint quæ possint subsequi quàm quæ antecedere, & cuilibet ex his quæ subsequuntur, respondeat vnica ex antecedentibus, necessarium est vt aliqua ex subsequentibus non habeat antecedentem quæ illi correspondeat; sicut si plures essent homines quàm equi, quantumuis omnes essent infiniti, si quilibet homo vellet assumere proprium equum, necessariò aliqui homines sine equo manerent. ergo similiter, si plures sunt durationes posteriores quàm priores, & quælibet posterior habeat aliam priorem, necessarium est vt aliqua posterior maneat sine priori, & consequenter iam non sit posterior, sed prior, quod contendo; vel simul sit posterior, & non sit posterior, quæ sunt contradictoria.

20 Secundò idem clariùs & breuiùs probo: in eâ collectione non sunt omnes durationes ab æterno, vt per se patet; neque duæ. Probo hoc clarè; quia cùm illæ duæ, quæcumque sint, vna est posterior alterâ, illa quæ est posterior, non potest esse ab æterno, ergo sola vna debuit esse ab æterno: illa autem erit prima omnium, ergo iam datur vna prima in eâ collectione; ergo illa collectio incepit, scilicet quando illa prima incepit; ergo non est ab æterno, quia non potest dari initium æternitatis.

Respondebis vtrique argumento Primò, durationem illam primam omnium esse indeterminatam, neque esse inconueniens, si detur duratio prima omnium, quæ indeterminata sit. Sed contrà Primò, quia prædicatum particulare exercitum actualiter, quale est actu antecedere, non potest à parte rei subiecto vago conuenire: quia, vt dixi sæpè, à parte rei nullum est subiectum vagum, ea enim diuagatio prouenit ab intellectu dicente hoc vel illud. Contrà Secundò, quia 21
Deus determinatè cognoscit omnes illas durationes, quia determinatè omnes illas produxit: cognoscit item, quæ post quam produci debeat; ergo cognoscit in particulari & determinatè illam quæ ante se non habet aliam: nec potest dici citra iniuriam scientiæ Dei, ab ipso non determinatè, sed confusè cognosci eam durationem priorem. Contrà Tertiò, licet illa duratio indeterminata sit, verè tamen illa est prima omnium ab æterno, ergo debuit durare per æternitatem, contra id quod suprà probauimus. Patet consequentia, quia res simul producta ab æterno necessariò durat per æternitatem.

Respondebis Secundò, durationem non esse distinctam à re durante, ideoque non fuisse datam ab æterno eam durationem successiuam. Sed contrà Primò, quia iam ostendi Lib. IV. durationem necessariò distinguendam à re durante. Contrà Secundò, quia licet non distinguatur, in ipsis tamen ipstantibus imaginariis, quæ fluida sunt & successiua, vrgetur argumentum eodem modo.

Hoc argumentum eadem vi fit contra æterni- 22
tatem à parte post; videtur enim necessariò signanda duratio vltima, & consequenter tandem finienda ea æternitas. Quòd si in durationibus nolueris argumentum efformare, efforma illud in actibus intellectus & voluntatis, faciendis per æternitatẽ ab hominibus & Angelis successiuè, qui in omnium sententiâ infiniti futuri sunt, tempus enim futurum est infinitum: in his autem actibus ob argumentum suprà factum videtur signandus vltimus, & consequenter finienda esse hominum & Angelorum duratio. Scio, hoc argumentum esse fallax, quia verum non potest opponi vero; solutionem tamen illius penitus ignoro: nec mirum, si æternitas Dei & hominum nobis adeò difficilis appareat, cùm nec exiguæ paleæ, quam ante oculos habemus, compositionem percipiamus. Et quia quò quæstionem hanc profundiùs scrutari tentamus, eò magis mole difficultatis opprimimur, sistimus, & eius perfectam notitiam in alteram vitam, sicut plurium aliarum rerum, reseruari nobis credamus.

Hæc in octo libros Physicorum dicenda occurrunt. Pergamus, diuinâ fauente gratiâ, ad Disputationem de Cælo.

DISPV-